JOACHIMI HOPPERI, FRISII,

EPISTOLÆ

AD

VIGLIUM AB AYTTA ZUICHEMUM

SANCTIORIS CONSILII PRÆSIDEM.

JOACHIMI HOPPERI, FRISII,

EPISTOLÆ

AD

VIGLIUM AB AYTTA ZUICHEMUM

SANCTIORIS CONSILII PRÆSIDEM.

TRAJECTI AD *RHENUM*,

APUD B. WILD & J. ALTHEER.

MDCCCII.

L. S.

Post varia rerum diſcrimina tandem aliquando in publicam lucem prodeunt JOACHIMI HOPPERI, Equitis, ac Philippi II. Hispaniarum Regis quondam, Conſiliarii ac Sigillorum Cuſtodis, Epiſtolæ ad Viglium ab Aytta Zuichemum, Præpoſitum S. Bavonis, Conſilii Sanctioris, & alterius, quod Rerum Status vocabant, Bruxellæ præſidem, & Cancellarium Ordinis aurei Velleris, ſcriptæ, et ex Hispaniis, quorſum ut in rebus Belgicis adminiſtrandis Rex opera ejus & conſiliis uteretur, ex Friſia ſua et Belgio erat evocatus, huc misſæ.

Triginta fere annorum tempus effluxit, ex quo Vir illuſtris, ac Rerum Belgicarum & Hiſtoriæ Patriæ cognitione non minus, quam ceterarum doctrinarum ac eruditionis laude celeberrimus CORNELIUS FRANCISCUS DE NELIS, Episcopus cum maxime Antwerpienſis, & per Dioeceſin Sylva-ducenſem, quatenus Auſtriaci juris fuit, Vicarius Apoſtolicus, quique in Illuſtrium Brabantiæ Ordinum confesſu poſt Emi-

nentisſimum Cardinalem & Belgii Auſtriaci Primatem, Mechlinienſium Archiëpiscopum, primum ex Ordine Eccleſiaſtico locum jam a multis annis dum in vivis erat, obtinuit, hunc Epiſtolarum Hopperianarum Theſaurum, huc usque plane incognitum, quemque Clarisſimus Mechlinienſium Archipresbyter CORN. PAUL. HOYNCK VAN PAPENDRECHT (*a*), deperditum dolebat, felici fato tandem detectum, & repertum, ſuo ſumu typis deſcribendum curaverat.

(*a*) Anal. Belg. Vol. II, part. II. p. 9.

A D D E N D A

E T

C O R R I G E N D A.

Pag.	46.	*lin.*	23	fædus *lege* foedus	
	47.	——	2	in dies —— in dies ibi	
	48.	——	4	Egmondanum —— Egmundanum	
			23	ut valeas, uxor —— ut valeas. Uxor	
	49.	——	12	diurnam —— diuturnam	
			19	lubentibus —— libentibus	
			33	cæpit —— coepit	
	50	——	6	Cogitatiun —— cogitatum	
			14	nihil —— non	
			15	ne —— nec	
			18	Maria —— maria	
	53	——	11	Driutius —— Druytius	
	55	——	19	Egmondanum —— Egmundanum	
			23	Egmondanus —— Egmundanus	
			33	aures —— aurem	
	57.	——	30	Celſisſimum —— certisſimum	
	60.	——	12	Reverande —— Reverendæ	
	84.	——	8	Cameraei. —— Cameraci. 24 April 1566.	
	85.	——	5	feſto Palinarum. —— feſto Palmarum. MDLXV	

Pag. 90.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 90. *lin.* 5 oportet. *add.*

„ Die haedlingen hier ſidze, dattet
„ toch ſtitſen, werck is tuiska vus
„ gruete haedlinghen en dae ora dio
„ in da fesza to Bruſel wieren en
„ dat deen en dora da ſolla lioed
„ ſint, En ju (vel *ja*) frige. Soe
„ folla fen thaedling hier dat hy naet
„ lyts dier yn beſuyrighet is, en
„ naet wol dier trock ken, wy ſinen
„ wol dyr mey belaen is."

Pag 287. *lin.* 15 moleſtæ imponat. *Add.*

Cura, Reverende Preſul, optime Patrone, ut valeas, teque nobis ac Patriæ conſerves. Madriti XV Septembris. MDLXX. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratisſimus Servitor Joach. Hopperus!

JOACHIMI HOPPERI, FRISII,

EPISTOLÆ

AD

VIGLIUM AB AYTTA ZUICHEMUM

SANCTIORIS CONSILII PRÆSIDEM.

EPISTOLA I.

ARG. *De variis negotiis & personis plura, sed obiter. Donum ab Duce Arescoti Viglio missum dimidius cervus.*

(*Hæc, & sequentes sex Epistolæ, in Frisiam missæ sunt; quam patriam suam visurus ierat Viglius, quum annis prope septem & decem ab eâ abfuisset.*)

(*Hoc anno festum Paschæ, a quo etiam tum anni initium apud Belgas, incidit in diem 6. aprilis.*)

S. P. Dixi Amplissime Domine Præses, me nullam occasionem prætermissurum, quin ad vos scribam; quæ quia nunc prima sese obtulit, tametsi tenuis, ut puta per mulierem aniculam, non volui tamen eam negligere. Itaque si Amplitudo vestra bene valet, quod optamus, nos, laus superis, valemus. Mandata quæ ad Dominum Cardinalem habebam, confeci, pransus cum illo, vocatu ejus, heri & hodie. Heri adfuit Nuncius Apostolicus; hodie filius Olyslager Cancellarii Cliviæ, qui cum Comite a Nuenar huc venit. Rediit quoque Advocatus Hollandiæ Endius, qui me rogavit ecquid Amplitudo vestra cuiquam mandatum reliquerit cognoscendi causam de qua venit. Dixi, ad Reverendis-

ſimum Dominum Cardinalem ea de re me relaturum, quod feci; qui in diem lunæ proximum rem diſtulit. Quæ Reverendus Dominus Sancti Bavonis petit placita, poſt triduum aut quatriduum cenſui Domino Reverendiſſimo proponenda, ut pluſculum a profectione tua intercedat temporis. Allatus eſt nudius tertius ab Duce Arſchotenſi domum veſtram dimidius cervus. Quæſitum eſt multum ac diu quid fieret; tandem viſum eſt Domino Cardinali potiorem partem mittere, reliquum Bavio, reliquiſque amicis diſtribuere; neque enim ſervando ſervari, aut rectè ad vos mitti poteſt. Venit hodie unus nominatorum Mechlinienſium, curator rerum Fiſci in Geldria, petiturus conditionem ad quam eſt nominatus. Accepit neſcio quam auram de Pamelio inter has, ſed ego nihil ei ad hoc cenſui reſpondendum, ut per alium potius quam per me ſententiam in barbam accipiat. Oravit per literas & coram Petreius, ut quod à vidua Hoxvirii petit pro filio beneficium, interceſſu veſtro, cum ibi erit, obtineat; quod putavi uno verbo admonendum, ne neſcius ſis, ſi forte ea de re loquatur. Cura Ampliſſime Domine Præſes, ut valeas; oroque Deum Maximum, ut te validum ac ſanum ducat ac reducat. Uxor quam officioſiſſimè ſe vobis commendat. Reverendo Domino Præpoſito, Stynæque, plurimam optamus ſalutem. Raptim Bruxellæ 17. maii 1561. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA II.

ARG. *De querelis Conſilii Flandriæ adverſus Cameram Rationum Inſulenſem; nec non Cameræ Rationum Brabantiæ adverſus Conſilium Brabantiæ. Elb: Leonini conſilium de novis Epiſcopis, a Viglio correctum, Cancellarius Ordinis aur. Vell.* NIGRI *auget aliquantulum; & brevius aliud conficit Hopperus.*

S. P. Tametſi heſterna die (*a*) ſcripſi, ampliſſime Domine Præſes, nec quicquam nunc habeam, quod ſcriptione dignum videatur: quia tamen hæ Aſſonnevilii noſtri literæ ad

(*a*) Epiſtolam, de quâ hîc, reperire non fuit.

vos destinandæ erant, non sum passus eas solas sine meis abire. Quod scribam nihil sane habeo, nisi quod omnes laus Deo rectè valemus; Amplitudinique vestræ heri apud illustrissimum Dominum Cardinalem hilariter adbibimus, speramusque & vos rectè esse, una cum Domino Hesselio, (*b*) uxore, filiola & sponsa, quam primo loco nominatam oportuit. Cœptum est hodie agi in Finantiis de querelis Consilii Flandriæ contra Cameram Computorum Insulensem, nec non Cameræ Computorum Brabantiæ contra Consilium Brabantiæ. In utroque negotio nihil aliud actum est. Nec verò potuit agi quam quod ea quæ ab utraque Camera exhibita sunt, jussa sunt communicari utrique Consilio respectivè. Dominus de Meghem valde urget ut negotium illud Geldricum, quod mihi Domini Financiarum in manus dedere, expediatur. Dominus Cancellarius Nigri petiit videre Consilium Elberti de Episcopis, uti ab amplitudine vestra me scribente correctum est. Vidit, probat valde, addidit paucula quædam minimè mala. Præter illud magnum, conficio aliud breve pro delicatioribus, quo paucis tota res continetur. Ubi confectum fuerit, utrumque communicabo Reverendissimo Domino Cardinali & mittam Lovanium, ut quæ restant, peragantur. Hodie mihi adfuit Bockholdius ille Zypensis; cupit nescio quibus de rebus audiri. Remisi eum ad Vanden Berghe, qui præcipuus est in hoc negotio. Hæc quod scribo, Amplissime Domine Præses, non eò scribo quod magni momenti esse videantur, sed ne nihil scribam. Itaque restat ut Amplitudini Vestræ omnia fausta precer ac fælicia; tantumdem domino Hesselio, uxorique ac sorori, domino Præposito ac Stynæ, aliisque optamus. Uxor multo maximam vobis jussit adscribi salutem. Raptim Bruxellæ 29. maii 1561. Magnificæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

(*b*) Jac. Hesselius, regius Gandavi Consiliarius, unà cum Max. Morillonio, Viglio itineris comes ierat in Frisiam. Hesselius Viglii ex sorore neptem, *Jetziam Hoytema*, a quinque mensibus, sub kalendas scilicet Januarii, uxorem duxerat.

EPISTOLA III.

ARG. *In Viglii domo, ut & apud amicos, omnia recte agi, nunciat Hopperus. Tum obiter de certa forma Senatui Transisulano præscribenda. De opusculis aliquot literariis ad Card. Granvellanum missis. De querelis Geldricis.*

S. P. Tametsi nudius tertiùs tertiùm ad vos scripsi, Amplissime Domine Præses, nec quidquam novæ rei supervenit, quod tuâ admodum interesse putem intelligere; quia tamen Quæstor Frisiæ nostræ hinc abibat, ante festum Sacramenti domi, ut ait, illîc futurus, mei muneris esse existimavi minime vacuum illum dimittere. Itaque primum sic habe, omnia recte hic esse tum tuæ tum domi meæ, tum apud reverendissimum Dominum Cardinalem, cæterosque notos & amicos, nec non in ipsa Curia. Scripsit ad Ducissam Dominus Arenbergensis de senatu Transissulaniæ Vollenhve collocando, deque Feriis quas Consiliariis ordinarias dari velit. Nostri ut de loco illi consentiunt, ita non tam a feriis auspicandum arbitrantur, quam a generali aliqua instructione ordinationeque totius Senatus & rationis procedendi, quemadmodum in aliis Consiliis factum est. Qua de re negotium habeo, ut ad Dominum Cardinalem referam. Scio equidem difficile ab Transissulanis impetratum iri ut certa forma Senatus constituatur; sed tamen ut aliquid fiat omnino videtur necessarium. Cruserius Campensis duas de vitis Plutarchi, quas convertit, Phocionis & Catonis minoris, misit ad Dominum Cardinalem (*a*), qui eas, pro sua erga me summa humanitate communicavit. Voirthuysius suam illi Phœnicem misit, multisque modis contendit ut vobiscum in gratiam redire possit. Dominus de Nuenar, qui hîc est, multas adfert querelas Geldricas, & in his unam de executione sententiarum in Geldria, quæ non omnino facilis est; sed exhibitis iis quæ exhiberi jussa sunt, puto rem paulo fore faciliorem. Bene vale, optime Domine

(*a*) Literatorum mæcenas habebatur, & haberi gestiebat Granvellanus. Suas illi lucubrationes certatim dicabant, aut ad illum præfabantur, illius ætatis eruditi.

Præſes, patrone unice. Te ſalvum ac ſoſpitem Herlingam appli-cuiſſe, ſummoque honore ut decet, exceptum, heri libentibus ac gaudentibus animis accepimus. Reverendo Domino Præpoſito, Heſſelio, cum uxore, Stinæ, novis nuptis, filiolæ, & denique omnibus amicis me etiam atque etiam commendo, cum quibus ſum ſæpe animo, tametſi corpore hîc collocatus. Raptim ut vides, Bruxellæ 30. maii 1561. Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA IV.

ARG. *Querimoniæ Ordinum Brabantiæ de novis Epiſcopatibus; contentio quoque de Aurei Velleris Equitibus, ut & territorio Mechlinienſi, in tributi cum Brabantis communionem vocandis. Antverpienſes, contra ſententiam Magni Conſilii jús Gaugiæ Middelburgenſibus auferri poſtulant. Novus Paſtor Aldenardenſibus datus.*

S. P. SI vos bene valetis, Ampliſſime Domine Præſes, bene habet; nos laus ſuperis valemus, excepto quod ſuaviſſima conſuetudine veſtra caremus. Novæ rei hîc nihil eſt, niſi quod Status Brabantiæ multas proponunt querimonias, more ſolito; quas perpurgari volunt, antequam ſuper poſtulatis Regis reſpondeant. In his unum caput eſt de Epiſcopatibus, ut proximis ſuperioribus literis ſignificavi. Sunt alia tria, de Aurei Velleris Equitibus, ecquid cum Brabantis in tributum venire debeant: de territorio Mechlinienſi, quod in agro Antverpienſi eſt, an & illud cum iis contribuere teneatur: & denique de Antverpienſium deſiderio, quo contra ſententiam reviſionalem magni Conſilii, jus Gaugiæ Middelburgenſium auferri poſtulant. Quorum quidem trium capitum, quoniam ſchedas apud amplitudinem veſtram eſſe contendebant, quæſivit a me dominus Cardinalis, ecquid ego ejuſmodi quid penes me haberem. Quod cum negarem, juſſit pro ſua authoritate (nam aliter oſtendi me non poſſe facere) ut domi veſtræ diſpicerem, anne ibi eſſent. Ubi poſt omnes loculos unà cum domino Cornelio perluſtratos, nihil quoque reperi; ſic ut id ipſum ad reverendiſſimum domi-

num Cardinalem quoque retulerim, qui, urgentibus Brabantis, confestim cursorem ad vos misisset, nisi dominus Brusselius & ego, onus suscipissemus apud ipsas partes, hoc est, Middelburgenses Antverpiensesque, inquirendi, anne ibi possint inveniri. Quod dum facimus, nolui interim omittere quin amplitudinem vestram hujus rei facerem certiorem, ut si quid sit, id perscribere dignetur. Quoniam Aldenardenses novum pastorem postulant, qua de re ad dominum Tiletanum scribendum amplitudo vestra censuit: Tiletanus ad id rescribens ad dominum Cardinalem, Pædagogum M. Buchonis junioris, quia Aldenardensis est, commendavit; in quem dominus Cardinalis satis inclinat, etiam intercessu meo, nisi quod scrupulum ei feci, anne amplitudini vestræ placeat ut a M. Buchone discedat: ideoque non alienum videri, si voluntas ea de re vestra expectetur. Sunt plura, quæ tum ad amplitudinem vestram, tum ad dominum Præpositum habeo scribenda; sed vocat me hora in curiam. Itaque ea differo in crastinum quo alius hinc est ad vos profecturus. Bene vale, amplissime domine Præses, cum domino Præposito, Styna, & amicis, cæterisque tibi charis. Uxor se vobis plurimum commendat, aitque solam sibi videri, propter vestram absentiam. Bruxellæ 7. junii 1561. magnificæ amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA V.

ARG. *Domum sibi Leovardiæ emere meditatur Viglius. Casu equi sui graviter laborat Card. Granvellani frater. De* Represaliis, *quibus usuros se adversus Dordracenses Angli minitantur.*

S. P. Quod ex literis meorum intellexi, amplissime domine Præses, te recte valere, omnia bene se habere, & ex animi sententia succedere, equidem jucundissimum mihi fuit agnoscere: oroque Deum optimum maximum ut & in perpetuum id tibi esse possit, & salvus sanusque, ubi animum expleveris, ad nos redire. Revertens, utinam per Stauriam iter sumas, ut nostrum agellum Hemlianum obiter videas. Non quidem quod in eo quidquam te dignum esse existimem; sunt enim vix mediocria, quæ tum illic, tum alibi habeo prædiola: sed quod per am-

plitudinem veſtam mihi honorem fieri plane ducam glorioſum. Dedi ea de re meis aliquid negotii, partim ad amplitudinem veſtram, partim ad dominum Præpoſitum, Heſſelium, Stynam, ac alios, ſed neſcio an fecerint officium; ſcripſerunt autem ſe facturos. Aiunt famam iſthic eſſe amplitudinem veſtram in animo habere, ædes Leovardiæ comparare. Quod ſi ita eſt, ſunt ædes cognatæ cujuſdam meæ, Hiſſæ, viduæ magiſtri Hermanni Arents, ex adverſo quæſtoris magiſtri Gerardi ſatis luculentæ, quas cupit diſtrahere. Amplitudo veſtra diſpiciet, quid opus facto videatur. Reverendiſſimus dominus Cardinalis, ejuſque fratres, rectè valent; niſi quod dominus de Champegny, caſu equi ſui, ſatis graviter ſe offendit : ſed res eſt extra periculum. Multum fuit hic negocii de repreſaliis, quas Angli de novo contra Dordracenſes minari videntur. Re diligenter deliberata, viſi ſunt Dordracenſes non juſtiſſimam cauſam fovere; quod formulas juris magis urgere, quam ipſum bonum & æquum ſequi videantur. Itaque inita eſt ratio, qua & Angli placari, & Dordracenſes ad juſta facienda, omiſſa ſcrupuloſitate, procedere poſſint. Bene vale ampliſſime domine Præſes, optime patrone. Reverendiſſimus dominus Cardinalis plurimam vobis juſſit adſcribi ſalutem. Idem uxor quoque petiit; omnes domino Præpoſito, Heſſelio & aliis cupimus eſſe commendati. Bruxellæ 1561. 9. Junii. Magnificæ amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA VI.

ARG. *Margaritæ Parmenſis ſtatutum de Viglio ex itinere revocando, Hoppero nequicquam obnitente. Huic interim ſigillandi munus demandatum.*

S. P. Si inconditæ hæ literæ videntur, ampliſſime domine Præſes, nihil eris miratus, quia paratus adire Conſilium, juſſu reverendiſſimi Cardinalis valde feſtinantis nec ullam moram patientis, ſtans pede in uno eas exaravi. Narravit mihi heri dominus Cardinalis apud illuſtriſſimam Duciſſam concluſum tum fuiſſe ut amplitudo veſtra revocaretur; quod audiens interceſſi quantum potui ne fieret, aut certè ad tempus differretur. Sed quantum colligo, nihil profeci; niſi illud fortaſſis aliquo modo

ſolatio vobis eſſe poterit, quod dominus Cardinalis mihi roganti reſpondebat ſe daturum operam ne nimis propera eſſet vocatio, nec impediretur quo minus ad ſtatum tempus iſthic morari liceat. Quod an factum ſit, cognoſcet amplitudo veſtra ex literis ipſius hic junctis, quas eadem ſarcina concludi ipſe voluit. Adduxit abhinc dies aliquot me dominus Cardinalis ad dominam Duciſſam & Conſilium ſtatûs; ubi de Provini cujuſdam hîc captivi a Bruxellenſibus, negotio, contra dominum de Lichtevelde retuli, deque aliis quibuſdam quæ mihi impoſuerat. Expeditio eorum quæ ſigillantur, tota quoque apud me eſt; quod neſcio an invidioſum ſit apud noſtros. Secundùm tamen ea quæ apparent, omnes mihi ex animo bene volunt: ipſeque quantum poſſum, officio & benevolentia eos mihi adjungo. Bene vale ampliſſime domine Præſes, unicum decus meum. Literæ domini Præpoſiti gratiſſimæ mihi fuerunt, tum quidem quod ab ipſo ſcriptæ, tum quod de vobis patriaque noſtra omnia bona prædicant, quibus permoleſtiſſimum mihi eſt non poſſe per temporis brevitatem reſpondere. Spero tamen ampliſſimam dominationem veſtram me ipſi purgaturam. Uxor vobis omnibus, cum domino Heſſelio, novis nuptis, Styna, & reliquis omnia fauſta ac felicia precatur. Raptim Bruxellæ 14. Junii magnificæ amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA VII.

ARG. *Novis Epiſcopis Brevia ab Urbe allata. Friderici Tantenburgi poſtulatum ridiculis ſatis rationibus nixum. Viglii reſponſum Ordinibus Brabantiæ datum, ad eorumdem querelas de novis Epiſcopis, quibus & apud Flandros adverſarii parati ſunt. Horum partes Joan. Molinæus, doctor Lovanienſis, ſcribendo & monendo fovet, aliter ſentiente utraque Facultate juris, & Theologicâ.*

S. P. Vos omnes bene valere, recteque eſſe, Snekenſeſque noſtros utcunque officium feciſſe, nec non nuptias ex animi ſententia tranſactas, Ampliſſime Domine Præſes, plurimum equidem & ex animo gaudemus. Quod tam ſollicite Ampli-

Amplitudo vestra de tribus illis Statuum Brabantiæ articulis rescribit, jubeo vos esse securos; recuperatum enim est quicquid eo pertinet, partim per dominum Brusselium, partim per me, literis ad Pensionarium Mechliniensem scriptis. De reliquis, si quid hactenus rerum prophanarum ad vos scripsi, nunc totus ero ecclesiasticus. Primum, quanta cupiditate Lovanienses nostri designati Episcopi, bullas suas hactenus expectarent, scis. Ea cupiditas nunc aliqua ex parte expleta est; allata sunt enim hesterna nocte ad Ducissam (nam Dominus Cardinalis nondum vidit) Brevia ipsorum, quæ quidem ad capiendam possessionem possent esse satis, nisi de dote adhuc aliquid restaret difficultatis. Pro cujus expeditione Pontifex Maximus Advisum jam primum Ducissæ petit, quanam potissimum ratione literas suas motu proprio debeat concipere.

Ea res, ut aliis fortasse moram injiciet, quo minus confestim possessionem capiant, domino Frederico Tautenburgio, certè, ut ego quidem illum video, nullo modo injiciet. Risimus enim suavissimè abhinc dies quinque aut sex, literas ejus, ad Præsidem, vice Præsidem, & reliquos duos Secreti Consilii; quibus Pontifici Maximo commendari petit, ut, non obstante mora reliquorum Episcopatuum, ipse suum Archiepiscopatum inire possit. Ac, ut Sua Sanctitas intelligat id jure fieri posse; nec quidquam prohibere, quominus Archiepiscopus aliquis sit, licet nondum habeat suffraganeos actu, dummodo potentiam habeat: addit Consultationem juris, quam unà cum literis commendatiis mitti postulat; ubi quinque validissimis legibus (nam de Canonibus verbum nullum) demonstrat, id jure Digestorum licitum ac permissum esse.

Statibus Brabantiæ ad libellum de Episcopatibus responsum est, ex formula, quam Amplitudo vestra apud me reliquerat: quam Reverendissimo Domino Cardinali tradidi. Quantum ex Molinæo intelligo, (nam is, quantum video, Statibus à Consilio est; nescio oblatus ultro ne, potius an vocatus) lecta est apostilla, in conventu Statuum, præsente Auraico Principe, & Comite de Meghem; quibus non omnino satisfacit, sic ut novi aliquid adornent. Et maxime quidem ex consultatione ipsius Molinæi, (ut ait), quam se dicit scripsisse luculentissimam, & ad me missurum. Quod velim sane illum facere, ut videre queamus ecquid nostris responsis desit, quæ jam ab utraque facultate Juris, nec non Theologiæ, sunt sigillata.

Si quid ego video, nihil erit ſatius, quam Epiſcopos iſtos novos quam primùm in poſſeſſionem inducere, priuſquam Status capita conferant. Nam & de Flandris audio neſcio quid ſuſurrari. Multum vereor ne bona veſtra nonnihil interpellarit ſubita vocatio Amplitudinis veſtræ per Duciſſam. Sed ſcito edictum non tam citatorium quam monitorium eſſe ; neque opus eſſe, ut ea re mutes aut minuas quæ ſemper conſtituiſti : magiſque ad condienda, quam interturbanda gaudia veſtra, (ut ego quidem interpretor) fuiſſe comparatum. Itaque velim non omittas, quin agellum noſtrum Hemlianum inviſas ; quod mihi pro leniendo tædio erit, quod per abſentiam veſtram hìc capio.

Retulit mihi heri Dominus Cardinalis, Romæ agi ut Theophilus noſter Galerum ipſi adferat. De Aggæo ſuaviſſimè hic riſimus ; mirorque, an promiſſis ſuis erga uxorem ſteterit. Cura, Ampliſſime Domine Præſes, ut valeas. Plurimam ſalutem vobis adſcribi juſſit Reverendiſſimus Dominus Cardinalis, cui otium non fuit ad ſcribendum ; nec amplius tam ſcripta veſtra, quam vos ipſos videre cupit. Uxor ſe etiam atque etiam vobis commendat. Omnes Domino Præpoſito, Stynæ, Heſſeliæ, nam Heſſelius abiit, aliiſque, multam ſalutem. Bruxellæ 22. Junii 1561. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA VIII.

ARG. *Quid de libello, à Neomagenſibus oblato, factum ſit. De Aggæo Albada, & alio quodam Hopperi familiari, ad Conſiliarii munus promovendo.* BRUXELLAS.

S. P. Quoniam de requeſta Neomagenſium interrogatus, Ampliſſime Domine Præſes, non ſatis vobis explicabam, ubinam eſſet, & quid de ea feciſſem : non potui animo conquieſcere quin Mechliniam veniens, has confeſtim ad Amplitudinem veſtram darem. Itaque, ut heri a prandio domum reverſus, miſi continuo Lambertum meum cum ipſa requeſta ad ſecretarium Bertii, ut diſpiceret ecquid ſchedas aliquas eo pertinentes penes ſe haberet ; qui reſpondit, non ſatis ſcire ſe,

ſed diſpecturum : & ſi quid haberet, ſub veſperam, unà cum ipſa requeſta, quam retinebat, ad me miſſurum. Quod quidem quoniam nondum factum eſt, poterit Amplitudo veſtra, ſi quid opus erit, eum ad ſe vocare.

De Aggæo ſpero vos adlaboraturos, ut voti ſui compos fiat; quâ de re nihil tamen ad eum ſcribam; ſed ut cogitet, etiamſi ipſum nominari contingat, electionem tamen dubiam fore & incertam.

Quod de Wrdio Amplitudo veſtra nuper quærebat, an ejuſmodi ſit, ut pro eo, qualem ſtatus Conſilii Luxemburgenſis requirit, probari poſſit : ſane mihi videtur omnino poſſe. De cujus & eruditione, & probitate, & uſu forenſi, fideque ac diligentia, liquidè ſpondeo. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes, optime patrone. Raptim Mechliniæ 17. auguſti 1561. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA IX.

ARG. *Suum Antverpiâ reditum ſpondet. Vectigalium immunitatem, neſcio quam, ſibi vindicant Antverpienſes; ſed ita, ut in litis conteſtatione vinci, quàm vincere, malint. De alia quâdam libertatis poſſeſſione nimiùm quoque & ipſi confidenter loquuntur. Dolet, quod Cardinali Granvellano, quum rubrum galerum, ab Roma miſſum, acciperet, coram gratulari non poſſit.* BRUXELLAS.

S. P. Quoniam per negotia nondum hinc movere me potui, Ampliſſime Domine Præſes, committendum non putavi, quin ea de re vos facerem certiores. Non quidem quod quidquam ſit, quod ſcriptione admodum dignum videatur; ſed quod officii mei eſſe exiſtimem, ut, ubi ſim, quidve agam, & quando rediturus videar (quod mediâ hebdomade ſequente futurum ſpero,) Amplitudo veſtra ex me intelligat.

Cui & hoc accedit, quod negotium iſtud immunitatis vectigalium, quam Antverpienſes ſibi competere aiunt, ita tractari video, ut quodammodo perdere litem, quam vincere

Magiſtratus malit : ſcilicet ut cives municipes domi potius maneant, exteroſque mercatores ad ſe trahant, quam immunes ipſi aliò mercatum proficiſcantur. Porrò, quod de poſſeſſione libertatis tam confidenter aſſerunt Antverpienſes, non ſine ſcrupulo eſſe reperio; adeo ut dubium ſit, pluresne actus libertatis ab Antverpienſibus, an ſervitutis à Publicanis, & eorum mancipibus proferantur.

Galenum doctoris Aggæi noſtri cenſui dimittendum, potiùs quam retinendum; ſcilicet, ut quo loco res ſit, quàm primùm Aggæus intelligat, quem id avidiſſimè expectare ſcio.

Quod illuſtriſſimi Domini Cardinalis ſolemnibus intereſſe non poſſum, nec Theophilum adhuc convenire : utrumque peræquè mihi moleſtum eſt. Sed ut aliquo modo habear excuſatus ad utrumque dedi literas, quas cum his junxi. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes, unice patrone. Antverpiæ 23. auguſti 1561. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA X.

ARG. *Procurat negotium, quod Academiæ Lovanienſi erat cum Ordinibus Flandriæ. Aliud Trajectenſium, ad Viglii ſententiam rejicit : ut & illud Antverpienſium, ad totius Senatus definitionem. De magiſtris Buchone & Folcardo, Viglii notis aut propinquis, qui Lovanii ſtudiis literarum operam navabant, breviter mentio facta.* BRUXELLAS.

S. P. Tandem abſolutis rebus Antverpienſibus, veni Lovanium, Ampliſſime Domine Præſes; ubi in novi Rectoris electionem forte fortuna incidi. Quæ privata hîc habeo negotia, non omnia illa quidem, ſed fere omnia, confeci. Publica, quæ ſunt inter Univerſitatem & Ordines Flandriæ, do operam ut quàm primùm conficiantur. Cupio enim quàm potero citiſſimè ad vos reverti, qua de re certi aliquid conſtituturum me puto, ubi Dominus Præpoſitus Morillonus venerit : quod hodie aiunt futurum.

Adiit me quoque Procurator Generalis Trajectenſis, juſſu Amplitudinis veſtræ, ut ait, de duobus illis Medicis, certo-

que privilegio Trajectensium : super quo amplius deliberandum censui, nec quidquam statuendum, nisi re ad Amplitudinem tuam relatâ. Tantumdem feci in negocio Antverpiensi, cujus præcipua capita ad totum Senatum rejeci. Nam illi sic causam agunt, (quod & nuper scripsi), ut cives suos munifices potiùs, quàm immunes esse velint.

Hodie magistrum Buchonem & Folcardum adibo, & examinabo, ut certi aliquid de iis vobis referre possim. Cura ut valeas, Amplissime Domine Præses. In diem crastinum, aut, ad summum, perendinum, quo omnino ad vos cogito. Lovanii 28. augusti 1561. Magnificæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XI.

ARG. *Narrat, quo ordine, & quâ gratulationis serie, à Mechliniensibus exceptus sit Cardinalis Granvellanus, novus eorumdem Archiepiscopus, quum Cathedram suam adiret.* BRUXELLAS.

S. P. Tametsi rebus cum Senatu, hodie, ut spero, confectis, Amplissime Domine Præses, me crastinâ die ad vos rediturum existimem; officii tamen mei esse duxi has præmittere, ut, quo pacto omnia successerint, Amplitudo vestra non modo intelligere, verùm etiam maturè cognoscere possit. Ordo igitur rei gestæ sic sese habet. Primùm, Illustrissimum Dominum Cardinalem, carrucâ suâ insidentem, à Geerdeghem, ad portas usque Mechlinienses, magno equitum comitatu deduximus. Antequam portam ingrederetur, descendit de carruca, sumptoque galero Cardinalitio, pedes ingressus est, habens ante se sceptrum & crucem argenteam. Ibi adfuit uterque Ordo civitatis, Ecclesiasticus & Prophanus, qui eum luculentissimâ oratione, quam Pensionarius Vercammen latinam habebat, exceperunt. Quâ peractâ, unà cum aliis solemnibus ascendit mulam Dominus Cardinalis. Et præcedente toto fere equitatu, & post eum Magistratu civitatis, cui succedebat proximè ante Cardinalem, cum sceptro & cruce, quæ in equis præferebantur, & duobus utrimque stapiariis, qui pedites cum deargentatis baculis ambulabant, Ordo

Ecclesiasticus, urbem ipsam ingreditur; pone eum sequente domino Faveroneio fratre, cui dominus Cobelius, & ego, utrumque latus jussi claudebamus, comitante nos aliqua adhuc parte equitum.

Hoc ordine a porta, per forum frumentarium, & viam Divæ Virginis, processum est, usque ad Pitzenborch; ubi de mulâ descendit, habitûs Archiepiscopalis sumendi gratiâ. Interea descendunt quoque de equis omnes equites; & depositis penulis, dominus Cobelius, & ego, sumimus vestes longas, jungimusque nos ordini Magni Consilii, qui dominum Cardinalem, summâ gratulatione, in Pitzenborch exceperat. Sumpto habitu Archiepiscopali, progreditur dominus Cardinalis pedes; præcedunt eum equites, jam pedites facti; Magistratus, & Clerus Sancti Rumoldi; sequitur Magnum Consilium; iturque hoc ordine, per Brulam & medium forum, usque ad Templum. Ubi, post nonnullas cerimonias peractas, in cathedra collocatur, fitque Sacrum valde solemne, ipso dante benedictionem, tam ante Missam, quàm post. Celebrabant Sacrum Dominus Decanus, Conthaultius, & Decanus ruralis, frater Elysabethæ vestræ: Cantorem agente, primùm Malpassio, deinde Francisco vestro; & sedente ab una parte chori Clero Sancti Rumoldi, & ab altera magno Senatu, cum quo Cobelius & ego eramus, & Magistratu urbis.

His peractis rebus, egreditur templum Cardinalis, manu prehendens Præsidem. Egressus ascendit mulam, habens ante se magnum equitatum omnis generis nobilitatis, cui dominus Præses, & aliquot Consiliarii nos jungimus, eumque domum deducimus. Ubi postquam perventum, ascendimus magnum cænaculum, ubi pransurus erat Dominus Cardinalis cum suis. Qui postquam post aliquantulum moram ad nos processit, & ad dominum Præsidem, & me, rectâ venit, oblatâ occasione salutavi eum ab Amplitudine vestra verbis, quàm potui, amplissimis, precatusque sum omnia fælicia ac fausta; dicens me a vobis ad hoc speciale habere mandatum: quod illi modis omnibus longe fuit gratissimum. Accumbens, proximè sibi junxit dominum Præsidem, Decanum, Scholtetum, & Burgimagistrum. Inde accubuerunt Consiliarii omnes, & post eos Canonici, & Magistratus; fuitque exhibitum convivium valde amplum ac prolixum, cui nec sermones hilares, nec musici defuerunt. Unum omnes mirificè recreavit, quod Illustrissi-

mus Dominus Cardinalis, cum omnes hilariter invitasset, etiam Amplitudinem vestram solemnitatis & convivii sui voluit esse participem. Nam sumpto pleno vase, cum honoris vestri summâ præfatione, Amplitudini vestræ propinavit, meque ejus sponsorem esse voluit, quod cum eâ qua decuit reverentia accepi; præbibens paulò post, nomine Amplitudinis vestræ, domino Præsidi magni Consilii: quod Domino Cardinali perquam fuit gratum. Peracto convivio dictæ sunt gratiæ, non verbo, sed cantu longè suavissimo. Quo finito, omnes surreximus; abeuntibusque aliis, cùm eos prope omnes dimisisset, tandem me ultrò amplexus est, &, ut Amplitudinem vestram quam diligentissimè ac officiosissimè a se salutarem, injunxit.

Habes, Amplissime Domine Præses, ordinem totius rei gestæ, quæ certè, laus superis, bene & ex animo successit; adeò ut nihil intercesserit, quod ejus solemnitatem aliquo modo retardarit. Unum, in summo gaudio, mortalitatis nos memores esse debere admonuit, morbus scilicet Hannetonii; qui in media Missa, non longè ab Reverendissimo Cardinali, illi accidit.

Alterum contigit ridiculum, quo Mameranus Langium fortassis exercebit, si rescifcat. Euntibus nobis à Geerdighem ad urbem, cum omnia pulcherrimè apparata, & viæ mundatæ essent, quâ rectà itur ad portam, Langius nos duxit per avia & devia, & viam ad talos usque lutosam. Id Bavius dicit eum fecisse, ne arvum, quod in medio habet, frumento consatum, ab equis conculcaretur. Bene vale, Amplissime Domine Præses; & hæc incondita, quæ effudi verius quam scripsi, boni consule.

Quod fere omiseram, est Bronckhorstius quidam, qui pro conditione Hollandica valde sollicitat. Cujus nomine quum vehementer rogatus sim apud Amplitudinem vestram intercedere, non potui diffugere quin id susciperem; reliqua prudentiæ vestræ & arbitrio committens. Iterùm vale, Amplissime Domine Præses, patrone unice. Raptim ut vides, Mechliniæ, 22. decembris 1561. Magnificæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA XII.

ARG. *Curasse se, & porrò curaturum, ne, quam animi laxandi caussâ Gandavi moram faciebat Viglius, negotiis ullis interturbetur, Sententia lata a Consilio Hollandiæ, in caussa Pastoris Amsterodamensis. Margarita Parmensis, quidquid ipsi libellorum aut literarum offertur, ad Hopperum mittit; is ad Granvellanum, tùm ad Viglium refert.* GANDAVUM.

(*Pascha, hoc anno* 1562. 29. *Martii.*)

S. P. Acceptis vestris literis, Amplissime Domine Præses, (quod fuit heri in cœna) nihil prius habui quàm ut ad Reverendissimum Dominum Cardinalem excurrerem, &, ne ullis negotiis, quorum in prandio meminerat, ocium vestrum interpellaret, rogarem: quod se perlubenter facturum amicissimè respondit, nec aliud ad Amplitudinem vestram, quàm de rebus Gallicis, scripturum. Sunt multi qui propter adventum Statuum Brabantiæ vos vellent adesse; sed ego non video cur ea de re Amplitudo vestra properare, &, quod tam raro conceditur, dulci ocio minus indulgere debeat. Itaque uti in utramque aurem dormiatis, & suavi ista vita solidè fruamini, jubeo. Nam ne majoribus aliquibus negotiis interturbetur, quemadmodum Illustrissimus Dominus Cardinalis facile præstabit; ita, ne quid minorum rerum sit, quod molestiam adferat, ego omnibus modis operam dabo. Allatæ sunt heri literæ a Consilio Hollandiæ, quibus ad decimam sextam hujus mensis, in causa magistri Florentii Pastoris Amsterodamensis, sententiam latam esse significatur; cujus exemplum quoniam transmittit Dominus Cardinalis, unà cum ipsis litteris, nihil opus est quod formam ejus, quæ ad advisum Magni Consilii ferè reddita est, hìc inseram.

Sua Celsitudo eum mihi defert honorem, (quod vobis acceptum ferendum est) ut, quidquid illi offertur supplicationum aut literarum, ad me mittat, ut de iis ad Reverendissimum Dominum Cardinalem referam; quod quàm possum diligentissimè obeo. Itaque omnia annoto, ut promptam Amplitudini vestræ de cunctis redditurus sim rationem.

Cura

Cura, Ampliſſime Domine Præſes ac Patrone, ut valeas, meque omnibus modis totum tuum etiam atque etiam putes. Reverendo Domino Prælato, nec non Domino Præpoſito, Heſſelio cum ſua, & Stynæ, plurimam opto ſalutem. Raptim Bruxellæ 20. Aprilis 1562. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XIII.

ARG. *Chartas omnes quæ ad cauſſam D. De Chaulnes, ut & Archiepiſcopi Ultrajectenſis, tùm ad negotia Luxemburgenſia pertinent, Viglio remittit.*

MOn tres honoré Seigneur. Comme moy venant a la maiſon de Votre Seigneurie, pour vous delivrer les pieches eſtans en mes mains, Votre Seigneurie eſtoit ſorty; & que m'avies dict, ce matin, que poſſible l'on traicteroit aujourdhuy des affaires du Sieur de Chaulnes: enſemble, que le ſecretaire Vander Aa, ayant eſté aujourdhuy vers moy, me dict, que Madame eſtoit auſſy d'intention de mectre en avant les affaires de Luxembourg, aſſcavoir d'Emmerin, Mehon, & Theonville: y joinct que le meſſagier d'Hollande eſt icy, attendant après l'affaire de l'Archeveſque d'Utrecht, mentionné par la lettre de ceulx du Conſeil d'Hollande; n'ay voulu laiſſer de vous envoyer les pieches concernans leſdittes trois affaires, afin que la depeſche d'iceulx par moi ne ſoit aulcunement retardée. Le tres humble ſerviteur de Votre Seigneurie JOACHIM HOPPER. *le* 28. *Avril* 1562.

EPISTOLA XIV.

ARG. *Viglii ex ſorore neptem, Idam, Clementiæ Hoytema ſororem, à Rattaleri fratre ad nuptias expoſci nunciat; tum, multam ſe Mechliniæ voluptatem capere ex elegantiſſimis novellæ illius Eccleſiæ Metropolitanæ cerimoniis. Cætera de Magiſtratu Tholnenſi innovando, & præviis aliquot negociis.*

S. P. Quod per Dominum Præpoſitum Morillonum nihil ſcripſeram, Ampliſſime Domine Præſes, partim per abitum ejus nec opinatum acciderat; partim verò, quod ſcrip-

tione dignum nihil admodum haberem. Nunc autem ab amico quodam hodie aditus, & mihi argumentum ille dedit ad ſcribendum, & fortaſſis Amplitudini Veſtræ materiam dabit ad cogitandum: quamquam ego non amplius quam nudi nuncii, &, ut noſtri Juriſconſulti loquuntur, organi partes, hac in re aut ſuſtinere, aut præ me ferre velim.

Is ergò, qui me adiit, noſter eſt Ratallerus, qui ſe fratrem habere ait apprimè modeſtum & frugi hominem, usûs forenſis & Rei Quæſtoriæ valde peritum; ſic, ut pro Graphiario Friſiæ aliquando fuerit nominatus, & commiſſarius Van Loo non ita pridem laborarit, ut inter Magiſtros Rationum Hollandiæ referretur. Eum his diebus hìc Mechliniæ fuiſſe inquit, nec alia de re veniſſe, quàm ut ambo porrò Bruxellam ad Amplitudinem veſtram proficiſcerentur. Quod autem petit, eſt, quod ad Idam, D. Jetſæ & Mintzæ ſororem, animum adjeciſſe videtur; quam ut in matrimonium ab Amplitudine veſtra peteret, huc erat profectus. Sed non auſus fuit eam audaciam ſumere Ratallerus. Verùm quoniam ego expectabar, cenſuit in meum adventum rem rejiciendam; quod & factum eſt. Cui id enixè petenti, reſpondi, libenter eam me operam ſumpturum, ut deſiderium hoc fratris Amplitudini Veſtræ ſignificarem, ſive coram, ſive per literas. Sed, quantum ad cætera pertinet, me iis rebus non immiſcere; quod nec ſe quoque poſtulare aiebat: addens, ultra ſexcentos paratos, illum annuos habere aureos circiter centum ſexaginta ſex; ex quibus centum, & eo amplius, non perpetui redditus ſunt, ſed liberalitatis Regiæ, ad vitam. Exiguus ſane cenſus: niſi hominis induſtria & virtute valde compenſetur; qua de re Amplitudo Veſtra pro ſua ſingulari prudentia poterit cogitare, (nam ipſe eum nunquam vidi); & quoniam frater Gerbrandus venturus eſt, cum eo communicare & conſilium capere. Planè ſi fraternizat, non diſpliceret mihi, nec ingenium nec mores, nec etiam familia. Cui accedit, quod etiam Magiſter Rationum Hollandiæ effectus, non alienum eſſet ut Graphiario veſtro Berthoutio ſuo tempore ſuccederet. Sed primum omnium eſt, ut cuncta prius diligenter explorentur.

Et me non parum movet, quod illum ſemel conjugatum fuiſſe Ratallerus ait, (ne quidquam ſubticeat), idque cum filia graphiarii Boymer, ex qua filiolam habet ſuperſtitem. Quamquam addit rationes illius jamdudum explicatas eſſe, & peni-

tus à paternis ſeparatas. Verum ut ut ſit, omnia diligenter perquirenda & exploranda, (quod & Amplitudinem Veſtram omnino facturum puto), cenſeo.

De negocio hìc meo, id ſatis procedit; ſed in quem diem abſolvi poterit, nondum conſtat; urgebo tamen quantùm potero. Interim fruar non modò hoc ocio, (ſi modò ita dicendum eſt) verùm etiam elegantiſſimis iſtis hujus Eccleſiæ Metropolitanæ novellæ cerimoniis; in quibus dirigendis Dominus Malpaſſius, & alii, ad quos eæ res pertinent, præclarè funguntur ſuo officio. Et ſanè ita permovent animum meum, ut credam, ſi ipſi hæretici eas ſubinde ſpectarent, multo mitiores & æquiores evaderent.

Quoniam tempus appetit quo Magiſtratus Tolnenſis reficiendus eſt, volui admonitam Amplitudinem Veſtram ſuper quadam ſupplicatione Magiſtratus; de novis decanis, ut ipſi aiunt, admiſſis, viſum eſſe Curiæ, ut, ad finem omnibus querelis ſemel imponendum, in Curiam vocentur Decanus, Ballivus, & Deputati duo ordinis. Quod an rectiùs ante refectionem Magiſtratus futurum eſt, an poſt, nihil dictum eſt. Sed quantum mihi videtur, & quidem multis de cauſis, longè rectiùs fieret ante refectionem Magiſtratus, poſſetque interim vetus Magiſtratus per literas continuari, & eâdem operâ ſcribi, ut, ſecundâ ſeptimanâ poſt Pentecoſten, ſupradicti Decanus, Ballivus, & duo deputati, Bruxellæ adſint. Si autem placet ut refectio fiat ad decimam tertiam hujus menſis, antequam ſupraſcriptum negotium fuerit abſolutum: e re videtur, ut, qui ejus rei erunt commiſſarii, Decanum ſummariè audiant ſuper dictis novis querelis Tolnenſium, & teſtes per eos allegatos examinent; ipſoſque, quos dixi, ad dictam diem Bruxellam venire jubeant. Probatur tamen magis quod ſupra dixi; quoniam, niſi re compoſitâ aut deciſâ, difficillimum erit aliquos invenire, qui non harum aut illarum ſint partium. Cui accedit, quod inter cætera, Tholnis agens, inquiſivi in eos, qui maximè ad Magiſtratum gerendum idonei videantur; quorum nomina habeo annotata: probatque alios Decanus, alius Ballivus. Literas, quæ ſuper vocandis ſupradictis Decano, Ballivo, & aliis, mittendæ ſunt, & quas concipere Curia mihi juſſit, nondum, per alia negocia, confeci: confectas cras aut perendie mittam. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes; & ſi quid eſt quod Amplitudo Veſtra per me confici velit,

dignabitur liberrimè imperare. Mechliniæ 3. Maii 1562. Magnificæ Amplitudinis Veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XV.

ARG. *Valencenis negotium aliquod, quod quale ſit haud indicat, terminatum eſſe, gratulatur. Granvellano multi obloquuntur, auctâ ſcilicet ab acceptâ infulâ Mechlinienſi invidiâ. De Viglii amicis & conſanguineis, qui Lovanii ſtudiis literarum incumbebant, quid agerent aut cogitarent.* BRUXELLAS.

S. P. Quod per Nicolaum nihil dedi literarum, Ampliſſime Domine Præſes, eâ de causâ factum eſt, quod, dum in palatio eſſem, ſubitò eſt profectus; idque me nunc omnium maximè occupato, propter ſententiæ dictionem, in qua ſumus, ut heri ſignificavi: adeò ut brevi me ad vos rediturum ſperem. Valencenis rem eouſque deductam eſſe, ſanè gaudeo; nec dubito quin etiam cætera Deus providebit. Tantum opus eſt ut, quo pacto in futurum bene proſpici poſſit, etiam atque etiam cogitetur. Mira enim mihi Dominus Præſes hîc recitavit, quæ à Canonico quodam Leodienſi, qui Valencenis venerat, habebat.

Patroni noſtri calumniatores, nuſquam non, ut Amplitudo Veſtra ſcribit, venenum ſuum ſpargunt; eſtque is, de quo nuper memini, non ſolum emiſſarius eorum, ſed & inſtigator. Verùm dabit Deus his aliquando finem.

Convenit me poſt decimam Dominus Bueſinchemus, noſter quæſtor, qui Lovanienſes veſtros omnes ſe viſiſſe ait, & omnia omnium rectiſſimè ſe habere; idque ut ad Amplitudinem Veſtram perſcriberem, aut certè coram referrem, rogavit. Nominatim de fratre, ſe cum illo ſolum collocutum, & liberius monuiſſe: qui perbenignè reſpondit, non meminiſſe ſe, quod aut verbo aut facto, quidquam gravius peccarit: ſed tamen ſi quid eſt, ſe jam totum in hoc eſſe, ut magno ſtudio, diligentia, modeſtia, & denique in vos colendo pietate, id reſarciat. Joannem dicit ad Jus Pontificium animum adjicere, ſpemque concepiſſe, ut brevi tempore Doctor evadat. Bene

vale, Amplissime Domine Præses, optime patrone. Mechliniæ 11. Maii 1562. Magnificæ Amplitudinis Vestræ paratissimus ac humillimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XVI.

ARG. *Litem, quâ de causâ Mechliniam ierat Hopperus, brevi finiendam esse.* BRUXELLAS.

S. P. Quamquam nihil habeam quod scribam, Amplissime Domine Præses, dans tamen literas ad uxorem, hoc ipsum volui scribere. Sed & illud quoque fortasse non invitus Amplitudo vestra intelliget, processum meum eo perductum esse, ut hodie sententiæ cœptæ sint exquiri: quod hoc biduum fortasse, propter punctorum multitudinem, sed non amplius, durabit. Interim Deum optimum maximum oro, ut Amplitudinem Vestram sanum & salvum conservare velit. Raptim Mechliniæ 11. Maii 1562. Accepi heri literas ab Domino Igrammo, qui omnia in Frisia rectè esse, & Rosseium strenuè procari scribit. Magnificæ Amplitudinis Vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XVII.

ARG. *Litem aliam, quæ jam annos totos quindecim duraverat, ipso coram Mechliniæ finiendam esse. Litteræ ad Tholnenses missæ.* BBUXELLAS.

S. P. Parantem me abitum, Amplissime Domine Præses, convenit Præses hujus Consilii, quærens, ecquid cum exigui temporis, hoc est tridui dispendio, magni alicujus boni causa esse velim? Roganti quid id esset, respondit, litem hìc esse inter Boullinos fratres, quorum alter Graphiarius est, quæ totos annos quindecim variè hìc fuit agitata, sæpeque magnas dat turbas in Senatu: eam se cupere, me præsente, definitam. Tum quidem quod olim ea in re relator fuerim; tum quod Graphiarius manifestè præ se fert, se suspectum habere Molenarium, nunc relatorem; nec ullo modo passurum ut ad

ejus relationem lis judicetur, nisi me præsente : quod & ipse uti fieri possit, sæpe ac multùm me rogavit ; idem obsecrante quoque parte adversâ, per omnia divina & humana. Quibus omnibus respondi, me, si quid queam, non recusaturum ipsis operam meam : sed sine venia Amplitudinis Vestræ id nec velle, nec posse. Itaque rogarunt ut Vos ejus rei certiores facere vellem ; quod recepi me facturum, idque sanè communis boni causâ, ne quid amplius mali, quemadmodum frequenter accidit, inde existat : sperans & confidens Amplitudinem Vestram non gravatè admissurum, ut & huic ordini, & amicis veteribus, istud quicquid est operæ præstem. Quare dilato in hos pauculos dies reditu diu sperato, puto, volente Deo, ad diem sabbati vos videre ; nisi Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Cardinalis, cujus solenni officio, si quod celebraturus est, cuperem interesse, in diem Lunæ rem differat ; de quo in præsenti consilium capiam. Coram, quæ conferam, habeo permulta ; interim rogans Deum immortalem, ut Amplitudinem vestram salvam ac incolumem nobis reipublicæque servare velit ; & instans Spiritus Sancti festum, vobis, fratrique, quem audio venisse, fælix præbere & salutare. Raptim Mechliniæ 14. Maii 1562. Tabellarium cum literis ad Tolnenses per Mesdach, jussu vestro, ad me missum, rectâ eò pergere jussi. Magnificæ Amplitudinis Vestræ paratissimus ac humillimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XVIII.

ARG. *Plura enimverò esse quæ fratrem Rataller a speratis nuptiis prohibere videantur. Dolet Tholnensium pacem malè constitutam ; utque redintegrari possit, allaborat. Apud Mechlinienses plerique novo suo Archiepiscopo favent ; e malevolorum numero unus eum, inter cœnandum, maledictis proscindit, ægerrimè id ferente Hoppero.* BRUXELLAS.

S. P. Quoniam nihil mihi in vita jucundius, Amplissime Domine Præses, quam Amplitudinis Vestræ lateri assiduo adhærere, do modis omnibus operam ut quàm ocissimè hìc absolvi, & ad vos reverti possim. Interim objurgo uxorem

per literas quod minus facit officium; quamquam valetudini & affectioni sororis, optimæ sanè matronæ & lectissimæ, aliquid est indulgendum. De fratre Ratalleri sunt sanè illi scrupuli minimè leves; & me commovebant etiam statim ab initio plurimùm: sed habebit fortasse aliquid frater, quod ad rem pertinebit, & animum Amplitudinis Vestræ in hanc aut illam partem inclinabit.

Tolnensium pacem per me constitutam non firmiorem fuisse (quemadmodum nimis verè Amplitudo Vestra jocando semper divinavit) vehementer doleo; & quidem eo magis, quod per Decanum fieri videtur, quo minus teneat: quod, propter exemplum, his exulceratissimis temporibus minimè me hercule convenire videtur. Et quidem Curia, eâ re commota, censuit, antequam res longius progrediatur, partes huc evocandas: ut vel finis toti negotio imponatur, vel ad Consilium Hollandiæ remittatur, prout secundùm merita causæ videbitur expedire.

Qui huic relationi interfuerunt, plerique omnes absunt, excepto Domino Cancellario; quem omnium puto optimè meminisse. Quippe qui ex sententia Curiæ resolvens, inter cætera hoc mihi expresè injungebat, ut in literis ad Decanum scribendis, nominatim puellæ mentionem facerem: quod feci, quemadmodum ex exemplis his junctis Amplitudo Vestra intelliget. Quibus & supplicationem istam, quam pro concipiendis literis mecum detuleram, adjunxi; ut, quo loco res sit, Amplitudo Vestra plenius cognoscere possit. Non concepi alias literas ad Ballivum, alias ad Magistratum; quoniam unæ mihi visæ sunt sufficere. Statuet tamen Amplitudo Vestra, quod pro sua singulari prudentia videbitur convenire.

Mechlinienses de suo Archiepiscopo plurimùm sibi gratulantur. Pauci sunt malevoli; ex quibus unus, his diebus, in cœna, suis maledictis in optimum ac innocentissimum virum, ita me affecit, ut, quoniam continere me debebam, iramque retinere, idque magna vi, totam noctem insomnem ducerem, & postridie malè valerem. Tanta erat hominis intemperies & maledicentia.

De fratre meo, scribit Sickinga noster, ita actum esse uti voluimus; qua de re amplitudini vestræ immortales etiam atque etiam habeo atque ago gratias: quæ non solum me immeritissi-

inum, verum etiam meos, tanto affectu, quantum a patre vix liceret expectare, complectitur.

Domini Aggæi nostri uxorem Spirenses mores non satis ferre, doleo : sed spero fore ut tempus multa leniat. Cura, amplissime domine Præses, unice patrone, ut valeas; teque diu reipublicæ ac nobis incolumem conserves. Mechliniæ ipsa Ascensionis 1562. Magnificæ Amplitudinis Vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XIX.

ARG. *Reditum suum in diem crastinam dilatum esse.* BRUXELLAS.

S. P. Quod constitutum erat, Amplissime Domine Præses, ut hoc vespere ad vos redirem, multis modis dedi operam ut id efficerem. Sed, quamquam quidem res eo perducta sit, ut nihil aliud restet quàm ut sententia conscribatur & pronuncietur : quia tamen dies festus est, necessum est ut in crastinum mane differatur. Itaque ne ob tam modici temporis lucrum cum majori dispendio huc mihi sit revertendum : & causæ Brederodianæ unius semidieculæ mora nihil potest adferre detrimenti : contenderunt hìc nostri, ut in horam octavam crastinam, donec sententia pronunciata erit, profectionem meam vellem prorogare. Quod quidem, uti justè denegare non potui, ita mei officii & observantiæ erga vos meæ omninò esse putavi, ut amplitudinem vestram ea de re facerem certiorem; confidens eandem in meliorem æquioremque partem id accepturam. Bene vale, Amplissime Domine Præses, optime Patrone, & me sub horam secundam pomeridianam cras adfuturum certò tibi persuade. Raptim, Mechliniæ, ex ædibus Domini Berquini, qui se Amplitudini vestræ plurimùm commendat, 8. septembris 1562. Magnificæ Amplitudinis Vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XX.

ARG. *Theologorum, & Juris Canonici Interpretum ſententiam, Lovanii exquirit.* BRUXELLAS.

S. P. Quoniam Dominus Theſaurarius ad vos ibat, Ampliſſime Domine Præſes, relinquens me hîc ſolum, donec negotio, nunc pene abſoluto, quaſi faſtigium imponatur; conſcripſi hæc tumultuariè, ne vacuus rediret.

Communicavimus hîc cum Theologis, quos in re propoſita non modo non difficiles, ſed planè faciles reperimus; tradideruntque hodie ſuum nobis ſcriptum, quod in eandem penitus ſententiam, cum meo reſponſo, quod aliàs dedi, planè convenit. Communicavimus etiam cum Canoniſtis, ſed non eodem ſucceſſu; nam aſſentiente nobiſcum Elberto, (*a*) diſſentit planè Vulmarus, niſi quod, poſtremo hoc colloquio, facti ſpeciem pauló melius intellexit, quàm prius viſus eſt intelligere. Promiſerunt autem reſponſum hodie admittere; ita ut, omnibus rebus expeditis, cras, volente Deo, ad vos ſim reverſurus: quod & uxori nunciari per aliquem ſuorum Amplitudinem veſtram curare velim.

Venerunt ad me ſatis ſolenniter Tbeologi, de re non levis momenti. Sed quia properat Theſaurarius, jam petaſatus, reſervabo in craſtinum. In id tempus, Ampliſſime Domine Præſes, bene vale. Tui hîc omnes bellè valent. Raptim Lovanii 6. Decembris 1562. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

(*a*) Leonino.

EPISTOLA XXI.

ARG. *De novo Indulto generali Burgundico. Totum se negotiis publicis, & illustris Viglii, patroni sui, obsequio, vovet Hopperus. Electionem Abbatis de Hennin-Lietart in Viglii reditum rejicit Granvellanus; qui Belgarum quorumdam Procerum de se querelas, & Philippi Regis ad eas responsum, cum Hoppero communicat. De adventu Comitis Arenbergensis; & Cameracensis Archiepiscopi, cum Valencenensibus, disceptatione. Quæstorem Viglio, cui Præpositura S. Bavonis, Beneficium in primis locuples, nuper obtigerat, Hopperus fieri cupit Aertrickium.*

(*Hæc, & sequentes XII. Epistolæ, missæ sunt, pars Gandavum, pars in* Loo Christi, *pagum Gandavo suburbanum : ubi tum temporis morabatur Viglius, occasione novæ suæ Præpositura.*)

S. P. Ut heri ad Dominum Cardinalem veni, Amplissime Domine Præses, relaturus de quibusdam rebus; & cum eo paulo ante fuisset Castilio noster; negotium mihi dedit, ut ad Amplitudinem vestram quâdam de re scriberem; quam nescio an ipse satis intellexi. Visus est mihi dicere, (nam pudebat denuò sciscitari) quoddam esse vetus, jam tum à temporibus Dominæ Margaritæ, profectum Indultum particulare Burgundicum : cujus, quoniam in novo indulto generali, quod nunc concessum est, nulla est facta mentio : vereri se, ne qua illi fraus fiat; nisi forte Amplitudo vestra aliquid habeat, quod ad eam rem faciat, & scrupulum hunc eximat.

Quod Amplitudo vestra mihi injunxerat, ut, si quid incurreret majoris rei, quod festinatione indigeret, ego ad vos legarer, suavissimè risit : quærens, an ne satis sit, Amplitudinem vestram abesse, ut etiam me ad se alliciat? qui, si quid hactenus feci, duplicare posthac debeam, ut tanto magis magisque Amplitudo vestra sublevetur. Cui ego respondi, eam esse magnitudinem vestrorum in me meritorum, & rursum

meæ erga vos obſervantiæ, ut nihil imponi poſſit, quod non & libenter ſim ſubiturus, & non oneris, ſed beneficii loco habiturus. Imò decreviſſe me, ſtudia intentiora (quorum amore tametſi nunquam omiſi officium, minùs tamen ipſe mihi viſus ſum accelerare nonnunquam) prorsùs ſeponere, ut ad rem gerendam tantò ſim expeditior. Sed & pudorem illum ſtatuiſſe deponere, quo impeditus, & ad referendum minùs audacter me ingero, & invidiam metuo noſtrorum : qui, ſi quid geri a me videatur diligentius, (uti nunc duobus hiſce proximis menſibus fere ſemper primus veni in Senatum ; quod juſſu veſtro facio, & ſemper facturus ſum) id non in optimam partem accipere videntur. Quam quidem invidiam omni officio, comitate & obſequio, ſtudebo ſuperare.

Poſt hæc retuli ad Dominum Cardinalem de eligendo Abbate de Hennin-Lietart, ſuper quo informationem ſuam miſit Dominus Atrebatenſis : ſed reſpondit, ſe velle rem ſervare integram in reditum Amplitudinis veſtræ. Subjiciens deinde multa de eo qui in Burgundiam mittitur ; de aliis, quorum nomine ad Regem querelæ de ipſo factæ ſint, & quid ad eas Rex reſponderit. Qùod ſcripto comprehenſum legendum mihi tradidit ; de quo ſane ſolidè & ex animo gaudeo.

Dominum Arenbergenſem in proximum diem Jovis ait expectari.

Negotium Domini Cameracenſis contra Valencenenſes ſatis diligenter progreditur, ſed nondum totum confectum eſt.

Mitto cum his binas litteras, alteras domini de Courieres, quantum intelligo, quæ hodie redditæ ſunt; alteras domini Baeſdorpii, quæ heri. Cujus quidem deſiderium, uti non poſſum non plurimùm Amplitudini veſtræ commendare (nam & conjunctio noſtra hoc poſtulat, & meretur fides & diligentia Aertrikii, qui etiam quæſtoris veſtri partibus in ea regione Flandriæ non male fortaſſe fungi poſſet) ita in eam partem commendationem hanc accipi velim, quatenus nemini noceat. Nam ipſius cauſsâ excludi alios, contra officium eſt. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes, optime patrone. Uxor ſe vobis etiam atque etiam commendat; & de ſalutandi officio, non omiſſo quidem, nam jam in via erat, ſed minus diligenter præſtito, excuſari rogat. Bruxellæ 24. Januarii 1562. Magnificiæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXII.

ARG. *Solenni ingressui, quem Gandavi proximè facturus erat Viglius, præsens adesse desiderat. Reditum illius expetunt Dux Parmensis Margarita, & Granvellanus. Simonis Regnardi tacitæ machinationes. De Belgarum ad Moscovitas navigatione, cum iisque initis commerciis, queritur Rex Sueciæ. Graviora negotia ferè omnia in Viglii reditum rejicit Card. Granvellanus.*

S. P. Literæ vestræ, Amplissime Domine Præses, unice Patrone, jucundissimæ mihi fuerunt. Tum quidem quod sani salvi iter perfeceritis; tùm verò, quod omnia succedunt ex sententiâ; de quibus, ita me Deus amet, non minus gaudeo, quam de meis propriis peculiaribusque rebus. Solenni ingressui vestro, utinam interesse mihi liceat! (*a*) Sed, quantùm illustrissimum Dominum Cardinalem video, & negotiorum, si non magnitudinem, multitudinem certè, difficile poterit impetrari. Utcumque res cadat, (nam tentabo quid queat impetrari) licet corpore absens, optimâ tamen mei parte vobis adero, & in media pompa, mediisque comitantium ordinibus versabor.

Literas vestras ad suam Celsitudinem, ipse hoc mane reddam; nec dubito, quin eam satis facilem Amplitudo vestra sit habitura.

Sed fert absentiam vestram molestiùs Dominus Cardinalis; sed facile eum placatum reddam: erat enim heri multo mitior, quam fuerat superioribus diebus.

Novarum rerum hic nihil est, nisi quod Reynardus apud Dominam Ducissam heri fuit, & proceres nostros adit, prehendit; nolo dicere cætera.

Quantum audio quotidie, allatæ sunt literæ Regis Suecorum, quibus de navigatione nostrorum ad Moscovitas, & de commerciis cum iis conqueritur.

Allatæ sunt quoque Literæ Procuratoris Regiæ Majestatis Spiræ, de Comite Bergensi, aliisque quibusdam de rebus. Cæ-

(*a*) Solennem hunc ingressum Gandavi habuit Viglius die 3. Februarii proximâ.

tera minutiora ſunt, quam ut iis perſcribendis Amplitudini veſtræ velim eſſe moleſtus. Et ſi quid ſubinde offertur majoris momenti, id in adventum veſtrum Dominus Cardinalis ferè rejicit, quemadmodum & ſuperioribus literis ſignificavi. Literas ad Nepotem, & Damantios, eâdem horâ, quâ accepi, Lovanium perferendas curavi. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes, optime parens ac patrone. Bruxellæ 27. Januarii 1562. Ne quid ſolitarum facetiarum vobis deſit, heri ad vos profectus eſt Mameranus, ut & Styna habeat quem exerceat. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS. —— Inſcriptionem literarum nondum auſus ſum mutare, quod neſciam an Amplitudini veſtræ placeat. (*b*)

EPISTOLA XXIII.

ARG. *Antverpienſes Duci Parmenſi libellum offerunt, novi ſui Epiſcopi cauſſâ. Gratulantur Viglio honorum ac fortunarum incrementum; adduntque, inter cæteras laudes ejus, ſe plus ſolidi reſponſi ab eo ferre, quartâ parte horæ; quàm ab ſuo Cancellario, quum loquendo, duas aut tres horas integras abſumſit. Baeſdorpii impudens petitio retuſa.*

S. P. Tametſi de omnibus rebus, tam publicis quam privatis, prolixè heſterna die, per famulum Blaſerii, ſcripſi, Ampliſſime Domine Præſes; tamen, acceptis hoc mane veſtris literis, omni amore & benevolentia erga me immerentem plenis, & proficiſcentibus veſtris, non potui ullò modo committere quin hæc, tametſi incondita, exararem. Nihil ab eo tempore ſupervenit ſcriptione dignum, niſi quod Andoverpiani libellum illuſtriſſimæ Duciſſæ exhibuerunt, de Epiſcopatu ſuo, ſuper quo rogant ut adviſum dare velit favorabile: petentes unà expeditio-

(*b*) Inſcriptio hæc ferè erat hujuſmodi: *Ampliſſimo ac clariſſimo Juriſconſulto D. Viglio Zuichemo, Equiti Aurato, Conſilii Statûs ac ſecreti Regiæ Maj^tis Præſidi meritiſſimo, Domino ac Patrono ſuo ſemper plurimùm colendo.* Hanc poſtmodum ita immutavit: *Reverendo, ac modis omnibus venerando Præſuli, D. Viglio Zuichemo, Præpoſito S. Bavonis, &c.* Et, quum gallicè literas inſcriberet; *à Monſeigneur de Saint Bavon &c.*

nem negotii ſui de duobus captivis, & de confirmatione privilegiorum. Tradidi libellum illuſtriſſimo Domino Cardinali, juſſu Duciſſæ; qui ſuper eo, ut credo, communicabit.

Adierunt me quoque Antverpienſes, (*a*) eadem de re; unàque rogarunt ut Amplitudinem veſtram ſuo nomine congratularer, omniaque bona precarer : addentes inter cæteras laudes veſtras, quas commemorarunt mihi plurimas, ſe plus ſolidi, & bene reſoluti reſponſi, ab Amplitudine veſtra ferre, quartâ parte horæ; quam ab ſuo Cancellario, cum totas horas, duas aut tres, ſolus loquendo conſumpſit.

Quæ de Indulto Amplitudo veſtra mihi perſcripſit, referam ad Dominum Cardinalem.

Baeſdorpii impudens petitio, optimè mihi retuſa videtur.

Arenbergenſis nondum venit; ſed adſunt, quantum audio, Canonici Cameracenſes, cum quibus brevi erit agendum. Plura ſcribere vetat feſtinatio eorum, qui has adferunt; ſed, ſi quid erit amplius, per Bavium, qui cras abibit, curabo.

De ſollicitatione mea apud Dominum Cardinalem, ut ſolennibus veſtris intereſſe poſſim, & de illius aperta recuſatione, quæ mihi permoleſta eſt, heri ſcripſi : itaque nunc non repetam. Adibo autem tertiò, ecquid fortaſſe queam impetrare; tametſi nimis malè metuò ne nihil efficiam. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes, unice Mæcænas. Uxor plurimam etiam atque etiam remittit ſalutem. Raptim Bruxellæ, pridie Calend. Februarii 1562. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

(*a*) Quid inter Antverpienſes, & quos ante commemorat, eâdem hâc Epiſtolâ, Andoverpianos, interſit, parum certè intelligo.

EPISTOLA XXIV.

Arg. *Gratulatur Viglio Margaritæ Parmensis nomine, ejusque jussis mittendum nunciat tantum ferinæ carnis, quantum commodè conquiri potest. Negotium commissariorum Occiduæ Flandriæ mitius definitur a Consilio. Comes De Dampmartin, Gallus, Antverpiæ insidiarum aliquid molitur; sed detectus est. Rex Sueciæ postulat, ne Belgis ultra Rivaliam & Vyburgum navigare liceat; aut Nervam, & ad alia loca Moscovitica proficisci. Cum Ærarii Præfecto agit Hopperus, ut, quæ ad generalem mensam argentariam, tùm & Monetam adtinent, & minus rectè constituta sunt, corrigantur. Controversia Dordracenses inter & Neoportuenses, Publicánorum quoque negotia, quæ Hoppero demandata erant, confecta sunt. Hopperi operâ crebriùs utitur Margarita Parmensis; atque hinc vacuum illi non est ad Viglium excurrere. Totius interim Privati Consilii nomine Senatores duo deputantur, Brusselius & Assonnevillius, qui Gandavum eant, Viglio gratulaturi.*

S. P. Quo die literas vestras, Amplissime Domine Præses, illustrissimæ Ducissæ curaveram reddendas, (nam propter Consilium Statûs non erat ad eam aditus) eodem sub vesperam me ad se vocavit; & nonnulla de Amplitudine vestra, quàm honorificentissimè præfata, jussit ut ad Amplitudinem vestram suo nomine perscriberem ea quæ sequuntur. Primùm, se vobis de Præpositurâ etiam atque etiam congratulari; deinde optare, ut introitus, cæteraque omnia fœlicia ac fausta esse possint. Ad hæc negotium se suis dedisse, ut, quantum commodè conquiri queat ferinæ carnis, pro epuli vestri instructione, mittatur. Denique petere ac jubere, ut quieto ac tranquillo, omnibusque curis publicis soluto vacuoque animo, solennia vestra peragatis; nec, nisi omnibus rite peractis, de reditu cogitetis; quæ est summa eorum quæ me scribere voluit ac mandavit.

Quantum ad negotium Commissariorum Occiduæ Flandriæ,

quod Amplitudo veſtra ad me miſit, retuli ea de re ad Conſilium; quod reſcribendum cenſuit ita, uti literarum exemplo, cum his juncto, cognoſcetis. Ego quidem in alia eram opinione; & pro delicti magnitudine pænas augendas, conſervandamque pænarum æqualitatem cenſebam. Sed aliter placuit majori parti, cui ſtandum eſt.

Blaſerius vehementer ab Amplitudine veſtra contendit, ut ad diem octavam Februarii Reviſioni intereſſe poſſit, & ſucceſſor ipſi aliquis detur ex Conſilio Flandriæ; quod minimè illi cenſeo denegandum.

Adfuit his diebus Novelmannus, Antverpiâ reverſus; qui omnia rectè & ex animo apud Sanctum Michaelem ſucceſſiſſe commemorabat; idque ut ad vos perſcriberem rogabat.

Heri adlatum eſt adviſum Domini Arenbergenſis de Gennemuda, quod totum pro Unia noſtra facit.

Non ſine ſuſpicione eſt Comitem illum Gallum, de Dampmartin, aliquid Antverpiæ ſtruere voluiſſe; quod poſtquam vidit detectum, (nam adiit illum Marcgravius) diſceſſit, rediturus in Galliam.

Dominus de la Thieuloye vehementer inſtat, ut Fiſci procuratorem ſub ſe habeat; quod pleriſque noſtrûm non videtur. Res rejecta eſt in veſtrum reditum.

Rex Sueciæ, cujus nuper memini, hoc agit, ut ne ultra Rivaliam & Vyburgum navigare noſtris liceat; nec Nervam, aut ad alia loca Moſcovitica, commercii causâ, proficiſci: idque ait ſe edicto publico interdixiſſe, petens ut Domina Duciſſa idem faciat.

Theſaurarius, & ego, tam de generali menſa argentaria, quam de Monetâ, contulimus: in utroque quoddam iniquum eſſe fatetur; ſed neceſſitatem illud ad ſe trahere, & ex iniquo æquum facere, ſubinde contendit: ait tamen ſe, & Conſilio, & rationi velle acquieſcere.

In Conſilio Secreto, expedita ſunt pleraque publica quæ habebamus; & in his publicanorum negotia, quæ ego habebam, & alia controverſa inter Dordracenſes & Neoportuenſes, cum nonnullis aliis; quorum omnium Regiſtrum ſervo, quemadmodum & eorum facio quæ ab Duciſſa veniunt, nec non eorum quæ ſigillanda ad Amplitudinem veſtram mittuntur.

Quæ quidem omnia jucunda mihi ſunt, minimèque moleſta. Sed illud longè longèque moleſtiſſimum; quod, quantum adhuc

huc rem ire video, ſolennibus veſtris non videor poſſe intereſſe. Bis illuſtriſſimum Dominum Cardinalem enixiſſimè rogavi ut liceret; bis apertè, nullâque circuitione uſus, negavit : addens ſecundò, per jocum, etiam ſe velle ire, ſi ego eam. Sperarem Dominum Cardinalem adhuc poſſe expugnari; ſed quoniam Domina Duciſſa non ſolùm ad me mittit quotidie, verùm etiam illum mihi habet honorem, ut nonnunquam ad ſe vocet, & mandata quædam ore det ad Dominum Cardinalem : illud me plurimùm habet ſollicitum; nec ullo pacto, ut videtur, patitur abeſſe. Plane hoc effecimus, & quidem libentiſſimis, & ultro ſe offerenribus omnibus, ut duo ex noſtro Ordine Secreti Conſilii, totius Senatûs nomine, ad vos eant, & actum veſtrum cohoneſtent. Electi ſunt Bruſſelius & D'aſſonnevilius. Fuiſſem quidem ego electus; ſed ſciens Cardinalem nullâ ratione, ut dixi, velle, ut abſim; & cupiens tamen hoc ipſum noſtros celare : detorſi id hac arte, quod dicerem, neque Domini Faveronneii in dandis ſuffragiis rationem eſſe habendam, qui jam ipſe ire decreverit, neque mei, qui & ipſe omni jure ad hoc teneor. Quâ ratione factum eſt, ut illi, quos dico nominati ſint. Cæterùm nunc illud multis modis me ſollicitat. Si adveniente die profectionis videant me non ire; quam tandem cauſam ſim dicturus? Nam id, quod revera eſt, omnibus modis cupio noſtros, propter invidiam, ignorare. Sanè excogitare nondum aliud potui, quàm ut dicam, Amplitudinem veſtram, quibuſdam privatis ſpecialibuſque ſuis de cauſis, me hîc juſſiſſe manere; quamquam tamen adhuc tertiùm ſtatui interpellare Dominum Cardinalem, ecquid fortaſſe queam vel tandem impetrare. Nam ſi quid unquam in vita, nihil certè ardentius cupivi, quam ne tantis ſolennibus honoribuſque veſtris deſim. Bene vale, Ampliſſime Domine Præſes, optime ſanctiſſimeque parens. Uxor ſe vobis eriam atque etiam commendat. Bruxellæ 30. Januarii 1562. Magnificæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXV.

Arg. *Simoni Regnardo, libellos duos supplices, quos porrexerat, obsignatos reddi jubet Margarita Parmensis, nullo dato responso. Querebatur is, se ab Granvellano diffamari, petebatque, adversùs eum, regium* salvum conductum. *Hoppero, qui ab Gubernatrice ad Regnardum missus erat, multa hic regerit, tùm verbo, tùm scripto; sed frustrà. Excusat se denuò Hopperus quod Gandavum proficisci nequeat. Joci in Mameranum.*

S. P. Scripsi ad Amplitudinem vestram, Amplissime Domine Præses, & heri, & nudius tertius, & alias. Sed non patitur meus erga vos amor & observantia, ut quemquam isthuc proficisci sinam, cui non aliquid deni literarum, ac maximè quidem, novâ materiâ subministratâ, de qua scribam. Cujusmodi est id, cujus summa capita, nam reliqua in reditum servo, subjeci. Vocavit me heri illustrissima Ducissa. Post pauca alia mandata, cœpit de negotio Renardi latè agere : aiens, in animo non habere, tametsi libellos duos supplices porrexerit, ad eos respondere, aut Regis mandatum egredi. Itaque, post multa, primùm jussit ut eos libellos, quos me presente consignabat, ei redderem : deinde, ut de salvo conductu, contra Dominum Cardinalem petito, dicerem, Dominum Cardinalem respondisse, nihil esse quod ab se, suisque metuat; imò, contra obstiturum, & obstitisse iis, qui illi vim molirentur.

Porrò, quod ab Cardinali se diffamari ait, nihil esse; sed hoc solùm dixisse Cardinalem, quamdiù de Quicleti indiciis se non purgaverit, non posse se bonam de eo habere opinionem. Denique, si quid velit, ut primùm omnium obtemperet voluntati Regis; deinde non defore illi jus & justitiam.

Cum his mandatis mox ad Renardum eundum mihi fuit; cui rem omnem, ordine, uti jussus eram, quantâ tamen potui moderatione, exposui. Is primùm verbo latissimè respondit; deinde, sub horam noctis decimam, scriptum ad me misit, quo summam rei erat complexus. Conclusio huc redit : primùm petit sibi dari provisionem diffamationis contra Cardinalem, aut

ſaltem ſupplicationes ſuas communicari Conſilio Statûs & Secreto : vel, ut minimùm, ſupradictum mandatum meum ſcripto dari. Si horum nihil impetrari queat, ut, ad purgandum ſe, juri ſe ſiſtere, & in carcerem ire liceat : ſperans ſe innocentiam ſuam, tam de Quicleti negotio, quam de Proceribus noſtris contra Cardinalem concitatis, (quod negat) clarè demonſtraturum. Si nec illud concedatur : ut, reſignatis omnibus muneribus publicis, in his regionibus privatus vivere poſſit. Quod ſi etiam denegetur, ut denique duorum menſium ſpatium habeat ad ſe purgandum Regi; nam ut in Burgundiam poſt dies quatuordecim eat, neque valetudinem, neque ætatem liberorum, neque rem familiarem, neque alia multa ferre. Rogans obnixè, ut de his omnibus velim ad ſuam Celſitudinem referre; ne aliter, quam jure, ſecum agatur.

Hodie, ad ipſam vocatus, ita feci; ſed illuſtriſſima Duciſſa, auditis omnibus, perſtat in ſententia; ut ſcilicet voluntati Regiæ Majeſtatis primùm & ante omnia ſatisfaciat : quo facto, non defuturam Clementiam Regis, ut prolixè & ad longum audiatur. Hæc volui breviter hîc perſtringere, ut ne quid ſit, quod quidem per me fiat, cujus Amplitudo veſtra non mox ſit certior.

De meo ad vos adventu, equidem, quanto deſiderio optarem vobis adeſſe, credo Amplitudinem veſtram non ignorare; nam haud ſcio an unquam in vita quidquam magis optarim. Sed quoniam illuſtriſſimus Dominus Cardinalis nequaquam paſſus eſt ſe flecti, & ſanè negotia, quæ quotidie occurrunt, non ſatis admittunt, nihil aliud reſtat, quàm ut id, quod corpore nequeo, animo ſaltem præſtem, omniaque Amplitudini veſtræ, vero parenti meo, fauſta ac fælicia, ſalutariaque optem; ſperans nihil opus eſſe excuſatione, ubi, in ardentiſſima utriuſque noſtrûm voluntate, ſola neceſſitas facit, quo minus pro voto agere poſſimus. Cura, Ampliſſime Domine Præſes, idemque Præſul reverendiſſime, mihi ſanctiſſime Pater ac Patrone, ut valeas. Conjunx ſuo nomine omnia vobis bona dicere juſſit. Domino Præpoſito Morillonio, Vironioque, & Stynæ, multam optamus ſalutem.

An tam parvi apud vos ſit Mameranus, ut, ſi quod inconſuetum exhibeat carmen, id mox aliam, quàm Mamerani venam, habere dicatis? Meo judicio, ſi non Flandrenſem, certè Duffelenſem aut Weerdenſem pannum, bene meruit. Raptim

Bruxellæ, ipſis Calendis Februarii 1562. Magnificæ ac Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor, JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXVI.

ARG. *Ultimo jam, ſed irrito rurſum conatu, apud Granvellanum agit Hopperus, ut Gandavum ire liceat, ſolemnem Viglii introitum viſuro. De Reviſione litis, quæ Blaſerio erat cum Douchio. Canonici S. Bavonis, ſibi & Viglio plaudunt, apertis tabulis Teſtamenti Lucæ Munich, qui Abbatum S. Bavonis poſtremus fuerat.*

S. P. Ne quidquam relinquerem intentatum, Ampliſſime Domine Præſes, adii hodie adhuc illuſtriſſimum Dominum Cardinalem, ut vel ſolum triduum abeſſe mihi liceret: ſed, quemadmodum priùs, ita & nunc apertè recuſavit. Quod quàm fuerit moleſtum, Amplitudo veſtra ipſa poteſt æſtimare. Et quidem eo magis, quod & literis veſtris, quæ hâc nocte redditæ ſunt, & hortatu uxoris incitatus, jam equos & currum paraveram ad proficiſcendum. Et re divinâ mane auditâ, nihil aliud deerat, quàm una vox Domini Cardinalis. Quam quidem, cum minus ad hanc rem habuerim propiciam, feci quod potui; ſcripſi continuò has literas, quas puero proprio tradidi perferendas, ut eques ad vos proficiſcatur: & ille quidem corpore, literæ autem animo me aliquo modo repræſentent.

De Blaſerio ita faciemus, ut Amplitudo veſtra juſſit; niſi fortaſſe tota reviſio in aliud tempus differatur. Quia enim Molenarius, Sasboutius, & Dimenus, alii propter valetudinem, alii aliis de cauſis, ſe excuſarunt: ſcripſit ad illuſtriſſimam Duciſſam Senatus Brabantiæ de aliis in eorum locum ſufficiendis. Douchius contrà ſupplicavit, ut tempus habendæ Reviſionis in proximas Calendas Martias rejiciatur. Super quo petitum eſt adviſum Conſilii Brabantiæ. Quo accepto, & re per Dominam Duciſſam definitâ, curabo ut in negotio Blaſerii fiat, prout res feret.

Canonicos veſtros, apertis tabulis teſtamenti, bene contentos eſſe, gaudeo; nec dubito, quin, ubi virtutem & benignitatem veſtram aliquantulùm experti fuerint, magis ac magis ſint

futuri contenti. Bene vale, Amplissime Domine Præses, optime parens ac patrone; &, ut solennia vestra, quibus, dum hæc legitis, peragendis, ut suspicor, intenti estis, vobis & Ecclesiæ salutaria esse possint, Deum optimum maximum etiam atque etiam oro. Uxor omnibus votis eadem precatur. Bruxellæ, postridie Calendas Februarias 1562. Domino Hesselio, cum lectissima uxore, multam optamus salutem. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXVII.

ARG. *Cameracensis Episcopus, Archiepiscopi titulum & munus detrectat; sed suasu tandem Gubernatricis suscipit. In idem consentiunt Deputati a Capitulo Cameracensi; sic tamen ut sua sibi privilegia salva sint, utque Archidiaconatus duos in Ecclesia sua servare liceat, Bruxellensem unum, alterum Antverpiensem. Queritur Episcopus de ratione quam inierant Consiliarii Gubernatricis, in negotio Pastoratûs S. Gaugerici, Valencenis; quam rationem denuò examinatum iri respondet Margarita. Comitis Arenbergensis adventus sollicitè exspectatus.*

S. P. Eunti ad vos Domino Archidiacono Porry, Amplissime Domine Præses, non potui non aliquid literarum dare. Quod quidem eo magis faciendum duxi, quod Dominus Episcopus Cameracensis, & Deputati Capituli, apud illustrissimam Ducissam heri fuerunt; ut scilicet ejus actionis Amplitudinem vestram faciam certiorem. Illustrissimus Dominus Cardinalis ipse quidem adesse noluit; sed, quid mihi dicendum esset, admonuit, & me instruxit; quod, relatum ad Dominam Ducissam, perplacuit. Summa autem erat: ut, quoniam propter disciplinam ecclesiasticam constituendam, & Sacramenta administranda, primùm Paulo Quarto Pontifici & Cæsareæ Majestati, deinde Pio Quarto & Regi nostro, necessarium visum erat, Episcopatum Cameracensem in Metropolitanum statum erigere, eique quatuor Episcopatus subjicere; nec non propter Mechliniensem & Antverpiensem Præsulatus, recens erectos, quædam illi in

Brabantia detrahere : ſuam Celſitudinem petere, ut ei rei ſe accommodare, & tam ſanctum inſtitutum promovere velint. Cui primùm reſpondit Dominus Cameracenſis, ſe, de beneficio in ſe collato, magnas gratias agere; ſed non ſentire ſe idoneum, ad tantum munus, quantum eſt Archiepiſcopi, ſuſtinendum : ideòque orare, ut excuſatus eſſe poſſit; & ſimul Duciſſa declarare velit, ſuo inſtigatu hanc mutationem non eſſe factam: cum nonnullis aliis (*a*). Quibus quid me reſpondere vellet, Duciſſa juſſit. Eſt que, ut paucis dicam, res eo deducta, ut impoſitum onus Dominus Cameracenſis ſuſciperet.

Deputati Capituli reſponderunt, ſe in poteſtate eſſe ſummi Pontificis & Regiæ Majeſtatis, nec illorum authoritatem ullo modo velle diffugere; rogantes tamen, ut privilegia ſua ſalva habere poſſint : & cum his, Archidiaconatus duos, quos habent in ſua Eccleſia, unum Bruxellenſem, & alterum Antverpienſem.

Super quo Domina Duciſſa reſpondere me juſſit : non eam mentem eſſe ſuæ Majeſtatis, ut quidquam illis privilegiorum eripiatur; ſed ut omnia, quoad ejus fieri poteſt, ſalva maneant & integra : & quantum ad Archidiaconatus, in ſimili cauſa cum Trajectenſibus ſpecialiter fuiſſe tractatum; & ideò, ſi quos illi quoque mittere velint, qui ſpecialiter eâ de re tractatum veniant, ſuam Celſitudinem libenter operam daturam, ut, quod bonum æquum eſt, fiat, nec ulla juſta quærimoniæ cauſa relinquatur. Quâ de re, & de cæteris omnibus, illi ad ſuos ſe relaturos dixerunt, omneque, quod queant, officium facturos. Eſtque hoc modo diſceſſum.

Dominus Cameracenſis nudius tertiùs dixerat Duciſſæ, ſibi non placere rationem, quam ſuper Paſtoratum Sancti Gaugerici Valencenis inivimus; nec videri ad effectum deduci poſſe. Super quo Domina Duciſſa prudentiſſimè, meo quidem judicio reſpondit : ut, ſi quid noverit rectius, *Candidus* (ut inquit ille) *impartiatur; ſi non, his utatur nobiſcum :* condixitque mihi hanc horam ut cum ipſo ſuper eo communicatum veniam.

Dominus Arenbergenſis, neque venit adhuc, neque ſcripſit; quod miror. Dominus de Meghem ad decimam quintam hujus ſe adfuturum ſignificavit. Bene vale, Ampliſſime Domine Præ-

(*a*) Intellige, *rationibus;* quas ſcilicet Epiſcopus Cameracenſis identidem allegabat.

ſes, ac patrone. Raptim, Bruxellæ 4. Februarii 1562. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXVIII.

ARG. *Viglio lætum ac felicem Gandavi introitum gratulatur. Domini Arenbergenſis adventum nunciat. Negotium Comitiſſæ Teklenburgenſis in Viglii reditum dilatum. Tornacenſis Epiſcopus, litem, ab Veneta muliercula ſibi in Conſilio Brabantiæ intentatam, ad Conſilium Privatum, cujus ipſe membrum erat, evocari poſtulat; contrà nitente Cancellario Brabantiæ.*

S. P. De introitus veſtri fælici ac fauſto lætiſſimoque ſucceſſu, Reverende Domine Præſul, etiam atque etiam ex animo vehementiſſimè gaudeo; oroque Deum immortalem, ut hoc gaudium perpetuum nobis ac proprium eſſe poſſit. Quod quidem nos non solùm, qui tui ſumus; ſed omnes, quotquot hîc ſunt mortales, uno ore optant: qui, tantum abeſt ut rebus veſtris auctis & amplificatis invideant, ut etiam multo majora ſplendidioraque virtutem tuam mereri clament.

Literæ veſtræ, publicè ad Senatum ſcriptæ, pergratæ fuerunt, ſuntque Domino Hermeti traditæ, ut eas, tamquam ſenior, conſervet.

Dominus Arenbergenſis abhinc biduum venit; quem ut ad ſe vocet illuſtriſſima Duciſſa, & mandata Regiæ Majeſtatis ei exponat, juſſit prius conſignari omnes Epiſtolas Regias, ad diverſos ſcriptas; quas eâdem operâ in manum illi tradet: ut, quemadmodum oportet, dirigat.

Venit quoque abhinc triduum quidam ab Comitiſſa Tecklenburgenſi, miſſus de negotio Lingenſi. Non cenſent cum illo rei feriæ quidquam tractandum Domina Duciſſa, & Dominus Cardinalis, antequam Amplitudo veſtra redierit; juſſeruntque in illud uſque tempus rem integram ſervari: & interea loci, illo audiendo & aliud ex alio quærendo, tempus extrahi, ne nihil agi videatur.

Conqueſtus eſt per libellum ſupplicem Dominus Epiſcopus

Tornacensis, litem sibi fieri in Consilio Brabantiæ ab Veneta illa Muliercula : quam litem ad Consilium Secretum, cujus ipse membrum est, evocari postulat. Missus fuit cum supplicatione ad Cancellarium Assonvillius, ut desiderium supplicantis ei exponeret; nec non videri Consilio secreto, quoniam manifestum est Episcopnm ejus esse Ordinis, æquum esse, ut in actione personali non alio loco quam coram eo ipso Consilio Secreto stet juri. Respondit Cancellarius, sibi non liquere eum ex Ordine hujus Consilii esse; aut, si sit, honorarium tantùm esse; & ideò, si forum Brabantiæ declinare velit, (quod tamen hactenus in plurimis litibus, quas ibi habet, nunquam fecit) ut in judicio id proponat. Assonvillius ea de re retulit ad Senatum; cui visum est, mali fore exempli, si Consiliarius hujus Senatûs coram Consilio Brabantiæ causam dicere cogatur, ibique exceptionem declinatoriam proponere, ut de ea illi cognoscant. Itaque denuò fuit missus Assonvillius, & ego cum illo, ad Cancellarium; ut saltem differrent, ad octo dies, Dominum Tornacensem declarare contumacem, (nam hoc heri agebatur) donec pleniùs cum ipsis communicassemus. Quod primum omnino rejecit : deinde ad Senatum relaturum, contemptim respondit, recipiens se in Musæum suum, nobis insalutatis. Nos relationem ea de re fecimus, omissis tamen illis odiosis. Visum est Consilio nostro, expectare & videre, ecquid declarationem contumaciæ dilaturi sint, nec ne. Bene vale, Reverende Domine Præsul, Amplissime Patrone. Uxor plurimam vobis jussit nunciari salutem. Bruxellæ 7. Februarii 1562. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXIX.

ARG. *Novam rationem proponit, quâ Pastori S. Gauderici Valencenis, (de quo in Epist. XXVII.) provisum est. Optat, ut quæ cum Comite Arenbergensi brevi agenda sunt, magno ipse animo exsequatur.*

S. P. Scripseram heri de quibusdam rebus, Reverende Domine Præsul; tamen quia postea supervenit Virgilius cum literis, censui & has illi dandas. Significaram nuper de Pastoratibus Valencenensium, quid obiter actum esset. Ab eo tempore

pore

pore fuerunt hîc duo ex Capitulo Palatino Valencenensi, unàque Canonicus Pratanus, Procurator Prioris Sancti Salvii. Qui omnes, & cum ipsis ego, convenimus apud Dominum Cameracensem, ubi alia ratio proposita fuit, quâ Pastori Sancti Gauderici provideri possit: quæ sanè minimè mihi aliena videtur. Est autem, ut Canonicatus quem ibi conferendum Prior habet, Pastori detur, sine onere tamen Horarum, & remissis duabus Marchis argenti, & unâ unciâ auri, ab Episcopo & Capitulo Valencenensi: solus omnes oblationes, cæterosque proventus, tam ordinarios quam extraordinarios, habeat; quæ in unum omnia collata, sufficere ipsis videntur Pastori, ad se, statumque suum tuendum.

Cum Domino Arenbergensi hodie aut cras agendum erit: Deus det ut, quemadmodum Amplitudo vestra etiam optat, tam eum promptum habere possimus, quam sua Majestas rem cordi habet.

Ab Domino Abbate Sancti Petri Amplitudinem vestram boni aliquid reportaturam valde confido. Cura, Reverende Domine Præses, Amplissimeque Patrone, ut valeas. De reditu vestro nihil dico; sed quam gratus & expectatus suæ Celsitudini, & illustrissimo Domino Cardinali, futurus sit, Amplitudo vestra satis intelligit: erit enim & gratissimus, & expectatissimus. Raptim, Bruxellæ 8. Februarii 1562. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXX.

ARG. *Nihil adhuc cum Comite Arenbergensi actum est, ob Nuptias quæ apud Com. Egmontium celebrantur. Cupit Hopperus ut exemplaria quædam Historiarum Salustii Manuscripta, quæ Gandavi habebat Viglius, secum adferat. Bruhesii scrupulus, de Assessore quem Archidiaconus habiturus est in Zelandia.*

S. P. Quod de Domino Arenbergensi heri scripseram, Reverende Domine Præsul, nondum factum quidem est, propter Nuptias quæ hîc apud Egmondanum celebrantur. Sed suspicor fore ut hodie, aut ad summum cras, aliquid fiat; qua de re Amplitudinem vestram statim faciam certiorem. Qui has

attulit, famulus eſt Domini de Wel, de cujus cauſa nihil aliud ſcio, quam quod Dominus de Meghem, abhinc triduum, ad illuſtriſſimam Duciſſam ſcripſit, ſe, quod ea de re ſibi mandatum eſt, curæ habiturum, & ubi venerit relaturum. Refert Crypius, inter libros veſtros, iſthic, aliquot exemplaria eſſe Saluſtii manuſcripta: ea pervelim Amplitudinem veſtram unà huc adferre, ut videamus ecquid in iis ſit, notatu dignum, ad vulgaria exemplaria emendanda.

Dum hæc ſcribo ſupervenerunt literæ, cum faſciculo literarum Aggæi, quas non eſt otium, (propero enim in curiam,) nunc perlegere. Quod autem, in veſtris ad me literis, de Bruchesio ſcribitis: unus tantum eſt ſcrupulus, quemadmodum & aliàs Amplitudini veſtræ dixi, qui illum malè habet: qui eſt de aſſeſſore, quem Archidiaconus eſt habiturus in Zelandia. Quod illum peſſimè initio afficiebat. Sed ubi intellexit mentem curiæ, quæ etiam ſcripto dabitur, ſi poſtulet; aut etiam, ſi nec illud placeat, ei rei remedium dari poſſe per relationem ad Regiam Majeſtatem: planè mitis eſt factus, ſeque de omnibus ad ſuos relaturum ait; eſtque heri mecum pranſus unà cum nepotibus veſtris, qui continuò, poſt menſam, Lovanium ſunt profecti; ipſe verò Trajectum. Nam venit ad me petaſatus, non alia de re, quàm, ut valedicendi causâ, cum Domino Præpoſito Sancti Joannis, & me, pranderet. Literas ad eum veſtras, ut rectè dem, curabo. Bene vale, Reverende Domine Præſul, optime Patrone. Raptim, Bruxellæ 9. Februarii 1562. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXI.

ARG. *Ad Comitia, quæ de novo Epiſcopo eligendo Leodii indicta erant, mittitur Comes Arenbergenſis, veteris moris ſervandi cauſsâ. Hinc ſchedas aliquas, quas habere credebatur Viglius, ad res Leodienſium pertinentes, Gubernatricis juſſu repetit Hopperus.*

S. P. Qui has attulit, Reverende Domine Præſul, ea ſola de re, jubente illuſtriſſima Duciſſa, miſſus eſt, & quidem nocte prope intempeſta, ut literas meas ad Amplitudinem veſ-

tram perferret. Caufa autem mittendi hæc eft : heri in Confilio Statûs placuit, ut, quoniam Leodii Comitia indicta funt, de novo Epifcopo eligendo : aliquis, de more, ex curia noftra mittatur, qui Comitiis interfit. Ad eam rem vifus eft idoneus Dominus Arenbergenfis; qui hoc vefpere, vocatus ad Ducif-fam, accepit conditionem, deliberaturus cum Domino Barle-montio, quem potiffimùm ex Confiliariis fibi fumpturus fit Comitem. Porrò quoniam & aliàs fimilem legationem obiit : petiit inftructionem, quam tum habebat, & alias fchedas, ad res Leodienfium pertinentes, recuperari; ut iis convenienter nova inftructio, quam nunc habiturus eft, tanto facilius confici poffit. Duciffa ea de re ad illuftriffimum Dominum Cardinalem mifit, ecquid ille fortaffe habeat : cum mandato, ut, fi ille non haberet, ad me iret Secretarius van der Aa, quæfitum anne Amplitudo veftra ejufmodi aliquid in manibus meis reliquerit. Cui quidem, quoniam refpondi non reliquiffe, electa eft tandem hæc via mittendi ad Amplitudinem veftram; ut, fi quid apud vos fortaffe fit, vel Amplitudo veftra fciat ubi fiet, ejus, quàm primùm fieri poterit, copiam vel certiorationem facere dignetur. Quoniam autem ego fcio Amplitudinem veftram nullas fchedas publicas apud fe fervare, (quod etiam hîc admonui.) Sed ferè Secretariis cuftodiendas tradere: difpiciam cras, ecquid apud Secretarios quid queam reperire. Bene vale, Reverende Domine Præful, Ampliffimeque Præfes. Raptim Bruxellæ 11. Februarii 1562. Reverendæ Amplitudinis veftræ paratiffimus fervitor Joachimus Hopperus.

Dum hæc fcribo, dicit mihi Vitius, Amanuenfis Secretarii vander Aa, Ducem Parmenfem hoc vefpere adveniffe, per equos difpofitos.

EPISTOLA XXXII.

Arg. *Quid in Mandatis habeat Comes Arenbergensis, in Episcoporum causfâ. Literæ Ducis Brunsvicensis. Multi à Zelandia profugi. Abbas Villariensis multa & ipse conqueritur, de ratione quâ novis episcopis è bonis Abbatiarum provisum est.*

S. P. Tametsi jam in procinctu vos esse sperem, Reverende Domine Præsul, ne quid tamen omittam, quod operæ pretium videatur, censui ad rem pertinere, ut, quid cum Domino Arenbergensi actum sit, Amplitndo vestra quàm primùm intelligat. Illustrissima Ducissa exponens illi satis amplè voluntatem, & rationem instituti, Regiæ Majestatis, primùm accipiens a me literas ad Consilia Provinciarum, & Magistratus oppidorum, ubi Episcopatus erigentur, in manum ipsius dabat, ut, suo loco & tempore, vel reddat ipse, vel reddendas curet. Deinde multis modis, tam Regiæ Majestatis quam suo nomine, contendebat, ut jussum Regis, & diligenter, & libenter, exequi vellet, quemadmodum etiam confidebat.

Ad hoc ille respondit, se jussa facere paratum quidem esse, nec unquam Principis & Gubernatricis authoritatem diffugiturum : sed tam literas Regias, quàm ea quæ audivisset, generalia tantùm esse, sine speciali explicatione; quo modo & via, quibusve mediis, rem aggredi debeat : & ideò videri sibi necessarium, cum Domino Præside, aut aliquo alio, ea de re communicare Illi Ducissa respondit : Præsidem abesse, sed sperare brevi rediturum, si quid autem interea velit conferre, me operam illi daturum. Estque hoc modo ab ea discessum.

Hoc facto, continuò me solum vocat; & se mirari ait, cur ipse plus hac in re gravetur, quam cæteri Gubernatores, Hollandiæ, Flandriæ, & Namurci gravati fuerunt; nec posse videre, rem aliò tendere, quàm, si quid minùs succedat, ut ipsi imputetur : & tum quidem invidiam populi, tum verò indignationem Regis solus subeat. Addidit & illud, se mirari quod ab Rege nunquam super hoc negotio fuerit consultus. Ac maximè quidem, cum constet, quàm sint Groningenses & Daventrienses difficile genus hominum, qui longè minoribus in re-

bus, quam ſunt Epiſcopatus, continuò clamant privilegia ſua violari. Quìd multa! Poſt longum ſermonem, multaſque difficultates, tandem ſe ſummam rei tantùm aperuiſſe dixit, reliqua prolixiùs, uberiùſque perſecuturum, poſt diem unum aut alterum, cùm a nuptiis plus erit otii: quod mihi ſignificabit.

Ego de his rebus omnibus retuli ad illuſtriſſimum Dominum Cardinalem; qui mox reſpondit: mentem Regis & Duciſſæ non tam eſſe, ut ipſe rem epiſcopalem exequatur: nam id fieri debere per alios Commiſſarios togatos: quàm ut ſit in Provincia, tùm cum executio fiet; ut, ſi quid incidat difficultatis, authoritatem ille ſuam interponat; & ad eum receptum habeant illi, ad quos ea res pertinebit.

Allatæ ſunt, abhinc biduum, literæ Ducis Brunſvicenſis; quarum exemplum, juſſu Domini Cardinalis, his adjunxi. Domina Duciſſa in Conſilio Statûs ea de re referri juſſit; quod nondum factum eſt.

Auxtruyſius & Dieſius, cujus ad vos literæ hîc quoque adſunt, reverſi ſunt ex Zelandia. Retulit Auxtruyſius, qui hîc fuit, captos eſſe duos; profugos ſupra triginta; abſentes in mari non pauciores, juſſi ut ſummam rei deſcriptam apud me relinqueret; quod fecit.

Commiſſarium Tecklenburgenſem audivi quid velit. Reſpondi, ad Duciſſam me de ea re relaturum. Interim expectatur reditus Amplitudinis veſtræ.

Heri forte fui in convivio apud Bruſſelium cum Domino Vilarienſi; qui poſt menſam prehendit me ſolum, & multa de incorporationibus conqueſtus eſt. Quibus ego continuò reſpondi, quàm potui quidem breviſſimè, ſed ita tamen, ut facile intelligere potuerit quid rerum agatur. Singula coram exponam latiùs. Cura, Reverende Domine Præſul, Ampliſſimeque Præſes, ut valeas; & nil mihi reſcribe, ſed ipſe veni. Raptim, Bruxellæ 11. Februarii 1562. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXIII.

ARG. *Senatus populusque Ruræmundensis, Instituto Regio, de novo Episcopo apud eos collocando, obsistit; aut certè moras nectit.* GANDAVUM.

S. P. Tametsi ante diem crastinum non constitueram scribere, Amplissime Domine Præses, tamen nactus hanc oportunitatem Francisci Hesselii nostri, volui illi aliquid literarum dare: eo magis, quod Secretarii nostri, per quos scribi jussit illustrissima Ducissa, absunt, & res ejusmodi est, ut Amplitudinem vestram ejus certiorem fieri conveniat, antequam in ulteriorem Flandriam proficiscatur. Allatæ sunt abhinc fere biduum literæ Domini de Meghem, cum actis Cancellarii Geldriæ apud Ruremundam; quorum summa hæc est: auditâ per Magistratum oppidi relatione Instituti Regii, de novo Episcopo illic constituendo: deliberatione facta, mox respondit: se, inconsultis præpositis artificum, nihil audere statuere; verùm, iis auditis, continuò certi aliquid responsi daturum. His auditis, conatus quidem est Cancellarius impedire, quo minus ad eos ea de re referretur; sed frustra. Itaque statim indictus est conventus. Quo quidem paucis habito, revocatus est Cancellarius in curiam; ubi, pleno concessu, ex communi consensu responsum illi est: quoniam res magna est qua de agitur, & pertinens ad fœdus Venloense, Senatum populumque Ruremundensem nihil velle constituere, nisi re cum Ordinibus totius Geldriæ deliberata. Ad hæc verum Cancellarius multa respondit, conatus omnibus nisibus populo persuadere, ut oblatam conditionem, tam gloriosam ac magnificam, acceptaret. Sed nihil profecit. Adeo ut interroganti ipsi, quid causæ esset, quod eos moveret, nihil amplius post multam deliberationem responsum sit, quàm ita videri. Quo facto discessit e curia.

Paulò post venit ad illum domum, invocatus, (*a*) Decanus Capituli, dicens, sibi ac suis factum Senatus & Populi mirificè displicere: putare autem malum ortum ab nonnullis præpositis opificum, & paucis aliquot decurionibus, qui dubiæ fidei & religionis sunt; majorem tamen partem plebis sanam esse, & fa-

(*a*) Non vocatus.

vere Inſtituto Regio. Non diſſimilia poſtea narravit Paſtor, qui & ipſe Cancellarium ultrò adiit : addens malum in dies creſcere, idque ſe ſentire ex numero communicantium qui quotannis decreſcit.

Hic nunc quæritur, quid porro agendum ſit, nam id expectat Comes a Meghem; ſeque ad omnia paratum ſcribit. Illuſtriſſima Duciſſa cenſuit exempla Actorum ad Amplitudinem veſtram, ſimulque ad Reverendiſſimum Dominum Cardinalem, mittenda, & utriuſque veſtrum ſententiam per literas exquirendam. Ego propoſui, ecquid conveniret Comitem a Meghem ire Ruremundam; eoque ibi præſente, Epiſcopum, quodam veſpere, inſcio populo, oppidum ingredi, & poſtridie mane in Eccleſiam, e domo Decani, vel alterius, ita uti oportet, publicè, & cum cerimonia eccleſiaſtica tantùm introduci : quod ut ad Amplitudinem veſtram perſcriberem, Duciſſa mandavit; quod non volui omittere, cætera prudentiæ veſtræ relinquens.

Plura habeo aliis de rebus quæ ſcribam; ſed excluſus brevitate temporis, cenſui ea in proximas literas reſervanda, quæ has propediem conſequentur. Interim, Reverende Præſul, Ampliſſime Præſes, optime Patrone, vale. Raptim Bruxellæ 12. aprilis 1563. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXIV.

ARG. *Viglium ab Gandavo reducem optat Margareta Parmenſis. Literæ Erneſti, Ducis Brunſvicenſis, de rumoribus Bellicis apud Saxones, quas ad Conſilium Statûs refert Gubernatrix.* GANDAVUM.

S. P. Vocavit me hodie illuſtriſſima Duciſſa, Reverende Domine Præſes, & inter cætera, magno meo dolore de Amplitudine veſtra revocanda dixit; addens inſuper, ut & ipſe aliquid literarum ad vos darem, ſuoque nomine enixè rogarem, ne id Amplitudo veſtra gravatè ferat. Voluiſſem quidem deprecari, ac maximè quidem; quoniam res non omnino maximi momenti videtur, refectio videlicet Magiſtratus Gandavenſis, quam propter profectionem ſuam in Hollandiam Comes Egmondenſis petit anticipari : ſed id nondum voluit ſuccedere.

Spero Amplitudinem veſtram aliquid inventuram, quo aut ſupradicta refectio Magiſtratus vobis abſentibus fiat, aut in reditum Domini Egmondani ex Hollandia differatur. Ego interim die craſtina adibo Dominum Egmondanum, ut videam quid animi ſit, & quid ab eo poſſit impetrari. Nam ut verè dicam, non tam meâ cauſâ poſſem eſſe ſollicitus, quam ſum veſtræ Amplitudinis; ut ad res ſuas curandas, animumque relaxandum, aliquid otii poſſit habere & temporis. Alia negotia ſunt hic quidem ſatis multa; ſed nulla quidem, quod ſciam, quæ valde urgeant: ita ut non magno incommodo (niſi quod ipſum abeſſe per ſe ſemper incommodum eſt) Amplitudo veſtra videatur adhuc ad dies aliquot poſſe abeſſe.

Rediit his diebus frater Theophili noſtri, piæ memoriæ, Româ. Is commemorat in Germania rumorem eſſe, militem in Saxonia conflari, & eſſe qui nobis male minentur. Putabam nugas eſſe, cum audirem: ſed tradidit mihi hodie Duciſſa literas Ducis Brunſvicenſis, Erneſti, eadem de re, de quibus ad Conſilium Status referri juſſit, quod in diem craſtinum indixit. De pluribus aliis ſcribam diligenter, ſi intelligam Amplitudinem veſtram nondum redire. Quam ſi ullo modo, meâ operâ, quæ pertenuis eſt, potero ſublevare, ſentiet me in omnibus & ad omnia eſſe paratiſſimum. Cura, Reverende Præſul, Ampliſſime Præſes, mi Patrone, ut valeas, uxor ſe vobis etiam atque etiam commendat. Bruxellæ 13. aprilis 1563. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXV.

ARG. *Viglii ab Gandavo reditum tantiſper differri, Gubernatrix acceptum habet. Probat etiam, in negotio Ruræmundenſium, Viglii ſententiam; cui omnis iſta tergiverſatio, & conatus adverſus Principis Conſilium, in Epiſcoporum cauſſa, ex animo diſplicet. Idem Hoppero placitum. Margarita Parmenſis Brabantiæ Cancellarium verbis graviſſimis objurgat.* GANDAVUM.

S. P. Quo momento literas veſtras accepi, Reverende Præſul, eodem properavi in curiam, ut ſuæ Celſitudini, literas Amplitudinis veſtræ offerrem. Quibus perlectis, mihique commu-

communicatis, visum est eidem suæ Celsitudini, in omnibus per vos cumulatè satisfactum. Itaque mandavit, ut continuò ad Amplitudinem vestram scriberem se cùm omnibus, tum præcipuè amplitudini vestræ cupere gratificari; ac potissimum quidem in hac re; & proinde placere, ut reditum suum differat in id tempus, quo commodè res suas queat explicare, peractura crastinâ die cum Domino Egmondano, quæ ad renovationem Magistratûs Gandavensis pertinent.

De negotio Ruremundensi, perplacet suæ Celsitudini Consilium Amplitudinis vestræ. Sed quoniam illustrissimus Dominus Cardinalis nondum respondit, censuit illius literas adhuc expectandas. Mihi idem quod vobis videtur, diurnam istam moram plurimùm nobis adferre detrimenti, & Malevolorum Consilia firmare. Accedit etiam, quantum mihi quidem videtur, quod haud sciam an expediat voluntatem subditorum hac in re exquirere; qui parva occasione data, continuò multum authoritatis sibi arrogant: an verò satius esset, tanquam re confectâ, ad eos mittere, nec aliud agere quàm hortari, ut voluntati suæ Majestatis se accommodent, & Episcopum suum lubentibus animis suscipiant: quemadmodum Buscoducis fiebat. Ac quoniam quidem Dominus Arenbergensis nunc hic est, dedit negotium Sua Celsitudo, ut super ea re ad vos scriberem; quænam scilicet formula instructionis illi danda videatur: ea ne, quâ apud Ruremundam usi sumus; an vero illa Buscoducensi, quâ, præsente pro portis Episcopo, res agebatur. Non video quo minus Leovardiæ ita facere liceret. Sed de Groningensibus & Daventriensibus sane valdè dubito. Utrumque & commoda sua habet, & incommoda.

Dum hæc scribo, vocat me Ducissa; ad quam ubi veni, narrat mihi res suas cum Cancellario Brabantiæ gestas, quas ad Amplitudinem vestram jussit perscribere. Hæ igitur sic habent. Expositis per suam Celsitudinem iis, non sine frequenti interpellatione, quæ scedulâ continentur, cæpit Cancellarius adornare magnam orationem. Quam amputans sua Celsitudo, dixit, justificationum se audisse satis; reque plenissimè in Consilio Statûs deliberatâ, nihil aliud restare, quàm ut obediat. Cui ille respondit; non posse se obedire, sed opus esse ut ad totum Consilium ea de re referatur, cum nonnullis aliis. Quibus accensa sua Celsitudo, ait, recordari se, quibus verborum minis, & quassationibus capitis sit usus; non posse se id impunitum relinquere

in iis, qui ipſi ſimile factum in advocato quodam, qui nulla ex parte tam graviter peccaſſet, vindicaſſent. Ideò ſcripturam ſe ad ſuam Majeſtatem, ut pro meritis in Cancellarium animadvertat; & in locum nec obedientis alium obtemperantiorem ſufficiat. Interim juſſa ille faciat; ac maximè quidem, cùm adverſum jura Brabantiæ, nihil nec factum, nec Cogitatum ſit.

His iterum multa multis ille reſpondere parat, nec poſſe ſe voluntati ſuæ Celſitudinis obſequi, cum quibuſdam aliis ejuſmodi. Quid multis? Non ferens amplius ſua Celſitudo hominis impudentem audaciam, proripit ſe foras in porticum, relinquens eum in cubiculo ſolum, cum Secretario Armenteros: cui de ſuis meritis, & exprompta voluntate, multa commemorat, mittens eum ad ſuam Celſitudinem, ecquid aliud velit. Cui illa dici juſſit, nihil aliud quàm ut obtemperet: alioqui incontinenti ad regem ſe miſſuram; ne tam impudens & audax factum impunitum relinquat. Quo audito perſtitit adhuc in ſententia non poſſe ſe obtemperare; & ita abiit. Hic juvaret exclamare, & cælum pariter & terram & Maria Neptuni appellare; ſed appetente nocte nolo moram adferre curſori quo minus has quam citiſſimè perferat, ut ſciat amplitudo veſtra revocationem remiſſam; qua de re jam ſecundo ſua Celſitudo me admonuit, quæ medio tempore ſecundas veſtras literas jam acceperat. Nec eſt opus ut Præſes Flandriæ, quemadmodum poſtulatum eſt, ſuum de Magiſtratu Gandavenſi adviſum mittat, quando id jam per amplitudinem veſtram eſt factum.

Quæ hic junctæ ſunt, literæ ſunt Domini Aſſonnevilii, quas illuſtriſſima Duciſſa mihi tradidit. De Aggæi noſtri filio ſanè gaudeo. Ego ſaluſtios veſtros in reditum expecto. Dominus Cobelius ſe plurimum amplitudini veſtræ commendat, ad vos excurſurus, ſi Gandavi commorari contigiſſet. Bene vale, Reverende Præſul, unice patrone. Uxor vobis plurimam ſalutem. Raptim Bruxellæ 15. Aprilis 1563. Reverendæ amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA XXXVI.

ARG. *Rumores à Galliâ, magnum illinc bellum imminere, cujus Dux regni Admiraldus. De Anglis & Germanis eadem jactitata. De Christophoro Frum, in Belgio custodiæ mancipato, amicè expostulat Angliæ Regina.* GANDAVUM.

S. P. Literas vestras, ad decimam quintam hujus mensis scriptas, Reverende Præsul, hoc momento horæ undecimæ, ante prandium diei decimæ sextæ, accepi; ac quamquam quidem desiderio amplitudinis vestræ jam satisfactum est (nihil enim prætermisi diligentiæ, prout debeo, quantum in me fuit) per literas meas hesternas, sub noctem scriptas, tamen nolui hunc tabellarium vacuum ad vos redire: scilicet ut amplitudo vestra plenè intelligat, placere suæ Celsitudini ut in sabbathum sequentis hebdomadæ, & si opus est paulo amplius, reditus vester differatur.

De Re Episcopali, & Cancellarii Brabantiæ Tragedia, quoniam iisdem literis scripsi, nihil est hic opus repetere. Non accessit ab eo tempore quidquam scriptione dignum, nisi una Epistola Assonnevilii nostri, quâ multa commemorat, tam de statu illius regni, quâm de iis quæ de rebus nostris constanti satis famâ illic feruntur. Summa eorum est: Admiraldum Galliæ magnum nobis Bellum machinari, idque prætextu Religionis. jam illum scire numerum eorum quos hic habet rebus suis faventes: dispositas esse insidias, quæ brevi pluribus locis in ipsis visceribus nostris erumpent: ipsum, cum ingentibus copiis Huguenotarum, non Gallorum modò, sed & Germanorum (nam eo pertinere collectionem militum in Germania) superventurum, & omnia igne & ferro vastaturum: Anglis interim mare infestantibus, quibus amodo persuasum est, restitutionem Calesii per nullum alium quàm per Regem Catholicum impediri: hæc omnia expectanda esse ante menses tres; *quod Dii prius omen in ipsos* authores hujus Rumoris convertant.

Addit quædam ibi quoque mussitari de Christophoro Frum, captivo illo nostro; quod ita esse re ipsa compertum habemus per literas Reginæ Angliæ ad suam Celsitudinem; quâ amicè

quidem, sed tamen expressè petit, ut dimittatur, aut certè causa scribatur cur in carcerem sit datus, & ibidem adhuc detineatur.

Literas amplitudinis vestræ ad suam Celsitudinem mox post prandium ipse reddam. Cura, Amplissime Domine Præses, optime Patrone, ut valeas. Bruxellæ 16. Aprilis 1563. Reverendæ amplitudinis vestræ Paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA XXXVII.

ARG. *De Feione, Viglii Amico & conterraneo, ex nimio esu carnis porcinæ, gravi morbo laborante.* GANDAVUM.

S. P. Hactenus de publicis ferè scripsi, Reverende atque Amplissime Præsul, nunc de privatis scripturus sum. Feio vester ex nimio esu carnis Porcinæ, quam voravit magis quàm comedit, his feriis Paschalibus in gravem morbum incidit. Quem quidem quoniam vidit ingravescere Mathisius, qui sanè diligentissimam illi præstat operam, tres alios sibi heri adjunxit medicos; cum quibus heri, me præsente (nam ita volebant) latissimè communicavit. Omnes doctissimè dixerunt sententiam; &, quod rarissimum est in medicis, ejusdem fuerunt opinionis. Ea erat, morbum, qui levior initio fuit, nunc conversum videri in Pleuritidem; debilitatem virium non pati sanguinis missionem, aut etiamsi fieret, non profuturam propter totum sanguinem jam in crudum humorem conversum. Itaque non aliam spem superesse, quàm in pectore purgando quod perdifficile est factu. Adeô ut heri, administrata Sacro-sancta Eucharistia, hodie extremam unctionem de Consilio Mathisii illi curaverimus administrandam. Et, quantum ad cætera attinet, habetur tam diligenter, ut si filius domûs esset, non posset diligentius. Bene vale, Reverende Præsul, optime parens ac patrone. Salutat amplitudinem vestram plurimùm Dominus Van der Aa, qui nunc hic est de quibusdam negotiis, cænaturus mecum cum Domino Boesbekio. Raptim, Bruxellæ 18. Aprilis 1563. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXVIII.

ARG. *In Hollandiam trajicere cogitat Hopperus, brevem illic moram facturus. Driutius, Brugensium Episcopus, rerum adhuc suarum incertus.* BRUXELLAS.

S. P. Absoluto Negotiolo, quod hîc habebam, Reverende Domine Præsul, hodie Antverpiam cogito, & inde in Hollandiam; ubi, quantùm intelligo, non ita multorum dierum nobis labor est; nisi fortasse Status â parte sua quoque procedere velint. Qui tamen & ipsi facile expedient; saltem uti ita fiat, & quam citissimè ad Amplitudinem vestram revertar, etiam atque etiam operam dabo.

Driutius valde avet cognoscere quid de Episcopatu suo futurum sit: nondum quidem otium fuit ea de re colloquendi; sed exponam illi rem omnem quo loco sit, ut sciat quam rationem rerum suarum inire debeat aut non debeat. Isthinc abiens quærebam Scheltonem à Liaukema, ut illi valedicerem; sed non reperiebam, quod dolebam. Scripsi ad uxorem ut pro me faciat officium. Conjunxi cum his schedulam de iis quæ in negotio Flandrensi resoluta sunt, nam uti ita facerem, Amplitudo vestra mandarat. Bene vale, Reverende Domine Præsul, unice Patrone. Mechliniæ Calendis Maiis 1563. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXIX.

ARG. *Consilium Brabantiæ tergiversatur, quo minus Revisionis suæ Principi rationem reddat. Antverpiæ magna contentio inter civitates fœderis Hansici, & Bremenses cives.* BRUXELLAS.

S. P. Reverende Domine Præsul, tametsi heri scripsi, nec quidquam interea loci se obtulit quod Amplitudinem vestram scire magnopere opus videatur, tamen nactus hanc oportunitatem, quâ Stelandius, nobilis Illustrissimi Domini Cardinalis, in hoc diversorio, medio itinere, inter Antverpiam & Bredam,

nobis occurrit : censui eâ utendum & Amplitudinem vestram de via salutandam esse.

Refert Vlierdenus Consilium Brabantiæ tergiversari quo minus revisionis suæ rationem suæ Celsitudini reddat; quod uti suo more facit, ita contra omne bonum & æquum; cum *jucundi introitûs* articulus expressè dicat : Ducem Brabantiæ, vel ejus Vicarium, justitiam debere administrare per Consilium : ita ut Consilium nihil aliud sit quam instrumentum : Dux autem revera ille, qui justitiam administrat. Qui quidem uti non facile præter consuetum quidquam admittere debet : ita omninò ad ipsum pertinet, si quæ aliquando querelæ de justitia malè per Consilium administrata fiunt, uti caussam cognoscat, &, si opus videatur, remedium adhibeat

Antverpiæ magna contentio est, inter Civitates fœderis Hansici & Bremenses. Illos dico qui expulsis Magistratibus, nunc rerum potiuntur; quos non modo privilegiis Hansæ privari volunt, donec Magistratus restitutus sit; verum etiam omni Commercio & Negotiatione prohiberi. Cura, Reverende Præsul, optime patrone, ut valeas. & uxorem quæso à me salutari jube. Raptim è Westdoorn postrid. Calend. Maii 1563. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XL.

ARG. *In Beyerlandiam celeri itinere ierat Hopperus, componendi negotii caussâ, quod habebat Comes Egmontius. De metu in Galliis à copiis Germanorum. Egmontii, potentiam Granvellani Card. ægrè ferentis, cum Hoppero colloquium.* BRUXELLAS.

S. P. Reversus huc ex Bavaria, unde tamen scripsi (sed scio literas non redditas) nihil prius habui, Reverende Domine Præsul, quam Amplitudinem vestram ejus facere certiorem: nec non earum rerum quæ illic actæ sunt. Primum, quantum ad Negotium de quo profectus eram, expleta sunt omnia ex parte Domini Egmondani, quæ effici potuerunt : idque quantâ potuimus diligentiâ qui diebus decem tantum perfecimus, quantum alioqui, nisi properassem, & ad Amplitudinem vestram

quam primum reverti cuperem, vix viginti aut viginti quinque perfici potuiſſet. Pars adverſa præſens quidem fuit, & ſanè juſto numero; ſed propter abſentiam Cobelii negavit ſe quidquam poſſe agere. Itaque perſtitit in eo, quod iſthic petierat, ut dies prorogetur, & duo Commiſſarii dentur. Poſt cauſam auditam ac cognitam, reſervavi definitionem ejus ſenatui; ut ad eum ea de re referatur.

Exploratis obiter animis ac voluntatibus partium, periclitari volui, ecquid ſuper negotio principali inter eas poſſit convenire. Egmondanus minùs alienus eſſet à concordia, ſi non hæc dilatio nonnihil illum exacerbaſſet, oſtendit tamen ſibi placere, ut ductus aquæ, quo de agitur, eo ſtatu maneat quo nunc eſt, dummodo de damno, & eo quod intereſt, ſibi ſatisfiat, arbitratù Principis Auriaci, Marchionis Bergenſis, & meo. Deputati Statuum, nec ipſi ab ea re ſunt alieni; & jam mihi ſatis ſeorſim declararunt, ſi de decem aut duodecim millibus agatur, per ipſos non futurum quo minus tranſigatur: de reliquo verò ad Status ipſos ſe relaturos dixerunt, & mihi brevi reſponſum miſſuros. Nec diſplicet ullo modo conditio per Egmondanum oblata; niſi quod in locum Bergenſis, Conſiliarium aliquem dari mallent.

Hæc de negotio quo de iveram. Jam horis ſubceſivis ſæpe Dominus Egmondanus me ſolum apud ſe reſervavit, & quædam quæ ex curia allata eſſent, & potiſſimùm de metu à copiis Germanicis in Gallia communicavit. Inter cætera quoque, & quidem multa multis, de Domino Cardinali. Summa Rei huc tandem redit, privatæ offenſæ nihil inter eos intercedere: de bono Reipublicæ tantum agi, eamque in unius manu eſſe non debere; hoc ſe non poſſe perpeti. Illi ego reſpondi, quantùm ego videam, non videri mihi Cardinalem hoc agere, ut ſolus imperet; ſed potius ut omnes, ad quos ea res pertinet, in ſuam quique partem vocentur. Multa â multis malevolis aliter atque res eſt narrari. Rectè facturos proceres, ſi illis aures non præbeant, ſed ex vero rem expendant. Quid multa? Quamvis malevolorum invidiâ rem exaſperari ſæpe fatetur, redit tamen ad primum, nec non ad Renardum; me nihilominus collaudans, & gratias habens eo nomine, quod Rem ad pacem & concordiam, quam ad majorem diſſenſionem deduci malim. Diſceſſique tandem ab illo peramicè, & cum ſummâ gratiâ, quantum videtur.

Veniens heri Bredam, intellexi Ducem Clivenſem pridie ejus diei illinc diſceſſiſſe; ibique cum Meghano Comite, & Bergenſi, totum biduum apud Principem fuiſſe. Quid Rei inter eos forte actum ſit, non quivi intelligere; & aberat tum quoque Montanus, Steenbergham cum Principe profectus. Qui ſi domi fuiſſet, aliquid fortaſſe, niſi ſecretum fuiſſet, potuiſſem reſciſcere.

Hoc mane huc appuli, daboque operam ut quamprimum intelligam, quid tàm Antverpienſes, quàm publicanus, qui adventum meum ſæpe ac multum deſiderarunt, per me fieri velint. Quo quam celerrimè confecto, quod omnibus modis adnitar, dabo operam ut quam primum me vobis ſiſtam; quamquam diem aliquam ſtatuere in poteſtate mea penitus non eſt. Ubi autem erit, continuo ſignificabo. Bene vale, Reverende Præſul, optime patrone; & me, ut facis, ama. Raptim, Antverpiæ 13. Maii 1563. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLI.

ARG. *Antverpienſe negotium lentè procedit. Epiſcopus Middelburgenſis Tholnis magnâ cerimoniâ rem divinam facit. Lindani Epiſcopi qui Cathedram ſuam necdum aſcenderat, cum Librariis contentio. Tornaci & Valencenis tumultuari pergunt Sectarii; ſibique ab Geneva Miniſtros, quos vocant, mitti poſtulant.* BRUXELLAS.

S. P. Literas veſtras, ad ſextam hujus menſis ſcriptas, Reverende Domine Præſul, heri rediens à cæna primùm accepi; quod culpâ eorum accidiſſe ſcribit Ballivus Tholnenſis, qui in Beyerlandiam ad me miſſi non fecerunt officium: adeò ut dies renovandi Magiſtratus jam prætererit. Rogans tamen, ut, quoniam neceſſitas Reipublicæ ſic poſtulat, vel nunc eo excurrere velimus. Ego quid facturi ſimus vehementer ſollicitus ſum; nam ab una parte movet me cupiditas redeundi domum, ac potiſſimum quidem ad Amplitudinem veſtram; cujus me amor & obſervantia indies magis ac magis ſollicitum reddit, ne qua forte in parte officio deſim; ab altera, Rei evidens neceſſitas;

ceſſitas; quæ quoniam triduo confici poteſt, ulteriorem moram admittere non videtur. Statui diſpicere quid res feret, ubi Antverpienſe negotium erit confectum; quod poſt triduum, ut puto, futurum eſt; ſperans interim aliquid ab Amplitudine veſtra ſuperventurum literarum, quibus de voluntate veſtra certior fiam.

Iſti homines lentè hactenus proceſſerunt, cauſantes abſentiam Hallii noſtri; qui & ipſe plus movere quam promovere ſolet. Sed cæpi jam ipſe eos incitare; ita ut brevi rem confectam iri exiſtimem.

Scribit Ballivus Tholnenſis, Epiſcopum Middelburgenſem poſſeſſionem Tholnis accepiſſe, ibique rem divinam, ſeptima hujus menſis, magnâ cerimoniâ celebraſſe. Tantundem Lindano noſtro, qui adhuc hîc eſt, optarem; qui cum non habeat quod agat in ſuo Epiſcopatu, hîc librarios exagitat. Non injuriâ quidem; nam creſcit, quantum video, nimium eorum audacia; ſed non ſatis, ut puto, prudenter; propter invidiam, non hîc modo, ſed & apud ſuos. Itaque admonui ut rixas cum librariis, quas intelligo nonnullas interceſſiſſe, miſſas faciat: ſi quid verò non rectè videat fieri, ejus curiam faciat certiorem; ut per eam remedium, quod oportet, adhibeatur.

Malè me hactenus habuit cunctatio Germanorum in Gallia; ſed refecerunt me plurimum literæ amplitudinis veſtræ, quibus bona ſpes oſtenditur, quam Deum oro ut fortunet; quem & Rebus Tornacenſium, & Valencenenſium, per vos & prudentiam veſtram, opem laturum confido. Quanquam nunquam concoquere potui, & neſcio quam mihi ſemper ſuſpicionem injecit, Eſpringallii liberatio; quæ aut nimium favoris habuit, aut multorum aliorum condemnatio nimium rigoris. In ſumma, fuit ea apud me, Reipubicæ non bene repurgatæ, Celſiſſimum ſemper argumentum; quod & eventus docet. Quin & Genevam ab iis ſcriptum audio pro miniſtris mittendis; adeo ad res novas omnium animi ſunt erecti. Cum hæc & alia ejuſmodi cogito, cuperem, relictis rebus omnibus, vobis adeſſe, & de iis ſermones conferre; quod volente Deo brevi futurum eſt. Interim, Reverende Præſùl, optime parens ac patrone, plurimum vale. Antverpiæ 16. Maii 1563.

Novorum librorum non multum hîc eſt, præter opera Bedæ, digna ſane lectu. Eſt & nova Genealogia Chriſti, quam nondum vidi. Adferam corpus utrumque juris quod Senatus emi juſſit. Iterum vale. H

Domini Arenbergensis intemperiem, Amplitudinem vestram tam bene concoquere, sanè gaudeo. Quod ad reliqua attinet, quum ante Nuptias non vult discedere in suas provincias, non video quid jure possit conqueri. Certè ne qua in me mora sit, etiam atque etiam operam dabo. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLII.

ARG. *Optat ut Viglio Gandavi moram aliquantisper trahere liceat. Literæ Comitis Arenbergensis, de ingenti militum manu Belgio imminente; Marchionis item Bergensis de turbis Valencenensium, de quibus Consilii Privati sententiam exquirit Gubernatrix.* GANDAVUM.

S. P. Vos bene valere, & paterni nominis memoriam etiam in Flandria constituisse, Reverende Domine Præsul, vehementer gaudeo. Illustrissima Ducissa heri quærebat, ecquid ab Amplitudine vestra accepissem; &, quantum ego rem video, nihil adhuc causæ est, cur non ad Joannis usque istic manere liceat. Et si quid fortasse oriatur, uti averti possit, quantum in me erit operam dabo.

De Marchione Rethiensi, & Fritzmano nostro, uti omnia, ut oportet, procurentur, curæ habebo. Jamque Bertyum semel atque iterum admonui, ut ejus memor esse velit.

Quæ hic à profectione vestra nova se obtulerunt, scriptione digna, sunt literæ Domini Arenbergensis, & Marchionis Bergensis; quorum ille de copiis scribit, quas Emdensis, Holstensis, uterque Bruynsvicensis, & Georgius ab Holl cum Monickhusio habent ingentes; hic vero de Rebus Valencenensium. Ait re bene perpensâ ac deliberatâ, videri sibi remedia, quibus hactenus utimur, non aliò pertinere, quàm ut in diem malum abeat; & quod Ducissa ab ipso quæsivit, quid porro Consilii capiendum videatur, se, post omnia cogitata nihil habere quod dicat. Placuit suæ Celsitudini, de Consilio Reverendissimi Domini Cardinalis, ut in Consilio secreto ea de re deliberetur; in quo nunc toti sumus. Quod apud Dominum Cardinalem officii fieri amplitudo vestra postulat, jam factum est. In negotio Lichterveldico placuit, ut, dum reditus vester expectatur, dispicia-

mus ecquid rem inter partes componere, & ad pacem & concordiam deducere queamus. Cura, Reverende Domine Præſul, optime patrone, ut valeas. Bruxellæ 18. Junii 1563. Reverendæ Dominationis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLIII.

ARG. *Præſes Friſiæ non favet inſtituto novorum Epiſcoporum. Dicteria, (Paſquillos vocant) ad Gubernatricem occultò miſſa. Dux Ericus cum exercitu ſuo propiùs indies ad Belgicæ fines accedit. Tornaci Concionatores Hæretici capite plectuntur. Paſtorum Catholicorum, Valencenis magna inopia.* GANDAVUM.

S. P. Quod plurimum gaudeo, Reverende Domine Præſul, nulla hîc mentio hactenus de Amplitudine veſtra revocanda. Negotium Marchionis de Renty, & Domini de Bryas, heri cæpimus agitare, Dominus Egmondanus & ego. Lis eſt, ſi bene inſpiciatur, vix de tribus Capellis.

Fuit hîc Præſes Friſiæ; ſed quoniam Amplitudo veſtra aberat, excurrit in Patriam; unde poſt pauculos dies huc eſt reverſurus. Ab Epiſcopatibus alienior videtur; aitque omnia apud noſtros tranquilla eſſe, nec videri convenire ut moveantur. Ego dixi, nimiam illam tranquillitatem multis bonis diſplicere; valdeque metuere, ne quid monſtri alat. In ſumma, tota res rejecta eſt in ejus reditum & veſtrum, quem expectari Reverendiſſimus Dominus Cardinalis juſſit.

Allatæ ſunt heri literæ ad illuſtriſſimam Duciſſam, quæ intus non aliud quàm Paſquillum continent, ex Pſalmis & Prophetis Conſarcinatum, nullo nec ingenio nec gratia. Quoniam Dominus Cardinalis ibi potiſſimum appeti videtur (quamquam id admodum dubium, tam apud ipſum Dominum Cardinalem, quàm apud me eſt) juſſit diligenter ſua Celſitudo perquiri unde profectæ ſint, nam conſtat Magiſtro curſus Antverpiæ datas. A quo autem, quæritur.

Quoniam Dux Ericus cum ſuis copiis in dies propiùs ad nos accedit, juſſit Duciſſa, rogatu Domini Arenbergenſis, Curſorios equos diſponi, inter Lingium & Bruxellam; quo tanto expeditius literæ & Nuncii ultrò citrò poſſint commeare.

Tornaco heri allatum est, filium cujusdam Concionatoris Hæretici captum esse, & de tribus aliis ultimum supplicium captum iri. Dominus Bergensis, rogatus ab sua Celsitudine, quid porrò Consilii capiendum videatur, respondit, se nihil habere. Quâ causâ factum est quod Consilium nostrum jussum est super ea re deliberare; in quo totum fere triduum fuimus occupati.

Dominus Cameracensis scribit se nullos idoneos pastores invenire, qui Valencenis collocentur; quod tamen apprime videtur necessarium; aut saltem vt boni aliquot Concionatores quærantur, qui ad tempus populum doceant. Bene vale, Reverende Domine Præsul, ac patrone, Raptim Bruxellæ 20. Junii 1563. Uxor se vobis etiam atque etiam commendat. Reverende Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLIV.

ARG. *Hæresis à Metensium Concionatoribus in Vicinas Belgii partes propagata. Liber aliquis, censuræ obnoxius, ementiti Privilegii favore impressus; in quam fraudem acriter inquirendum Hopperus censet. Trudonopoli turbarum quoque nonnihil ab novarum opinionum assectis.* GANDAVUM.

S. P. Literæ Domini de Courieres, & cum iis Procuratoris generalis, quas Amplitudo vestra ad me misit, Reverende Domine Præsul & Patrone, pergratæ suæ Celsitudini fuerunt; rogatque ut Amplitudo vestra ipsis respondens, suo nomine gratias agere, ac diligentiam fidemque eorum (maxime vero Domini de Courieres) collaudare velit. Ut autem ex iis ad eam referebam, quærebat, ecquid de reditu vestro haberem. Cui cum respondissem, Dominicam proximam reditus dictam esse diem, cœpit placidè ridere. Et ergo, inquiens, paulò diutius emansurus est, quàm putarat. Sed bene habet, quoniam nihil est quod nos admodum urgeat; tuque ad eum scribens, multam illi à me salutem dicito.

Heri renovatus est Magistratus Lovaniensis nec non Bruxellensis, præsente ex more Cancellario; quem plurimum metuerat Illustrissima Ducissa ne quid turbarum daret. Sed gessit se

modeftè; adeò ut cum difceffiffet, plurimùm fe lætari fua Celfitudo diceret, rem fic abiiffe.

Variæ allatæ funt literæ ex Luxemburgo, de Metenfium Concionatoribus, & aliis Gallis vicinis, qui fines noftros corrumpunt & inficiunt. Pofitum eft in deliberatione, quidnam remedii adhibendum videatur.

Sylvius, quem huc evocari reverendiffimus Cardinalis voluit, ait, librum, quo de agitur, non ante ab fe impreffum, quàm jam ab duobus aliis, Plantino & Wasbachio quodam, multo ante femel atque iterum fuiffet impreffus, & privilegium expiraffet; quæ res fecit, quo minus eum unquam legerit, aut ante impreffionem aut poft; propterea quod femel approbati libri, quemadmodum Plantini impreffio præ fe fert, in perpetuum habentur pro approbatis; fanctiffimè jurans, nihil fe fciviffe, nec ulla ratione quidquam tale in fe velle admittere. Dolus mihi effe videtur in Privilegio Plantini impreffo; ubi pofterioris libelli mentionem inferuit. Quod falfum effe, inde planum eft, quod Sylvius admonitus ab Domino Tiletano, inquirens in eam rem, non nifi prioris libelli mentionem in ipfo autographo privilegio invenit. Itaque in eam rem acriter videtur inquirendum.

Adjunxi his literas Comitis Emdenfis; fed id quod petit jam procuratum eft. Scripferat enim quoque ad fuam Celfitudinem.

Crypio idem quod Aggæo ferme in nato filio contigit; fed venia, inquit vetus proverbium, primùm experienti.

Quin in Cellyck me vobis fiftam, nullo modo, volente Deo, prætermittam; obviam iturus Teneramundam ufque, fi Illuftriffima Duciffa pateretur.

Apud Sanctum Trudonem aliquid videtur gravis motus propter fectarios fuiffe; fed nihil habeo adhuc certi. Bene vale, Reverende Præful, unice patrone. Uxor plurimam vobis juffit adfcribi falutem. Bruxellæ 23. Junii 1563. Reverendæ Amplitudinis veftræ paratiffimus fervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLV.

ARG. *In Hollandiam properanti Hoppero, obex injectus.* GANDAVUM.

S. P. Nondum intraveram portam Mechlinienſem, Ampliſſime Domine Præſes, cum mihi occurreret tabellarius Statuum Hollandiæ, cum literis, quibus diem inquiſitionis differri deſiderant, ſeque ad eam rem penitus imparatos eſſe ſignificant: ſed brevi advocatum huc venturum, ut cum eo de die ſtatuatur. Quantum ad me attinet, meumque deſiderium, quo à vobis ne pedem quidem movere opto, ſanè gaudeo: ſed vereor ut Dominus Egmondanus nimis ægrè id ferat; & haud ſcio an immerito. Tum autem negotio Epiſcopi Harlemenſis hac re mora injicietur non exigua. Quamquam ad id dici queat, rem non uſque adeo feſtinatione indigere; & per eos, qui Bruxellam quotidie ex Hollandia commeant, aliquo modo quid rei ſit poſſe reſciri.

Omninò ad vos hodie revertiſſem, (*a*) niſi Negotiolum unum atque alterum, quod nunc obiter confici poſſe exiſtimo, me hîc retineret. Quo hoc veſpere, aut cras mane expedito, cras, faventibus ſuperis, ad veſperam vobis adero. narrant mei Stynam hac iter feciſſe rectaque ad vos contendere; quod gaudeo. Bene vale, optime ac modis omnibus obſervande Pater & Patrone. Mechliniæ 27. Julii 1563. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

(*a*) *Revertiſſem* : unum è multis ab Hoppero in re Grammaticâ erratis; ſed calamo properanti, animoque rebus magis ſeriis intento, condonandum. Hopperus nullius liberalis eruditionis expers erat, quod alia ejus ſcripta demonſtrant, quæ cum non mediocri ingenii ac doctrinæ famâ typis vulgavit.

EPISTOLA XLVI.

ARG. *In Zuytlandiam profectus erat Hopperus; incertum quâ de causâ. Prælati Brabantici, novorum Episcoporum adversarii, consilia conferre pergunt. De maritandâ Viglii consanguinea, Hopperi cogitatio.* BRUXELLAS.

S. P. Nactus hanc occasionem, Reverende Domine Præsul, nihil prius habui quàm has exarare, & quo loco res nostræ sint perscribere. Peracta loci in rem præsentem inspectione, sumus nunc in Zuytlandia, pago, cui etiam Westenryck nomen est; ubi audiendis testibus occupamur. Urgeo quantum possum, ut absolvamus; scilicet ne profectioni Amplitudinis vestræ diuturniorem moram adferam. Et proficio nonnihil, sed non quantum velim. Tantum tamen effectum est; ut, quæ hic agenda sunt, hodie perfici posse videantur. Cupiunt & aliis nonnullis locis complusculis testes producere; sed ego tantum præscindam, quantum ex bono & æquo quoquo modo potero; nec cessabo donec me vobis, quod Deus fortunet, reducem sistam.

Quid de Prælatis Brabanticis actum sit, valde avidè in reditum expecto. Nam scio, ex quo ab Illustrissima Ducissa discessum est, eos quorundam hominum (quos coram nominabo) Consilio usos: à quibus boni-ne plus an mali expectari debeat, in dubio est.

Crypius hîc est cum cæteris; &, præterquam quod bellè valet, bene partes suas quoque sustinet. Transiens Mechliniâ, Igrammi (*a*) uxorem, (nam ipse prior me adiit) salutavi, cum filiolo & sorore. Omnes mihi visi sunt valde rectè valere, placuitque, non plus macularum in Facie superesse; nec dubito, quin magnam voluptatem Amplitudini vestræ suâ præsentiâ sint allaturi.

Dum hæc scribo, & de marito juniori sorori quærendo cogito, venit in mentem cujusdam adolescentis non malè docti, &

(*a*) Igrami ab Achelen, primum in Frisia, post Bruxellis in Consilio privato Senatoris, tunc Supremi Senatûs Mechliniæ Præsidis. Duxerat is uxorem clementiam Hoytema, Viglii ex sorore neptem.

valde locupletis; & qui non aliud quærit, quàm ut honeftâ aliquâ conditione decoretur. Is eft filius Joannis Caroli Bruxellæ; cujus fororem duxit Doctor Dionyfius Schroots. Quantum enim ego eos novi, videntur ambabus manibus hanc occafionem amplexuri, dummodo veftra fit certa voluntas. Qua de Re cum Reverendo Domino Præpofito Morillono Amplitudo veftra, fi videtur, confulere poterit, eum enim, & juvenem ipfum bene noffe, & bonam operam hac in re navare poffe, fcio. Bene vale, Reverende Domine Præful, optime patrone. Ex Zuytlandiâ 13. Septembris 1563. Reverendæ Dominationis veftræ paratiffimus fervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLVII.

ARG. *Nihil admodum effe quod Viglii reditum feftinare debeat. De Minoribus aliquot negotiis obiter mentio facta.* GANDAVUM.

S. P. Primum illud præmitto, Reverende Domine Præful, his literis, quantumvis feftinæ illæ fint (nam ita voluit Illuftriffimus Dominus Cardinalis), nihil agi, quod aut inftitutum, aut quietem veftram, debeat interturbare. Solum enim hoc agitur, ne Amplitudo veftra earum rerum, quæ literis hifce inclufis continentur, fit ignara; & ut commiffarii, deftinati ad Negotium juxta Gravelingam, ad diem fint parati. Cujus rei curam Secretarius Vander Aa in fe fufcepit, juxta formulam fibi datam.

De Re vinaria non folùm cum Reverendiffimo Cardinali, verùm etiam cum Illuftriffima Duciffa egi. Ajunt ambo, ab Dominis nihil expectandum effe querimoniarum; quoniam Dominus Egmondanus abhinc paucis diebus magno ftudio eam rem egit. Et quod de Mercatoribus dicitur, verius de illis ipfis accipiendum & intelligendum effe, qui tam follicitè, cùm in curia, tum apud Amplitudinem veftram, hoc negotium tractarunt; eofque non tam publicum, quam fuum bonum fpectare. Itaque placere, ut, quod cæptum eft, peragatur. De Scholteto Hagenfi, inquifivi. Retulit mihi Van Loo, qui reliquis omnibus abfentibus folus nunc Financias fuftinet, advifum (quemadmodum & Amplitudo veftra dixerat) petitum effe

Sumus

Sumus nunc toti, Dominus Aſſonnevilius, & ego, in Bousbecano & Haulterivano negotio. Res difficilis quidem, ſed tamen aliquos progreſſus habet; ita ut non omni ſpe deſtituamur. Cura, Reverende Domine Præſul, optime patrone, ut valeas. Raptim, Bruxellæ 24. Septembris 1563. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLVIII.

ARG. *Dolet Hopperus novorum Epiſcoporum inſtituto*, tam ſancto, *inquit*, tam neceſſario, *non malos modò, ſed & qui putantur boni, adverſari. Friſii, nì Magiſter Haio ipſis Epiſcopus detur, quemcumque alium repudiant. Valencenis & Tornaci Religionis diſſidia aliquantiſper ſedata. Monachum Hiſpanum, qui Brugis cuſtodiæ mandatus fuerat, Rex in Hiſpaniam mitti poſtulat, ſi ſalvis id Belgii legibus fieri poſſit: ſi ſecus, ad triremes damnatus, ipſe, & alii quidam concaptivi, vel ſic in patriam mittantur. De Daniæ Rege conqueruntur Amſterodamenſes. Joan. Molinæus, Doctor Lovanienſis, qui novos Epiſcopos totis viribus oppugnabat, Lovanienſem D. Petri Præpoſituram petere audet, indignante Hoppero.* GANDAVUM.

S. P. Literas veſtras, ad vigeſimam octavam hujus menſis ſcriptas, Reverende Domine Præſul, eâdem die ſub nocte accepi. Ex quibus video Wellemannum antiquum obtinere, & ſemper eodem revolvi. Ego neſcio quodnam novi hujus Epiſcopalis inſtituti, tam Sancti, & tam neceſſarii, ſit fatum, quando ei, non mali modò, ſed & qui putantur boni, adverſantur. Certè perpauci inveniuntur, qui ſe fautores & adjutores ei rei præbent.

Scit amplitudo veſtra de Leovardienſi Epiſcopatu omnia bona nos ſemper ſperaſſe. Allatæ ſunt nudius tertius literæ Domini Arenbergenſis, cum Adviſo Conſilii Friſiæ: aiunt, & in eo perſtant, non convenire huic tempori, ut novus Epiſcopus in Friſiam introducatur: niſi forte Magiſter Haio Commiſſarius

Epiſcopus creetur; illum enim cum bonâ gratiâ noſtrorum hominum poſſe introduci; alium autem, ſi quis fortaſſe creatus eſt, nequaquam. Quemadmodum adviſum ipſum valde miror, ita vehementiſſimè miror de Præſide, illum Magiſtri Haionis ullam mentionem audere facere, qui ſciat jam alium conſtitutum, quem ipſemet convenit.

Res Valencenenſes ſatis ſunt tranquillæ, quemadmodum ſunt & Tornacenſes; eſtque heri ſcriptum ad Dominum de Montigny, de equitibus dimittendis, & peditibus minuendis. Allatæ ſunt literæ ab Regia Majeſtate, de monacho illo Hiſpano, qui Brugis captus fuit, unà cum Davalos, & tertio quodam, in Hiſpaniam mittendo: ſi quâ modò per leges licet. Sin minus, ut in triremes damnati, hâc ratione ſaltem in Hiſpaniam deducantur.

Adſunt Amſterdammenſes, de Rege Daniæ conqueſturi; & expectatur in dies adventus Knoppardi, qui jam Bredæ eſt, apud Principem Auriacum. Fuit hîc heri Molinæus, & obtulit Libellum Suæ Celſitudini pro Præpoſitura Lovanienſi, quam rumor eſt per mortem Præpoſiti vacare. Ego hominis nimiam impudentiam non ferens, graviter cum eo expoſtulavi de inexplebili aviditate.

Toti ſumus cum Domino de Wacken in negocio nautico, quod valde procedit; eſtque nunc domi meæ ipſe Dominus de Wacken, (nam noluit ad ſe veniri), ut, quod cœpimus, continuemus; quæ res manum quoque mihi de tabula tollere cogit. Illud tamen addam, Illuſtriſſimam Duciſſam heri, cum Buſcoducenſis Magiſtratus renovaretur, amantiſſimè de amplitudine veſtra rogaſſe & quæſiviſſe, ecquid primitias ſuas Amplitudo veſtra Gandavi eſſet celebratura: cui reſpondi, me neſcire. Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis ſalutem veſtram quam lubentiſſimè accepit, & quàm plurimam renunciat.

Res Hagenſis nonnihil nunc quieſcit; ſed advigilabo ne qua occaſio pereat. Bousbecanum negotium, ut fere in omnibus cauſis injuriarum fieri ſolet, difficiles progreſſus habet; ſed aliquid tamen, ut ſpero, efficiemus. De Prælatorum Brabantiæ negotio, unde cœperam, faciam diligenter quod Amplitudo veſtra jubet; & quid actum erit perſcribam. Bene vale, Reverende Domine Præſul, Sanctiſſime mihi Pater & Patrone. Uxor, & vobis, & omnibus veſtris multam juſſit adſcribi ſalutem. Raptim Bruxellæ 29. Septembris 1563. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLIX.

Arg. *Pax composita inter Bousbecanos & Haulterivios, privatam ob injuriam dissidentes. Adversus eos, qui Regem Philippum Ecclesiasticis rebus manum autoritatemque admovere ægrè ferebant, Consilium Privatum censet*: Quæ hîc fiunt, (*apud Belgas*), partim jure communi niti, partim antiquis Privilegiis & Concordatis, longâve consuetudine: & partim denique sententiâ juris communis, quod jubet, ut Principes se protectores præstent Religionis & Ecclesiæ; quæ utique aut funditùs interiret, aut certè magnam plagam (*in Belgio*) acciperet, nisi Rex manum admoveret. *Litteræ querimoniarum plenæ ab Mansveldio.* Gandavum.

S. P. Quod de commendatore Nessensi ad me scripsisti, Reverende Domine Præsul, protinus, ut accepi, curavi. Placuit autem ut Scholteti advisum quoque habeatur; ut, si res minus succedat, saltem intelligat commendator, non studium sibi, sed jus defuisse.

Heri composita pax est inter Bousbecianos & Haulterivios. Relatione ad Illustrissimam Ducissam facta, jussit, ut nomine Regiæ Majestatis Haulterivio interminetur, ne, aut verbo, aut facto, nec sui quoque excusandi causâ, famam puellæ lædat.

Quod ad Prælatos Brabantiæ attinet, jussit sua Celsitudo, & ita visum quoque est Reverendissimo Domino Cardinali, ut, vocato Wellemanno, videamus ecquid convenire inter nos possit; quæ & Amplitudinis vestræ, nisi fallor, est sententia.

Relatum est tam ad Consilium Secretum, quam Statûs, de articulis ex Consilio missis, & annotationibus Amplitudinis vestræ ad marginem appositis: utrobique omnium consensu approbatæ sunt annotationes, nullo dempto, nec mutato. Unum tantum additum est in capite: quæ hîc fiunt, partim jure communi niti, partim antiquis Privilegiis & Concordatis, longâve consuetudine; & partim denique, sententiâ juris communis; quod jubet, ut Principes se protectores præstent Religio-

nis & Ecclesiæ; quæ utique, aut funditus interiret, aut certè magnam plagam acciperet, nisi Rex hîc manum admoveret. Quinimò, si ex eorum præscripto agendum esset, non tam restaurationem immunitatis Ecclesiæ sperandam, quam rerum omnium confusionem metuendam esse.

Allatæ sunt heri literæ, & in senatu Statûs recitatæ, ab Mansveldio, plenissimæ omnis generis querimoniarum. Ultimus articulus est de Consilii inter se dissidio, & de Procuratore in numerum Consiliariorum per Commissarios restituto. Quâ re & authoritatem suam vehementer læsam ait, & in ordinationes, quæ de numero Consiliariorum extant, graviter peccatum.

Negotium Scholteti Haghensis silet; nisi quod substitutum Procuratoris Hollandiæ hîc vidi, quem scio inter competitores esse. Si quid opus erit, curabo ne desim officio. Bene vale, Reverende Domine Præsul, optime patrone. Bruxellæ 3. Octobris 1563. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA L.

ARG. *Privata quædam de Viglii amicis aut consanguineis, & Hopperi itinere Batavico.* BRUXELLAS.

S. P. Quoniam hic tabellarius ad vos ibat, Reverende Domine Præsul; non potui omittere, tametsi occupatus, quin verbulo uno aut altero amplitudinem vestram salutarem. Non quidem quod quidquam habeo scriptione dignum, sed ut amplitudo vestra intelligat nos salvos & sanos, per fœdas has tempestates, Delphos, laus superis, heri venisse, ubi Dominam Hesseliam invenimus. At quantum ad negotium nostrum attinet, quo de huc profecti sumus, id ita cœpimus, ut, nisi quid interveniat, intra triduum, volente Deo, finem ei imposituri videamur: in qua re nullam partem studii ac diligentiæ omittemus, ut mox ad vos, quod sanè antiquissimum mihi est, redeamus.

Iter faciens Roterodamo, nihil prius habui quàm Stynæ Domum lustrare, quam eleganter equidem & bellè ædificatam reperi, nec non fenestras vitreas satis bene ornatas. Et quidem eo magis, quod utriusque Buchonis arma, Galero Cardinalitio

tecta sunt; quod ex præscripto Stynæ & Elysabethæ se fecisse Hubertus nobis retulit. Credo Protonotarii Galerum esse debere; vocatoque pictore Vitrario, jussi colorem mutari. Bene vale, Reverende Domine Præsul, ac patrone unice; & me nihil magis optare, quàm ut ad Amplitudinem vestram quàm primùm redeam, & debita officia, quibus nihil mihi suavius est, faciam, certo vobis persuadete. Raptim, Delphis. 3. Augusti 1564. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LI.

ARG. *Daventrienses & Groningenses de subsidiaria pecunia Regi numeranda conveniunt. Daventriensium querelæ de consessu Quæstoris, inter XXIV. judices, quos* Etten *vocant. Philippi Regis insignis victoria, in ipso freto Gaditano obtenta. Cantoneius, Card. Granvellani frater, ad Cæsarem legatus destinatus, ingentia dona ab Rege accipit.* GANDAVUM.

S. P. Quoniam ab discessu Amplitudinis vestræ, Reverende Domine Præsul, nova huc allata sunt, non indigna memoratu: censui pergratum me vobis facturum, si paucis ea perscriberem. Primùm literæ sunt heri redditæ Domini Arenbergensis, quibus Daventrienses duodecim millia, Groningenses viginti millia, subsidii causâ, Regiæ Majestati concessisse significat. Daventrienses, inter cæteras querelas, de consessu quoque quæstoris inter viginti quatuor judices, quos *Etten* vocant, conqueruntur. Sed Dominus Arenbergensis ad cæteras quæstiones respondens, eam silentio, (nescio an de industria, & fortasse in favorem Quæstoris) transmittit.

Cursor ab Hispania hodie venit specialis, cum novis de victoria, quam in ipso freto Herculeo, deo approbante, Rex obtinuit. Cœpit autem arcem munitissimam, ut ajunt, toti illi oræ maritimæ imminentem; cum oppido, (quod emporium dicunt esse percelebre) subjecto. Nomen illi dant Hispani hîc nostri *l'Esprignon de Vezes.* Ferunt permagnam esse rem, & à qua non freto tantùm Gaditano, sed & Magnæ parti maris Mediterranei contrà Hispaniam perpetua pax sit constituta.

Regina meliuſculè, ſed nondum bene dicitur valere. Principem noſtrum nova febris invaſit, neque non Principem Parmenſem; quod Illuſtriſſimam Duciſſam in hoc tanto gaudio, minus quidem, ſed tamen aliquo modo, videtur malè habere.

Addit mihi Armentarius ad hæc, privatum quidem, ſed tamen bonum quoddam, & quod amplitudini veſtræ puto fore perjucundum, qua de cauſa etiam ad vos perſcribi juſſit. Ait Chantoneium, fratrem Illuſtriſſimi Domini Cardinalis, res omnes ſuas planè ex voto peregiſſe; præterque legationem ad Cæſarem, ingentia dona ab Rege accepiſſe, cum aliquot millibus annuis.

Ut ad Dominum Egmondanum ab Domina hodie forte miſſus ſum, ultrò mihi ſermonem de Colloquio veſtro intulit: ſeque his paucis diebus cum ipſa Domina Duciſſa ea de re communicaturum ultrò obtulit; quâ de re ingentes illi habui atque egi gratias; cætera Deo Optimo Maximo, & Amplitudini veſtræ, pro ſuo pluſquam paterno in me immeritiſſimum amore, committens.

Multitudo negotiorum non eſt paſſa, ut negotium de Mouchet his jungerem; ſed id cras, favente Deo, ſubſequetur. Bene vale, Reverende Domine Præſul, optime Pater & patrone; & quod iſtic datur temporis ſine curis lætus & hilaris tranſige. Raptim, Bruxellæ 23. Septembris, imâ veſperâ 1564. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LII.

ARG. *Dominus Andreas, (ſic Hopperus vocat) Jeſuita, malè à Snecenſibus tractatur. Literæ ab Oratore Angliæ, quibus paratam Reginam ſcribit vim Edictis ſuis tantiſper abrogare, modò in Belgio idem fiat. Lovanienſes in tributario ſubſidio concedendo tergiverſantur.* GANDAVUM.

S. P. Mitto, Ampliſſime Domine Præſes, Schedas ad negotium Mouchet pertinentes, quas Domino Andreæ noſtro, Jeſuitæ, tradidi; qui huc venit ut rerum ſuarum hiſtoriam vobis recitet, & quàm indignis modis ab meis Snecenſibus, quod permoleſtum mihi eſt, ſit tractatus.

Lectæ ſunt heri literæ in Conſilio Statûs, ab Oratore Angliæ; quibus paratam Reginam ſcribit Edicta ſua, quibus gravari nos querimur, ſuſpendere, dummodo idem à parte noſtra fiat: & ita pari jure ad communicationem perveniatur. Addit, jam rem fuiſſe confectam, niſi Edictorum Reginæ Mariæ mentio à nobis fuiſſet facta, quod Anglos mirificè turbaſſe, & totum negotium propemodùm rupiſſe ait. Rejecta eſt deliberatio in hodiernum ſenatum. Mihi ſemper viſum eſt, & adhuc videtur ſufficere, ut, quemadmodùm ipſi præ nobis ſemper tulimus in Edictis noſtris, ea ſuſpendantur ab Anglis Edicta, quæ noſtris cauſam dederunt: reliqua autem communicationi reſerventur.

Negotium ſubſidii nondum ex ſententia Lovanii procedit. Scribit Dominus Princeps, hodierno conventu rem in hanc vel in illam partem inclinaturam. Reliquum eſt ut Reverendam Amplitudinem veſtram quàm optimè & lætiſſimè valere jubeam. Bruxellæ, 26. Septembris 1564. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LIII.

ARG. *Lovanienſes tributi petitioni annuunt. Conſilii Privati ſententia, conditiones, ab Angliæ Regina oblatas, acceptandas eſſe, ſi melius aliquid obtineri non poſſit. Valencenenſes in XX. millia ſlorenorum Regi pendenda conſentiunt; quod ultra petitur, abnuunt.* GANDAVUM.

S. P. Quod fœlix fauſtumque ſit, Ampliſſime Domine Præſes, Lovanienſes, quantumvis duri & præfracti, tandem ſe paſſi ſunt expugnari; redieruntque Dominus Princeps, Cancellarius, & Theſaurarius cum triumpho.

De negotio Angliæ heri frequenti ſenatu tractatum eſt. Omnes convenimus ſententiis, excepto uno Domino Aſſonnevilio; qui novas iterum conditiones proponi volebat. Mihi Domina Duciſſa hoc impoſuerat oneris, ut, quamnam viam ab initio inſtituiſſemus, & ad quem finem ſemper contenderimus, demonſtrarem: quod feci, ſcriptis ipſis in medium adductis; quibus auditis, omnes reliqui uno ore dixerunt, & ita quoque defini-

tum eſt, tam communicationis quàm ſuſpenſionis, (ſi nihil aliud liceat impetrare, quod tamen prius tentandum eſt) Conditionem acceptandam eſſe. Et ne, quod Amplitudo veſtra prudentiſſimè metuendum eſſe ait, verba nobis dentur, viſum eſt, nullam fieri debere ſuſpenſionem, antequàm perventum ſit ad ipſam communicationem.

Cardinalis Illuſtriſſimus, de re quam Dominus Egmondanus movit, latiſſimè ſcripſit ad Dominum Præpoſitum Morillonum. Ego, ut ſuperioribus literis ſcripſi, totum me Deo vobiſque dedo ac committo; nec à me quiſquam hac de re unquam ſcivit aut ſciet.

Syricum Denianum apud Dominum Cameracenſem collocavi, qui eum Reverendæ Amplitudinis veſtræ causâ libentiſſimè ſuſcepit; eſtque jam profectus Cameracum.

Valencenenſes adduci non poſſunt ut amplius quam viginti millia pendant; pro reliquis ſexdecim millibus ſpes eſt eos fidejuſſuros. Non quidem apud ſuos cives creditores militum, quod nos intenderamus; nam id ſibi cupiunt reſervare; ſed apud mercatorem, à quo mutuum petetur.

Rem Varlenii & Godardi à Reede, ita uti Amplitudo veſtra jubet, curæ habeo; neque non quod de Reverendiſſimo Domino Cardinali eadem mandat. Bene vale, Reverende Domine Præſul, & Patrone: uxor plurimam vobis juſſit adſcribi ſalutem. Bruxellæ 29. Septembris 1564. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA

EPISTOLA LIV.

ARG. *Lovanienſes multa ſibi concedi poſtulant, occaſione ſubſidiariæ pecuniæ Principi dandæ. Brugenſium, adverſus D. Titelmannum, inquiſitorem, gravamina; ut & civium Amſterodamenſium adverſus Magiſtratum. Libelli famoſi, Brugis. Gubernatrix quotidianas Tragœdias omnes ad Regem perſcribit, mirè illarum pertæſa. D. Andreæ, Jeſuitæ, facultas data, in Monaſterio Ilſlenſi ludum literarium aperiendi.* GANDAVUM.

S. P. Scripſi nuper, Reverende Domine Præſul, de ſubſidio ab Lovanienſibus conceſſo. Quod quidem uti veriſſimum eſt, ita tamen nunc comperimus eſſe factum, ut, aut ad nihilum prope recidere debeat, aut iniquiſſimæ conditiones ſubeundæ ſint. Adeo nihil non auſi ſunt poſtulare. Credo tamen fore, quantum ſua Celſitudo heri mihi dicere videbatur, ut hodie certi aliquid ſtatuatur; quod quidem hactenus dilatum eſt propter Domini Egmondani abſentiam: qui Domino Vaudemontio, ſororio ſuo, Dieſtam uſque obviam proceſſit, ut illum huc cum ſorore Duciſſa Aerſchotenſi adducat.

Eſt hic ab aliquot diebus Dominus Titelmannus Inquiſitor, ut Brugenſibus, qui ſuum huc Penſionarium miſerunt, reſpondeat. Quantum adhuc rem quivi intelligere, (nam cunctantur Brugenſes) non omninò optimè de eo conqueruntur, ſed forte Inquiſitori jure non deeſſet quod ipſemet conqueretur.

Venit huc Schultetus Amſterodamenſis, cum aliquot civibus, ſi non primariis, minimè infimis certè; qui graves querimonias adverſum Magiſtratum, nullis tamen expreſſis nominibus accuſatorum, exhibuerunt: quarum quæſitorem Dominum Principem poſtulant. Adverſum eos venerunt Burgimagiſter & Penſionarius; qui ne quid durius in eos, niſi auditos, ſtatuatur, ſupplicarunt: quod quoniam rationi & æquitati viſum eſt conſentaneum, ita quoque decretum eſt.

Præter ſuperiores, allati ſunt his diebus alii libelli famoſi, qui Brugis inventi ſunt, paſſim contra Paſtorem ibi quemdam pro-

positi : quod mirificè suam Celsitudinem offendit ; adeò ut non contenta Bruxellensi, Antverpiensi, & Rupelmondanâ historiâ, Brugensem quoque ac Middelburgensem ad Regem perscribi jusserit : quem vereor ne tot malorum accumulatione nimium commoveatur, & rem hic planè desperatam esse, suspicetur. Postquam Anglicani negotii impetum sustinuimus, ne ea de re Amplitudo vestra revocaretur, aut consuleretur : spero in reliquis non difficile nos curaturos, ne quid sit quod otium & tranquillitatem vestram interpellet.

Domino Andreæ, Jesuitæ, literas dedimus, ut in Monasterio Ilflensi (sine præjudicio tamen ordinis Carmelitarum) ludum aperire ei liceat. Bene vale, Reverende Domine Præsul & Patrone. Bruxellæ 4. Octobris 1564. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LV.

ARG. *Viglii reditus maturandus, si itineris sui consilium exsequatur Gubernatrix. Brugensium & Amsterodamensium expostulationes, (de quibus in Epistola præcedente) non satis justæ. Tumultus ingens Antverpiæ ortus, ob supplicium de Fabricio sumptum.* GANDAVUM.

S. P. De profectione Illustrissimæ Ducissæ Amplissime Domine Præses, nihil adhuc, quod sciam, est constitutum. Quod quidem in primis Amplitudinem vestram scire ex re putavi, ut ex eo & ipsa de sua profectione mansioneve statuat. Interim hoc adhuc mane suam Celsitudinem adibo, (nam heri cum redderentur literæ, nox erat) & quod imperatum est, curabo. Cujus mox Amplitudinem vestram faciam certiorem. Nec video cur, si ita commodum est vestræ Amplitudini, non ad biduum aut triduum isthic posset commorari, donec Ducissa resolverit. Ratio Brugensium non placet, nec quoque Amsterodamensium; quantum ad eos attinet, qui veteres querimonias novis criminationibus refricant. Burgimagister & Pensionarius, tametsi nihil admodum amplius habent hîc quod agant, tamen reditum vestrum expectare duxerunt.

Quid Antverpiæ in executione Fabricii factum ſit, jam credo communi rumore audiviſtis. Qui hîc ſunt Antverpienſes rem valde extenuant. Et, ne quis præveniret, ipſi primi ſuam Celſitudinem adierunt, & quanta potuerunt elevatione narrarunt. Veritas autem, quantum ab Endio noſtro, Advocato Hollandiæ, qui tum illic erat, accepi, neque non ab aliis, hæc eſt : cum pridie condemnatus eſſet, tota nocte ſequenti magnus concurſus fuit circa carceres, omnis generis hominum, frementium & dira minantium. Id ita affecit cives, ut poſtridie tabernæ omnes clauſæ manſerint, nec quiſquam merces ſuas exponere auderet. Quo autem tempore producendus reus erat, concurritur ad forum : ubi primùm mirum ſilentium, in tanta multitudine; etiam cum jam produceretur, & ſtruem lignorum circumiret. Ingreſſurus verò ſtruem, ut aſcenderet ad locum ſupplicii, convertit ſe ad populum, quaſi concionaturus. Quod quoniam prohibebatur, fremitus & murmur ingens natum eſt, quod tamdiu durabat donec in locum ſupplicii aſcendiſſet, & ad palum magna celeritate conſtrictus eſſet : concionante interim Marcgravio, & non ſuum, ſed Regis & Duciſſæ factum eſſe prædicante. Inter hæc laqueus ſumma feſtinatione collo circumdatur, ut ſtranguletur. Quod animadvertens quidam, continuò in locum ipſum ſupplicii ſe proripit, ſtrictum pugionem manu tenens, quo primùm tortorem invadit, quem leviter vulnerat. Mox funes, quibus ligatus reus erat, diſcindit. Quo facto, corpus ſemivivum, & adhuc palpitans in terram cadit : ſuper quo aliquantiſper pugnatur, donec quidam ex lictoribus facem ardentem in materiam ad hoc præparatam infert, quæ accenſa ingentem mox flammam dedit. Quâ toto foro apparente, clamor excitatur vehemens : volant ſaxa incredibili impetu : tortor & reliqui lictores graviter vulnerantur. Et cum his Scholtetus, Marcgravius ter quater lapide percuſſus, tandem fugam arripere, & ſibi conſulere cogitur. Atque hæc omnia in conſpectu ſagittariorum, quos vocant, qui armati ſuis in ſtationibus domeſticis otium agebant, nec in publicum à Marcgravio ſe produci patiebantur; quòd unius Burgimagiſtri, (qui tum hîc erat cum ſuo collega) non autem Marcgravii imperio ſe ſubeſſe ajebant. Sua Celſitudo Berchemio Burgimagiſtro negotium ſe dediſſe heri mihi dicebat, ut quid rei ſit intelligat. Malim Procuratori Generali, aut alii datum. De Domino Aſſonnevilio & Virgilio quod juſſit Amplitudo veſtra curabo. Cura, Reve-

rende Domine Præsul, & patrone, ut valeas, teque nobis incolumem conserves. Bruxellæ 6. Octobris 1564. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LVI.

ARG. *Gubernatrix profectionem suam ad veris initium rejicit. Lovaniensium Postulatis, etiamsi minùs æquis, quoquo modo satisfactum. Reginæ Angliæ promissis, de tollendis Edictis, non satis fiditur. Fabricii corpus, in profluentem projectum, ne quid ampliùs inde tumultus oriatur. Rumor incertus, insidias strui Duacensibus à Gallis.* GANDAVUM.

S. P. Statuit heri Illustrissima Ducissa, Reverende Domine Præsul, hac hyeme, nisi aliud quid incurrat, hinc non movere; idque tum quidem propter cœli incommoditatem, tum propter Principis & Egmondani absentiam: quorum hic in Hollandiam properat, ille Bredam ad uxorem parturientem.

Lovaniensium postulatis, tametsi iniquis, quoquo modo satisfactum est; itaque non restat aliud quam ut ea res tandem concludatur. Valencenenses, ultra viginti millia, quæ dabunt, fidem suam interponent apud Mercatores pro sexdecim millibus. Sed dixit mihi obiter heri Thesaurarius, nullum inveniri Antverpiæ mercatorem, qui cum illis hoc modo, id est, quia spondent pro Principe, contrahere velit.

Orator ex Anglia scribit, Reginam contentam esse, quantum Sicelius dixit, promittere, se sua sponte, post aliquantulum temporis, Edicta Reginæ Mariæ sublaturam: sed nolle videri coactam Edictis nostris id fecisse. Rescriptum est, ut acceptet promissionem; & suspensis utrimque Edictis, de quibus agitur, quam brevissimè ad communicationem veniatur. Quod ita placuit, non quidem quia illi promissioni multùm videtur credendum; sed quia jam prope constitutum erat, quæstionem illam de Edictis Reginæ Mariæ non ampliùs urgendam esse, sed communicationi reservandam. Titelmanni Inquisitoris causa hic variè agitatur; tametsi nihil videam in quo excesserit: & quod de quatuor Membris Amplitudo vestra nuper præsagierat, evenit.

Querimonias Amſterodamenſium in conſilio ſtatus ſua Celſitudo audire poſtulat.

Recitatæ ſunt heri literæ Marcgravii, de Fabricio, conſentaneæ fere iis quæ nuper ſcripſi; niſi quod addit, ſæpius cœptum fuiſſe cantari: & corpus non conſueto loco ſe poſuiſſe, ſed in profluentem ſe projeciſſe, ne quid ampliùs tumultûs inde oriatur.

Sunt quoque recitatæ literæ Suendii, de quibus coram malo quam per literas agere. Mirum enim quo res vergant, niſi prudenter obviam eatur.

Juvenalis noſter ſuo more multa hîc de inſidiis, quæ Duacenſibus à Gallis ſtruuntur, conqueritur; quæ uti non magni facienda, ita non omnino negligenda ſunt. Eſſent plura, ſed aliquid in reditum eſt reſervandum, quem cupidè in ſingulos dies expectabimus. Interim Amplitudo veſtra, Reverende Domine Patrone, etiam atque etiam valebit. Bruxellæ 8. Octobris 1564. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LVII.

ARG. *Inſula Melitenſis à Turcis tentata. Flandri centum quinquaginta millia florenorum ſibi condonari poſtulant. Cum Aſſonnevilio de negotio Anglico tractatum. Querelæ Optimatum de iis quæ literis regiis continentur, &c. &c.* IN LOO CHRISTI.

S. P. Quod nihil hactenus ſcripſi, Reverende Præſul, partim per abſentiam & occupationes propè continentes contigit; partim quod nihil eſſet quod ſcriptione admodum dignum videretur. Quæ de Melitenſi bello feruntur, tametſi jam ad vos perveniſſe arbitror, non abs re tamen viſum eſt verbo indicare, veriſſima ea eſſe, & è Sicilia & Roma à graviſſimis auctoribus ad ſuam Celſitudinem perſcripta. Arx Sancti Helmi quinque graviſſimos aſſultus fortiſſimè ſuſtinuit. Periêre Turcarum non minus quatuor millia, exceptis vulneratis. De noſtris non ita multi deſiderantur. Arx Sancti Angeli, quæ munitiſſima eſt, nec adhuc à Turcis tentata, novo præſidio ad ſeptin-

gentos usque aucta est. Aucti & animi nostrorum; tùm quidem accessione commeatus & præsidii, tùm vero fælici rerum successu. Cui additur fons in ipsa arce de novo repertus: quod pro miraculo habetur. Turcæ, amissis uno ictu Bombardæ octo aut novem præcipuis Ducibus; in quibus & ille erat qui Rhodum ceperat, minus se ostendunt animatos; seque jam in naves suas plerique omnes receperunt, relictis in terra tribus millibus ad impedimenta bellica tuenda. Gesta sunt hæc medio mense junio. Quæ equidem, si quæ alia, digna supplicatione videntur, tam ad gratias Deo agendas, quàm ad preces faciendas, ut & reliqua fortunare velit.

De Negotiis nostris: auditi abhinc triduum Flandri, qui hoc attulerunt, destituros se de posterioribus postulatis suis, dummodo de quadringentis quinquaginta millibus, quæ adhuc restant solvenda, remittantur centum quinquaginta millia. Quæ conditio periniqua visa est, nec ulla ratione accipienda; nisi quod placeat, de tota summa centum quinquaginta millia impendere in ea debita Regis, pro quibus civitates & respublicæ Flandrorum spoponderunt.

Lectæ sunt eodem die in senatu literæ, quæ ad Regem scribuntur; nec aliud expectatur quam ut tandem finis huic tam diuturnæ scriptioni imponatur.

Ad horam octavam vespertinam ejusdem diei in curiam revocatus, mandatum accepi, ut Assonevilium per literas accerserem, ad finem negotio Anglico imponendum, ejusque rationes, quas semper ursit, coram audiendas. Quod ipsius rogatu factum esse, postea deprehendi. Nec aliò videntur multi tendere, quàm ut tota hæc actio irrita reddatur, & infructuosa: quod neque Ordini nostro, neque Financiis, re heri plenè deliberatâ, placet: Ubi venerit, videbimus quid rei sit.

Accepi eodem tempore aliud mandatum, literis suæ Celsitudinis ad Regiam Majestatem inferendum. Graviter scilicet tulisse Optimates nostros, quod posterioribus literis regiis, de Inquisitione, Anabaptistarum punitione, Brugensium cum Episcopo quæstione, & Pensionariis Germanicis perscribitur: quibus aliud remedium quærendum esse censetur. Estque de posteriori parte, quæ ad Pensionarios pertinet, nudius tertius plenissimè tractatum; nec ulla ratione placuit ut dimittantur.

Heri literas ex Anglia accepimus, quibus significatur, jam convenisse cum Reginâ ut omnium instrumentorum exempla nostris dentur.

Relatum eſt heri quoque de Inquiſitoris cauſa contra Brugenſes. Viſum eſt ut ex ſententia Secreti Conſilii res conſcribatur, & deinde apud ſuam Celſitudinem recognoſcatur.

Damonenſes paratos ſe quidem aiunt, ut de æquis conditionibus pacis hìc agatur, cæterùm, ut Dominus Cobelius ea de re in Friſiam eat, nullo modo ſe conſentire.

Neptem, ubi venerit, quàm potero amiciſſimè, ut debeo, accipiam: rebuſque omnibus quibus opus erit juvabo. Fac, reverende Præſul, optime patrone, ut valeas; teque nobis diu conſerves. Bruxellæ 21. Julii 1565. Reverendæ Amplitudinis veſtræ. Paratiſſimus ſervitor. JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LVIII.

ARG. *De novo Conſiliario Brabantiæ, Damantii filio, defuncto Hammio ſubrogandò. De Negotio Anglico Senatorum ſententiæ, ſecundò, tertiò, exquiſitæ. Hollandici cujuſpiam negotii procuratio Senatori Bruxellio demandata.* GANDAVUM.

S. P. Mortuo Hammio, Conſiliario Brabantiæ, optaret Dominus Damantius filium in locum ejus ſuccedere. Ego Dominam ea de re conveni, cùm adhuc Hammius ægrotaret. Reſpondit ſatis benignè. Nunc cenſuit Damantius ea de re ad Amplitudinem veſtram ſcribendum, ut & judicii veſtri teſtimonium apud Duciſſam accedat. De quo quidem quoniam voluit ad Amplitudinem veſtram ut ſcriberem, non potui, tametſi occupatiſſimus (nam ne horulæ quidem moram ille, uti homo eſt, patitur) denegare. Nec dubito quin eadem veſtra Amplitudo omnem illi favorem libentiſſimè impendet.

Toti ſumus in Negotio Anglico; bis hoc enim, tam in Finantiis, quàm in Conſilio Status, omnium ſententiis deliberatum eſt, contra ſententiam commiſſariorum. Quia tamen nondum deſtiterunt urgere, (quod nimiâ importunitate Mercatorum puto accidere) cenſuit ſua Celſitudo tertiò repetendam deliberationem. Voluiſſet autem Domina Amplitudinem veſtram adeſſe; ſed quando id fieri non poteſt, meas partes eſſe putavi vel literis ſaltem ſignificare, non quidem ut otium veſtrum interpellem, ſed ut

his & aliis commemorandis (nam varia nunc jactatio est undarum civilium) quietem istam vestram tanto reddam suaviorem.

Decreta est quædam commissio Hollandica in Dominum Bruxellium, ex causâ, quam Amplitudinem vestram, cùm adferetur, illi spero non recusaturam: quod tùm ipsi gratum erit, tùm & alias non incommodum. Bene & fæliciter suaviterque vale, Amplissime Domine Præses, sanctissime Patrone. Raptim Bruxellæ 25. Julii 1565.

Circa Stinam omnia rectè esse, omnes speramus & optamus. Amplitudini vestræ uxor se etiam atque etiam commendat. Reverendæ Dominationis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LIX.

ARG. *Familiarem quemdam suum festivè commendat. Multa iterum de rebus Anglicis: pauca de Damonensium, Groningensium & Amsterodamensium querelis. Quæ ab Insula Melitensi prospera nunciata fuerant, in fumos abeunt. Patres Consilii Provincialis Cameracensis sarta tecta tueri cupiunt, quæ Rex sibi suisque judicaverat servanda. Jurgium in Senatu Bruxellium inter & Cobelium.* GANDAVUM.

S. P. Vix tandem, Reverende Præsul, Summa noster caudam genitivi pluralis nactus est, quam sperat Amplitudinem illi vestram explicaturam, eâ lege qua dictum est. Accessêre quinquaginta; sed quando aliter fieri non potuit, confidit, tantillam accessionem Amplitudini vestræ non fore molestam. Cupit enim vobis omnibus modis inservire; non solum hâc in re, in qua grandiora, ab aliis oblata, eam ob causam se ait contemnere; sed in cunctis, semperque & ubique, sine exceptione. De Rebus Anglicis multis diebus, magna contentione, actum est. Stetit quæstio, in pannorum vectigali Commissariorumne Judicium, an curiæ, sequi oporteret. Cessit facile rationi, & communi opinioni, Princeps legationis: alter non item. Ab omnibus tamen, uno illo excepto, consideratum: siquidem invitâ reginâ id fieret (præterquam quod proprios Ordines nos-

tros

tros haberemus adversos) necessariò fore, ut magna id incommoda secum traheret. Primum enim, communicationem hanc ruptam iri, & ad Edicta Navigationis, Manufacturarum, Negociationis pannariæ prohibitæ, & alia id genus, rediri. Deinde intercursum ipsum ex consequenti quoque esse rumpendum: quod an rebus nostris conveniat, incertum est. Certum autem non sine causa eum constitutum, nec malè hactenus res nostras ejus observantiam se habuisse. Accedit tertium, Reginam procul dubio, (tametsi non bono jure) in eam partem id interpretaturam, ut, cum intercursu, fœdera quoque Pacis, & arctioris amicitiæ, rupta censeantur. Quod si non bellum, (propter res ipsius non minus quam nostras accisas) certè multa incommoda posset adducere, & magnam partem negociationis aliò derivare; maximè quando Angli ita jam sibi prospexerunt, ut proximo anno nullâ à nobis necessitate premi, aut certè in leges nostras facile cogi possint. Itaque in hoc itum est, ut Curiæ sententia sequenda sit: nisi Regina ab se impetrari patiatur, ut suis hîc vectigal amplius, pro modo auctorum vectigalium in Anglia, imponatur.

Damonensium & Groningensium querelas vix tandem per negotia recognoscere potuimus. Pauculis quibusdam mutatis, secutum fere est Consilium opinionem Amplitudinis vestræ; placuitque ut ad Dominum Arenbergensem, qui hîc est, & deinde ad Amplitudinem vestram eâ de re referatur. Re auditâ, probavit Consilii sententiam Arenbergensis; nec puto Amplitudinem vestram improbaturam. Non placet tamen Domino commissario; qui pacem ab se factam omninò hac ratione in dubium venturam putat: quod equidem non spero; sed contrà, illius si judicium sequeremur, planè de eâ esse actum, Amplitudo vestra videbit & judicabit.

Amsterodamenses hîc adhuc hærent; sed multitudo negotiorum, & eorumdem magnitudo, non patitur ut illis operam dare possimus: nisi quod de lastagio non nihil seorsim agi cæptum est, propterea quod accelerationem ea res indigere videtur. Nihil adhuc absolutum.

Nova Melitensia, de quibus Amplitudinem vestram puto audivisse, vereor (& quidem non incertis argumentis) ut vana sint. Dragutum tamen mortuum, verum est, quemadmodum & alia nonnulla nimis sunt vera.

Hâc horâ Episcopus Namurcensis de Concilio Provinciali Ca-

meracenſi retulit ad ſuam Celſitudinem. Optant Patres, quædam ſibi ab ſua Majeſtate integra ſartaque & tecta conſervari: quæ planè illa ipſa ſunt, quæ nos contrà ſuæ Majeſtati, ejuſque vaſallis putavimus conſervanda.

Egredienti mihi ab Domina Duciſſa retulit Dominus Hermes, abſente me, grave jurgium interceſſiſſe inter Dominum Bruxellium & Dominum Cobelium, de Re Groningenſi, & ad injurias uſque proceſſum. dabo operam ut res componatur, &, quâ oportet modeſtiâ, gravitate, & æquitate tractetur.

Uxor & tota familia omnia bona vobis dicere juſſerunt. Fac, Ampliſſime Domine Præſes, unice Patrone, ut valeas, & iſthoc otio jucundè perfruare. Bruxellæ 2. Auguſti 1565. Reverendæ Dominationis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

JOACHIMI HOPPERI, FRISII,

EPISTOLARUM

A D

VIGLIUM AB AYTTA ZUICHEMUM

PARS SECUNDA.

EPISTOLÆ AB HISPANIA.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM. *Epiſtola ex itinere; Cameraco.*

TAMETSI gener omnia vobis de itinere commemoraturus eſt, Reverende Præſul, tamen ut vacuus omnino ſine meis literis rediret, non potui committere, eo minus, quod Amplitudini veſtræ nihil gratius eſſe ſciam, quam hoc quidquid eſt officii. Cogito, ubi in Galliam nonnihil fuero progreſſus, tentare, ecquid curſu publico uti queam. Sin minus, illud nullo modo, approbante Deo, omittam, quin poſt tergum relictis impedimentis, quàm maximis itineribus in Hiſpaniam rectâ contendam. Quod prolato non eſt opus, propter uxorem, quæ in contraria eſt ſententia.

Muſſitatur quidem hîc de iis, quæ iſthic nuperrimè fuere ſparſa; ſed incerto & obſcuro rumore. Ita ut ſperem non tantum eſſe malum, quantum oſtenſum eſt. Epiſcopus tamen Atrebatenſis, qui ad me officii causâ excurrit, paulo amplius metuit. Verùm ita, ut, ſi diligenter proſpiciatur, non putet ſubeſſe periculum. Illud valde urſit, plurimumque Amplitudinem veſtram orat, & ad Rempublicam pertinere exiſtimat, ut Duacenſis captivi, quem ab errore totum revocatum, & ex

animo pœnitere afferit, ratio habeatur: quod quin ſignificarem, quemadmodum receperam, non volui omittere.

Plura nunc ſcribere, neque tempus patitur, neque res ſuppeditat, ſed neminem invenero, cui rectè dem literas, per quem non de omnibus, approbante Deo, ſcripturus. Interim, Reverende Præſul, optime Parens & Patrone, vale, & me, meaque omnia precibus apud Deum, aliiſque rebus omnibus, uti ſemper feciſti, juva. Raptim, Cameraci. Reverendæ Paternitatis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA II.

ARG. *Epiſtola altera ex itinere. In Gallia omnia plena rumoribus de Tumultibus Belgicis. Jeſuitæ Belgæ Pariſiis. Spifamius Genevæ capite plexus, procurante Beza.*

S. P. Reperiens hîc Tarquinium noſtratem, qui has reddidit, non potui, reverende Præſul, quin aliquid ei literarum darem. Quod hactenus lentiùs progreſſi ſumus, partim laſſitudine equorum, partim difficultate itinerum factum eſt. Nunc verò expeditiores magis, Deo approbante, accelerabimus. Qui me convenerunt, omnia hîc plena rumoribus eſſe aiunt de tumultibus Belgicis. Sed quantum quivi ex iis, quæ narrantur, ſuſpicari, inde magis procedunt ii rumores, quod multi ſic optant fieri, quàm quod ita factum ſit. Quomodocumque tamen res ſeſe habet, valde id aveo cognoſcere: eſſetque longè gratiſſimum, ſi, antequam in Hiſpaniam venirem, de omnibus poſſem fieri certior. Nec dubito quin Loius noſter id operam daturus ſit. Circa nos omnia hactenus, laus ſuperis, rectè, quemadmodum & de reliquo in Domino confido.

Quoniam pro equis reficiendis heri hîc ſubſiſtendum fuit, viſi collegium Jeſuitarum; quod commodum in ea ipſa domo repperi, ubi olim habitavi. Habet viros multos inſignes, tam noſtrates, quàm alios; diſcipulos autem quàm plurimos, quos vidi (nam duxerunt me per omnia) optimè inſtitui.

Quæ de Scoticarum rerum mutatione, everſioneque Catholicæ Religionis hîc feruntur, iſthic pervagata jam eſſe puto; ideòque hic non repeto. Spifamium, qui Genevam ſe contulerat,

ibidem vigesimâ tertiâ Martii capite truncatum publicè in foro aiunt, idque procurante Beza; quid autem revera sit, ignoro. Bene vale, Reverende Præsul, optime Patrone; Stinamque meis verbis velim plurimum saluta. Raptim, Lutetiæ Parisiorum, festo Palmarum. Reverendæ amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA III.

ARG. *Templorum, Monasteriorum, &c., in Gallia miseranda facies. Comitem Nogarollum itineris socium nactus est Hopperus.*

S. P. Oblatis his tabellariis, Reverende Præsul, tametsi ignotis, duxi officii mei esse, aliquid illis dare literarum. Quod scribam nihil aliud habeo, quàm omnia hactenus, laus Deo, ex animo successisse; quemadmodum & reliqua, eodem authore, confido successura. Uti cæli & terræ lætissima hîc, in Gallia, est facies: ita templorum, monasteriorum, & aliorum religiosorum locorum, planè miseranda: adeò ut vel hosti misericordiam movere debeat. Non commemoro singulatim, quid in via, quid in pagis, quid in oppidulis, quid Aureliæ, quid hîc viderim. Sed hoc tantum exclamo: *Dii talem nobis avertite pestem.*

Comes Nogarollus, qui jam prope quatriduum nobiscum est, propterea quod ob locum curiæ mutatum cursu publico commodè uti nequeat, omnia mihi ordine, quæ isthic gesta sunt, commemoravit. Ac tametsi quidem longâ observatione videam quo res tendat: spero tamen Deum nos respecturum, &, quo pacto malo huic occurri possit, Regi in mentem missurum. Meum certè studium tanto magis accensum est, quanto statum istum vidi miserabiliorem. Singula, quo modo acta sint, primis vestris literis expectabo. Bene vale, Reverende Præsul; &, cum commodum erit, amicos communes, quæso, a me plurimum saluta. Raptim, Pictavi 16. Aprilis 1566. Reverendæ Paternitatis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA IV.

ARG. *Libellus confœderatorum ad Regem delatus. Epistola quarta ex itinere.*

S. P. Tametsi nullum unquam diem cessavimus, nisi in Paschate, religionis causâ, & bis pro jumentis & impedimentis reficiendis : tanta tamen itineris est longinquitas, ut non ulterius, quàm huc usque, hactenus potuerimus pervenire. Heri primùm a nobis discessit Comes Nogarollus, cujus superioribus literis memini; transiitque hac, ut audio, nudiustertius cursor ordinarius, quem libellum illum, si diis placet, ad Regem portare puto.

Scripsi per suprascriptum dominum Comitem ad dominum Tisnacum, & Cortevillium, de meo adventu; quem non magno intervallo post ipsius in curiam appulsum, spero, Deo auspice, subsecuturum. Sum enim nunc expeditus, ut relictis impedimentis, iisque sequi jussis, rectâ ad Regem contendam. Nihil hinc scribo novi; sed reservo omnia integra, ut, ubi in Hispaniam ventum erit, tantùm non Iliada malorum vobis referam.

Dum prandemus, supervenit Chacon, Hispanus; qui certè fœlicissimo cursu hactenus usus est. Manet hodie nobiscum, omniaque ordine, quo acta gestaque sunt, commemoravit. Cras unà ibimus, ille quidem celerrimis, nos verò celeribus equis; datis iterum literis ad Tisnacum & Cortevillium, ejusdem argumenti, quo superiores. Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone; & communes amicos etiam atque etiam saluta. Burdegalæ, 21. aprilis 1566. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA V.

ARG. *Mantuam Carpetanorum (Madritum) pervenit Hopperus. A Rege honorificè habitus, hospitio excipitur a Cortevillio. Omnia quæ in Belgio gesta sunt, Regi ordine narrat.*

S. P. Quod fœlix faustumque sit, Reverende Præsul, veni in hanc curiam sanus & salvus, cum rebus meis omnibus, ad octavam hujus mensis : quod tam Regi, quàm nostris om-

nibus, præter expectationem accidit. Qui, tametsi bis admoniti a me de via, non ante finem, aut certè medium menſis, me expectarunt. Itum eſt obviam honorificè. Recepit me quàm amiciſſimè Cortevillius, donec de domo proſpectum ſit. Utimur inter nos, Dominus Tiſnacus, alii, & ego, valde familiariter : præſtatque omnia luculenter, quæ ab homine amico præſtari poſſunt.

Eo fere puncto, quo ego urbem ingredior, Rex rus proficiſcitur, ubi biduum commoratur. Interim Tiſnacus & Cortevillius omnia mihi communicant, quæ ſuper rebus iſthic geſtis jam Rex ſtatuerat. Et maximè quidem de profectione ſua, aliiſque eo pertinentibus. Dixi rectiſſimum id mihi videri, & unicum eſſe remedium, ad malum patriæ noſtræ, quo laborat, ſanandum. Cæterùm, dum adornatur hæc profectio, valde videndum eſſe, ne quid medio tempore tumultus oriatur. Id autem quibuſdam ex rebus pendere, quas coram ſuæ Majeſtati exponerem, ſi ita videretur.

Reverſus Rex, confeſtim, poſt neceſſaria quædam negotia expedita, vocat me, accipitque ſupra quàm dici poſſit, humaniter. Trado literas ſuæ Celſitudinis & Amplitudinis veſtræ : legit : ait pergratas eas ſibi eſſe, deque meo ſervicio omnia bona confidere. Expono deinde mandata quæ mihi ſua Celſitudo dederat, & item Amplitudo veſtra; jubetque hiſtoriam narrari eorum per quæ ad noviſſimas has difficultates, (nam cætera in aliud tempus ſervavit) ſit perventum. Quæ omnia in promptu habens, narro ex veritate; ordine orſus a tempore allatæ reſolutionis ſuæ Majeſtatis ſuper adviſo (*a*) .... ex iis non difficile eſſe colligere .... revera rerum agatur; & quonam, ubi advenerit ſua Majeſtas, opus ſit remedio; & quid facto opus ſit ne quid interea turbarum detur. Quod ea re potiſſimùm tenetur, ut noſtri pro ſe quiſque paci & tranquillitati ſtudeant, omniaque integra ſuæ Majeſtati conſervent; quæ procul dubio bonis rationibus ita omnia ordinabit, ut ne cui mortalium juſtæ querelæ cauſa relinquatur, idque non durâ & rigidâ, ſed miti viâ & benignâ, pro innatâ ſibi clementiâ. Rex his auditis, pergratum ſibi fuiſſe ait, rei geſtæ ordinem tam clarè ac diſtinctè, minutèque audiviſſe : cogitaturumque, quia res mag-

(*a*) *In autographo Hopperi pars chartæ exeſa locum hunc mutilum reddidit.*

na eſſet, quanam ratione potiſſimùm fieri poſſit, ut, donec ipſe veniat, omnia maneant tranquilla; collaudans interea Amplitudinem veſtram de optimo in ſe ſtudio; & de carta gratias agens, cum aliis nonnullis, omni lenitate & manſuetudine plenis.

His peractis rebus, poſtridie renuntiat, per literas ſua manu ſcriptas, ſe diligenter ſuper relatione mea cogitaſſe: videri convenire, ut ad quoſdam ipſe ſua manu ſcribat, ad quoſdam per nos, ſub ſuo tamen nomine; ad quoſdam per ſuam Celſitudinem, quæ eſt ſumma eorum quæ hactenus hîc acta ſunt, quæ Amplitudini veſtræ tribus verbis putavi perſcribenda. Ego hodie Principem Ducem Albanum, & alios nonnullos ſalutare, Deo volente, cogito; nec patiar quemquam ad vos ire cui non aliquid literarum tradam.

Dominus Tiſnacus conſiderans ſtatum rerum noſtrarum, non valde properat; & ſapit, meâ quidem ſententiâ. Cura, Ampliſſime Præſes, unice patrone, ut valeas, & amicos omnes quàm amiciſſimè meo nomine ſalutandos cures. Proximis literis de omnibus ſingulatim, quoad ejus fieri poterit, perſcribam. Raptim Madriti 13. maii 1566. Reverendæ paternitatis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA VI.

ARG. *Lovanienſis cœnobii Rector Regem Philippum adit, quo tempore recens eodem advenerat Montinii Dominus. Diſſimiles ipſorum narrationes de rebus Belgicis. Viglii ad Regem literæ. Hujus iterata promiſſio quam primùm in Belgium proficiſcendi. Tiſnacus, qui Viglio ſucceſſor deſtinabatur, tantiſper in Hiſpania remanere juſſus, dum Marchio Bergenſis ibi exſpectatur. Hiſpanicam linguam diſcit Hopperus, & quod a negotiis tempus vacuum eſt litterarum ſtudiis impendit.*

S. P. Quod non ſæpius ſcribam, Reverende Præſul, inopiâ eorum fit quibus rectè literas tradam. Et quod nuper duo treſve hinc ad vos profecti ſunt, nobis certè inſcientibus factum eſt. Malum iſthic in dies creſcere, multorum & ſermone &

ne & literis accipimus; nec minuit metum, verùm multum auxit adventus Gardiani Lovanienſis. Qui cum illis ipſis duobus capitibus, de quibus ad Amplitudinem veſtram me præſente referebat, Regiam Majeſtatem adiit; quæ perbenignè, me per Vandeneſſium aditum parante, illum accepit & audivit. Haud ſcio an commodè accidit, quod ſub idem tempus, quo Monteniacus advenerat, ipſe ſupervenerit; nam non omninò ſimilis eorum eſt oratio.

Literas veſtras ad Regem jam tum acceperam, ſed nondum reddideram; tùm quidem ob Regis abſentiam; tùm verò, quod non opportunum (nam id mihi permiſeratis) videbatur. Cæterùm quia urbem ingreſſus dominus Monteniacus, mox de literis veſtris rogabat, ecquid redditæ eſſent : & intelligens non eſſe redditas, ſubjiciebat, oportunas videri ad id conficiendum, quod res poſtulat : non volui omittere, quin officium facerem, & continuò Regem cum literis & mandatis veſtris adirem. Qui perhumaniter ſuo more, & erga Amplitudinem veſtram amore, eas accepit.

Scripſi nuper quid primo congreſſu cum ſua Majeſtate egerim, expoſitis ſummis capitibus eorum, quæ ſuperiore hieme acta ſunt. Sequentibus diebus omnem hiſtoriam ab ovo audire voluit. Quam quidem, mandata veſtra, & iterata juſſa ſuæ Celſitudinis, ipſamque adeò veritatem, quam ſolam ſpecto, ſecutus, certis capitibus comprehenſam, claram & apertam, nulla circuitione uſus, recitavi : de facto nihil, quod quidem ad rem pertineret, reticens, perſonas autem nullas lædens. Rex non modò omnibus geſtubus & nutubus, ſed & verbis quàm ampliſſimis oſtendit, pergratum ſibi fuiſſe officium; idque non apud me ſolum, ſed & me abſente apud Ducem Albanum; qui id primùm Cortevilio, deinde mihi commemoravit. Si, quid effectum ſit, roges : certè tantùm, ut vix dubitem, quin, ſi quâ ratione fieri poſſit, hoc adhuc anno profecturus Rex videatur; conſtituturus non ſolùm de Religione, (quamquam hoc primum & maximum caput eſt) ſed & de aliis quæ Amplitudo veſtra non ignorat ſummâ quoque ope indigere.

Non ignoro ante omnia quæri quid interea temporis fieri debeat; ac maximè quidem de moderatione, quam tantopere plures urgent : ſed quantum hactenus videre potui, integra ſibi omnia manere mallet ſua Majeſtas uſque in adventum ſuum. Certè, antequam dominus Marchio Bergenſis advenerit (quem,

ſecundùm ſuperiores literas ſuæ Celſitudinis, Adviſa Conſiliorum & Ordinum allaturum putat) nihil omninò ſtatuendum decrevit; quamquam tùm dominus Monteniacus valde inſtet, nec nos omittamus officium noſtrum facere, quemadmodum oportet. (*a*)

Dominus Tyſnacus nondum hinc abiit; ſed urget quotidie ut abeat. Verùm Rex meo ſuaſu juſſit expectare donec dominus Marchio advenerit. Nec ille valde reluctatur, cùm propter calores Hiſpanicos, tùm propter tempeſtates Belgicas, quas ante profectionem ſuam nonnihil cuperet ſedatas. Quotidiè, dum unà ſumus, laborum Amplitudinis veſtræ miſerti, de iis commentamur; jamque Regem iteratò commoneſeci, plus quàm neceſſarium eſſe, ut Amplitudo veſtra vel tandem exoneretur.

De trium Folcardorum promotione ſanè gaudeo; ac dum vos bonas literas iſthic perſequimini, nos hiſpanicæ linguæ toti incumbimus; in quâ aliquos progreſſus, Deo adjuvante, fecimus; licet non tantos quantos velimus.

Aerem hîc invenimus valde clementem, (niſi quod a caloribus cavendum eſt) & quæ ad vitæ neceſſaria pertinent, valde bona; rectèque, laus Domino, hactenus valeo, quemadmodum & in futurum bene ſpero.

Cùm ad ſtudia colenda plurimum ſit temporis, tùm hoc ſolùm moleſtum eſt, quod ab uxore & liberis, veſtraque ſanctiſſima ac ſuaviſſima conſuetudine abſum. Quam tamen moleſtiam lenit ſpes brevis reditus, & cogitatio malorum ac difficultatum in quibus verſamini. Bene vale, reverende Præſul; & communes amicos, & in his dominum Morillonium, plurimùm ex me, quæſo, ſalutato. Scripſiſſem ego ad plures; ſed veritus fui eum, qui has attulit, nobilem juvenem Germanum literis gravare. Quid Stina valeat & agat, ex ipſius literis cupio cognoſcere. Madriti, 25. junii 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

His ſcriptis Rex Segoviam profectus eſt, & nos ſubſequi juſſit cum ſchedis ad res Flandricas pertinentibus, auditurus de omnibus relationem: ſed neſcio an adhuc quidquam certi ſtaturus. Dominus Monteniacus ſubægrè tulit, quod adve-

(*a*) *Quatuor aut quinque lineas vernaculo idiomate hîc inſeruit Hopperus, quas quum difficulter in autographo legere eſſet, prætermittimus, ne forte aliena promamus ab ſenſu autoris.*

nienti non mox omnia declaraverimus, quamquam iſthuc erant perſcripta; ſed id nominatim Rex prohibuerat, qui poſt, nobis id flagitantibus, juſſit omnia communicari. Cras, volente Deo, Segoviam cogito. Madriti, penultimâ junii.

EPISTOLA VII.

ARG. *Quæ Regis conſilium, de ſua in Belgium profectione, mâturare prohibent, rationes enarratæ. Moderatio Edictorum, quæ impensè flagitabatur, non rejecta, ſed dilata. Alternis diebus coram Rege de rebus Belgicis actum ab Hoppero. Rex ipſe, tùm Conſiliarii cæteri, harum rerum, præter exſpectationem, ſcientiſſimi. Montiniacus Conſiliis non adhibitus, nequidquam flagitante Hoppero. Multa Belgarum poſtulatis data, de Inquiſitione tollenda, de Edictorum moderatione, de veterum culparum abolitione; ſed conditionibus quibuſdam propoſitis. Nulla argenti inopia Fiſco Hiſpanico; à quo addicta trecenta millia Ducatorum, Regis & Religionis cauſſæ in Belgio tuendæ; & multo interim major vis pecuniæ, ſi opus ſit, promiſſa. Nulla Comitia generalia haberi vult Philippus. Quæ de* Religionsfrid *coram populo diſputata, egregiè Hoppero diſplicent. Is in Equeſtrem ordinem ab Rege adlectus, ſed nullo addito annuo cenſu; de quo modeſtè conqueritur. Didaci Covaruvias, Segovienſis Epiſcopi, & Joannis Paccii, regii Hiſtorici, laudes. Cœnobiarchæ Lovanienſi viaticum ducentorum Ducàtorum à Rege datum. Archiepiſcopi Bizuntini ad Pontificem Romanum querelæ, Regem, ac Margaritam Parmenſem incuſantis, quod officio defuerint in promulgando Concilio Tridentino.*

S. P. Reverende Domine Præſul, denas veſtras literas accepi ſcriptas hoc ordine, XX.â XXI.â & penultimâ aprilis: I.â & XXII.â maii, XIIII.â XIX.â & XXVII.â junii, &

V.â & XVIII.â julij; ſuper quibus, quominus reſponſum hactenus accepiſtis, non meâ equidem voluntate, imò verò ſummo dolore factum eſt. Sed partim quod non eſſent quibus rectè literæ darentur : partim quod jam a pluribus ſeptimanis de die in diem exſpectavimus quiſnam tandem harum rerum eſſet exitus, & quid conſilii Regiæ Majeſtati videretur capiendum. Quæ quidem, inter cætera graviſſima, hoc ſemper perplexum invenit, quod iiſdem literis & reſponſum abſolutum peti videretur, & tamen Adviſorum, tam Ordinum quam Conſiliorum, miſſio promitteretur, quorum utique nullus putabatur fore uſus, ſi non ante reſolutionem examinarentur. Quâ re factum eſt, ut, tametſi creberrimis literis Dominæ, noſtriſque interpellationibus prope continentibus, ipsâque adeo rerum triſtiſſimâ facie impulſus, reliqua jam Rex definierit : ſuper moderatione tamen nihil potuerit certi ſtatuere; quanquam tamen id, quod ſtatutum eſt, ejuſmodi eſt, ut bonis meritò debeat ſatisfacere.

Et quidem jam ſunt ſeptimanæ tres, quod alternis diebus, e Segovia, Boſcum ad Regem proficiſcimur; ubi de ſingulis ordine, cùm in Conſilio Status, tùm apud ipſum Regem, qui, ſupra quàm dici queat, eſt intelligens, accuratiſſimè fuit tractatum. Nec unquam potuiſſem in animum inducere, eos qui hîc ſunt, tam eſſe cùm omnium tùm harum rerum peritos, niſi ipſe eſſem expertus. Egimuſque ſedulò apud Regem, ut Monteniacus particeps eſſe poſſet Conſilii; verùm id nunquam quivimus impetrare : ſed poſt omnia diſputata, reſolutionem ei juſſit per nos communicari.

Ejus ſumma hæc eſt, primùm, ut Inquiſitio ceſſet, dummodo juriſdictio Epiſcopalis ante fuerit conſtabilita. Placere, ut veterum placitorum, pro ratione temporum, moderatio fiat, dummodo Adviſa prius iſtic examinentur, & quorumdam articulorum, legibus quidem proditorum, ſed in moderatione omiſſorum, diligens ratio habeatur, ex iiſque omnibus, nova iterum forma concipiatur. Remiſſionem generalem non diſplicere, ſi modò cætera rectè ſe habeant, & reſciſſis omnibus conjurationibus ac fœderibus, Domini promittant ſe curæ habituros, ut conventiculis, concionibus, & aliis ſimilibus obviam eatur. Regem totum in hoc eſſe, ut quamprimum iſtic adſit, ut tardiſſimè, proximo Vere. Interim videant ut concionantium & confœderatorum inſolentia reprimatur, armaque, ſi quid per vim tentave-

rint, adversùs eos capiantur: additis trecentis millibus Ducatorum ad sumptus ei rei suggerendos, & promissâ majore vi pecuniæ (a qua hìc nullo modo laboratur) si qua opus erit. De quo tamen pleniùs scribetur proximis literis, quas nunc paramus, quibus de aliis multis hìc omissis tractabitur. Simul etiam de illo, quod de re Antverpiensi & Trudonensi, Comitiisque generalibus omnium Ordinum, nuperrimè perscriptum est. Super quo multi multa commentantur, avidèque expectant quemnam exitum res sit habitura.

Dum autem super eo hìc deliberatur, interminandum Rex censuit, ne qua Comitia generalia indicantur aut habeantur. Hæc sunt summa capita eorum, de quibus nunc scribitur; tametsi Domino Monteniaco non admodum placeant, quem hìc manere Rex jussit, donec Dominus Marchio advenerit : Ad quem sua manu scripsit, ut, quatenus per valetudinem liceat (laboravit enim graviter) velit accelerare.

Porro disputatum hìc fuit super moderatione, anne conveniret, ut, si res moram non pateretur, Dominæ ea certis legibus committeretur. Sed non placuit ob certas causas, quas ex Literis meis hìc junctis, quas Madriti scripseram, amplitudo vestra intelliget; ea nimirum parte, quâ Frisicè sive potiùs Gaestmannicè loquor. Literas amplitudinis vestræ plerasque omnes Regi ipse legi; cui officium hoc, secundùm quod re & verbo ostendit, longè fuit semper gratissimum, deque die in diem magis magisque demonstrat, quanti fidem & judicium vestrum faciat.

Et de iis, quæ non tam ratio quam ultima necessitas exprimit, & importunitas quorumdam, sic aliquando dixit : *yo lo he muy bien entendido, pero no es el parescer del presidente.*

Quoties de missione vestra sit mentio, quam omnibus occasionibus inculco, leviter annuit & arridet subinde, cum doloris tamen significatione: spero autem proximis literis aliquid me certi bonique perscripturum. Si quid enim in vita opto, nihil est quod magis optem, quàm ut amplitudo vestra malis istis & periculis, in quibus pro Religione & Republica conservanda versatur, quàm ocissimè possit liberari.

Quod de *Religionfrid* istic nunc disputari scribit amplitudo vestra, haud scio an inter perniciosissima meritò debeat haberi. Quippe quod populo concitato quasi suggeri videatur, quo pacto, specie quadam juris, tametsi falsi, scelestissimi voti sui queat fieri compos. Quemadmodum amplitudini vestræ, ita & mihi, semp er

visi sunt hujusmodi sermones, (quorum tamen ille plenus est) planè pestiferi in Republica; & maximè quidem his temporibus tam exulceratis.

Aggæum nostrum isthic cum reliquis amicis fuisse, omniaque rectè se habere gaudeo. Ad me scribit, ut, si non veræ ac divinæ, communis saltem ac humanæ justitiæ memores esse velimus. Respondebo, ut suis opinionibus contentus, de nobis judicare desinat; &, si, uti aliquando cum Protagora sensit, id cuique verum est quod putat esse verum, ne nos deteriore loco habeat quàm ipse sit.

Regem perbenignum quotidie erga me experior, valdeque placere, quod liberè omnia exposuerim; quæ uti verissima ipse semper judicavit, ita nunc eventu quoque & experientiâ comperit. Cum ad XIV. Julii Dominus Joannes ab Austria Eques aurei Velleris crearetur, Rex proprio motu, ab nullo interpellatus, eadem die me in ordinem Equestrem adlegere voluit. Si & censum Equestrem adjecisset, plenius fuisset beneficium.

Reginæ partum in dies expectamus, & jam paulatim dolores sentiscere incipit. Ubi pepererit, rectà ad vos ibimus: tantùm hoc dubitatur, Oceanum-ne navigabimus, an Mediterraneum mare: quanquam tamen neutrum facilè ante Novembrem, aut Decembrem, diesque ipsos Alcyonios, sperare audeo. Si quid melius acciderit, in lucro deputabo.

De Domino Arenbergensi, & Meghano, quæ scribitis, initia videntur & scintillæ; quæ nisi Deus avertat, in magnum incendium tandem erumpent. Nec vitupero consilium Domini Morilloni, qui in tempore sibi providerit; egoque in parte fælicitatis pono quod huc me Deus evocarit, quem quotidie etiam atque etiam oro, ut, quod planè confido, amplitudinem vestram nobis salvam & incolumem servare velit.

Ni per istas turbas fieret, altissimum hìc haberem otium, & ad linguam hispanam excolendam (quam tamen non omnino negligo) & ad vetera studia repetenda. Usus mihi est cum Episcopo hujus Urbis, Didaco Covaruvias, homine doctissimo & humanissimo; cujus multa passim extant in Jure scripta. Is amplitudinem vestram summis laudibus in cælum ferens, quàm officiosissimè & verbis quàm amplissimis jussit salutari. Idem facit Joannes Paccius, Historicus regius; qui amplitudinem vestram mecum subinde compellavit. Homo non modò doctissimus, sed &, ut nunc sunt res, sapientissimus. Etenim relictâ aulâ, rus

concessit; & duobus miliaribus à Complutensi Universitate, diecula itinere à Madrito, in prædio quodam suo (quod elegantissimum esse Denneterius refert, quem officii causâ eò miseram) sibi canit & Musis.

Propemodùm omiseram, Gardianum nostrum Lovaniensem, cujus superioribus literis memini, comiter ab Rege dimissum, dato viatico ducentorum Ducatorum. Mihi autem hoc negotii Rex dedit, ut, ubi isthuc advenerit, de Lovaniensibus controversiis ipsum commonefaciam. De Domino Tisnaco nihil scribo, quoniam ipse se scripsisse refert.

Biduum est quod ab Domino Cardinali binas acceperim literas; unas familiares, cum optimis præceptis, quid in hac vita civili magis sequendum, quid declinandum videatur: alteras de Archiepiscopi Bizuntini literis ad summum Pontificem, plenis injuriarum adversùm Regem ac Ducissam; quasi per illos factum sit quo minus Concilium Tridentinum solidum publicari potuerit. Unde Dominus Cardinalis graviter metuit, quatenus ingenium novit Pontificis, ne quid majoris querelæ possit existere. Interim Regem voluit per me præmonitum, ut cogitet quid potissimùm responderi possit, si quando Pontifex super eo scribat. Stipulatur porro silentium, ne Romæ rescifcatur tale quid ab se huc perscriptum.

Uxorem & liberos adhuc suspicor esse Goudæ. Et sapit meâ quidem sententiâ quod gravida illic in otio & quiete, quàm Bruxellæ in turba esse malit. Stinam scire velim anne pelli suæ ac thesauro metuat. Plura nunc non addam, ne desit quod proximis literis abhinc triduum aut quatriduum scribam. Interim amplitudinem vestram etiam atque etiam salvere jubebo, & me illi, amicisque omnibus, majorem in modum commendabo. Segoviæ Calend. Augusti 1566. Reverendæ amplitudinis vestræ deditissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Viro optimo & amicissimo Domino Bavio, item Damantiis, multam velim à me dictam salutem. Quod de Frisiis nostris, ab Geusianis sollicitatis, amplitudo vestra mihi scripserat, tam gratum fuit Regi, ut ad Dominum Arenbergensem, & Consilium Frisiæ, super ea re scripserit. Quoniam Dominus Egmondanus valde sedulò mecum egit per literas, censui ei non socorditer respondendum, ejusque exemplum ad amplitudinem vestram mittendum.

EPISTOLA VIII.

ARG. *Nata filia Philippo Regi, qui iter Belgicum ſe meditari magis magiſque oſtendit. Belgarum ordines rogari non vult, ſeque veniæ facilem oſtendit, modo hæreticorum concionibus obviam eatur. Externum militem non hoſtili animo ab Rege parari. Tiſnacum brevi venturum. De Antverpia & Trajecto ad Moſam trepidatum.*

S. P. Quæ nunc ſcribo, Reverende Præſul, raptim ſcribo, & ex inſperato, propterea quod Rex hunc tabellarium ſubitò proficiſci voluit, omnibus inſcientibus, exceptis nobis ſolis. Cauſa ſubitæ hujus profectionis eſt partus Reginæ, quæ hac nocte, inter duodecimam & primam, filiam peperit, ipſâ ſalvâ & bene valente, pro ſtatus ſui ratione, ut addi volunt mulieres. Omnino putamus fore (quantùm res videmus præparari) ut Rex de die itineris ineundi brevi ſtatuat. Interim jam iteratò prohibet, ne Status Generales vocentur, niſi aliud ipſe mandaverit.

Dominus tamen Monteniacus eam ſolam viam eſſe putat quâ conciones hæreticorum poſſint cohiberi. Interrogatus quo modo, [& ſi non ille locum habeat, etiamſi Status non vocentur; tacet, nec quidquam expedit: recurrens ſemper ad illud ultimum, nullam eſſe ſpem rei iſtic bene gerendæ per Dominos, niſi animo ipſorum qui offenſus eſt ſatisfiat; (*a*)] Rexque oſtendat, ſe illis planè confidere. Super quo cum iterum arguitur; nullam ab Rege offenſionis cauſam eſſe ortam; & ſi multum ab Rege ſibi concredi velint, id nulla re magis poſſe effici quàm ſi ſupradictis concionibus obviam eant: iterum hæret. Tandem ad illud itur, nullo modo convenire ut vis paretur. Quod & hîc probatur; dummodo officium iſtic fieret per eos quos oportet. Sed dum iſtic arma domi foriſque expediuntur, Regem ceſſare, & tandem ſe nudum & inermem pati opprimi, id-ne rectum ac ſanum conſilium ſit, cum quæritur, ſiletur. Quantum tamen ad me attinet, ſpero ſupe-

(*a*) *Videtur hìc eſſe aliquod præcipitis calami vitium, quod orationem interturbat.*

rioribus

rioribus literis ita omnibus fore ſatisfactum, ut nihil opus erit ad aſperiora illa remedia venire. Quæ & ipſa tametſi non indiligenter Rex parat, non alio tamen quam defendendi, nullo autem modo invadendi animo, parat; &, ut ſi internæ copiæ Dominis ad rem bene adminiſtrandam non ſufficiant, externis quoque, ſi opus eſt, utantur.

Quis rerum Antverpienſium, & comitiorum Geuſianenſium fuerit exitus, valde avidè hîc expectatur. Multi multa mala metuunt; ſperant alii meliora. De negotio Amplitudinis veſtræ, longè latèque cum ſua Majeſtate egimus. Qui, quanti vos faciat, multis rebus oſtendit, tandemque decrevit ad vos ſcribere, uti brevi videbitis; ſperoque literas fore non ingratas; erunt enim & amoris & bonæ ſpei plenæ, ac maximè quidem ex eo, quod Dominum Tiſnacum, rebus jam abſolutis (in quibus expediendis per proximum curſorem toti ſumus) brevi puto profecturum.

Celebrat Dominus Tiſnacus cum familia (nam Cortevillius in ſcribendo totus eſt) hoc veſpere apud me natalem filiæ Regiæ, quod non fiet ſine veſtri mentione, cui largiter adbibemus.

(a) *Tzelle dat coebel dier is, det de fox ſirc, en hat folle peteer, maer lytz bytioed. Mis hier graetelick beſuyriget foer Antverpen en Maeſtricht; Godt wolt to en better weynde.*

Plura non ſcribo propter otium; & quod ſuperioribus meis, quas jam prope redditas puto, de omnibus egi non indiligenter: & quod has brevi aliæ, ut puto, Deo volente, conſequentur. Bene vale, Reverende Domine Præſul, optime patrone, & me amicis omnibus etiam atque etiam commenda. Segoviæ 12. Auguſti 1566. Reverendæ Dominationis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

(a) *Quæ his Epiſtolis patrio idiomate hìc illic inſperſit Hopperus, iiſdem planè ſyllabis ac litteris exhibebimus; niſi quando nimium corruptus erit locus, aut a tineis exeſus. Sunt arcaniora quædam conſilia; nonnumquam trepidationes.*

EPISTOLA IX.

ARG. *Gubernatrix Viglii operam & Consilia, præter solitum, adhibet, idque ex peculiari mandato Regis. Viglius interim curarum publicarum parte exsolvi, etiam atque etiam flagitat. Ad confœderatorum postulata, Philippi responsum. Qui a Belgio missi venerant, Marchio Bergensis, & Monteniacus, queruntur se ab Hispanorum Consiliis excludi; licet seorsim participes fiant eorum quæ geruntur. Hispanico idiomate non satis peritè scribit Hopperus.*

S. P. Litteras vestras, ad tertiam hujus mensis scriptas, decimâ octavâ sequente sub noctem accepi. Quod rumor isthic est, interdictum nobis esse aut fuisse, ne quid scribamus, nihil est. Sed causa moræ nostræ fuit, quam ex ternis superioribus literis meis, quas jam spero redditas, Amplitudo vestra cognovit. De invidia, quam metuistis, ex eo quod, præter solitum, operâ vestrâ Domina Ducissa multùm utitur, nihil puto laborandum. Nam quod ipsa facit, expresso jussu facit Regiæ Majestatis; quæ, audita prima mea relatione, mox sua manu ad eam scripsit, idque nominatim (quantum retulit Dux Albanus) mandavit.

Et quod de missione sua toties Amplitudo vestra repetit, sciat non solùm nullas ea de re literas me accepisse, de quibus non retulerim; sed & aliis occasionibus sæpius id admonuisse. Qua re commota sua Majestas, scribendum tandem etiam sua manu ex parte duxit, quemadmodum ex ipsius literis Amplitudo vestra cognoscet. Quas, tametsi cum iis scriptis conjunctæ erant, quæ abhinc biduum sequentur, tamen cum his præmittendas censui: ut tanto citius de voluntate & summa affectione, & amore Regis amplitudo vestra certior efficiatur. Cui spero non illibens se accommodabit, donec Dominus Tisnacus venerit, qui de die in diem absolvi optat.

Quantùm ad negotia: literis acceptis mox omnem lapidem movere cœpimus: ut quàm primùm expedirentur. Nec sanè Rex (tametsi gravissimè ægrotante, & prope desperatâ Reginâ, quæ nunc meliùs habere & extra periculum esse dicitur) ullam in se moram esse voluit; & perlectis scriptis omnibus, reque plenè perfectèque deliberata, hoc censuit, quod sequitur.

Primum, ſecuritatem, a Geuſianis petitam, nullo modo videri neceſſariam, propter remiſſionem generalem, quam jam conceſſit: ejuſque formulam Dominæ Duciſſæ commiſit.

Triumviratum nullo modo concedendum, ob cauſas plurimas ac evidentiſſimas, & quas Amplitudinem veſtram non dubito per ſe ſatis perſpicere.

Ac de Comitiis Generalibus ſe jam bis ſcripſiſſe: ne quid ſe abſente hujuſmodi fiat aut tentetur. Super quo, tum quidem dilatoriè, nunc autem abſolutè ſcribitur.

Cauſæ quæ Majeſtatem ſuam moverunt, partim literis ad Dominam Duciſſam exprimuntur; partim, & quidem præcipuæ, reticentur. Certè ſi hii, ad quos ea res maximè pertinet, officium faciunt (ut ſanè meritò debent) nihil eſt metuendum. Sed ut fiat, valde me habet ſollicitum; maximè cum eos video & audio, qui hîc ſunt; qui longè aliter, quam hii noſtri Hiſpani, ſunt affecti; & unà cum iis, & nobiſcum, Conſilio ſe non adhiberi, valde conqueruntur: Quamquam tamen nihil geritur, cujus non ſeorſim fiant participes. De quo fortaſſe plura, proximis literis, nec non de profectione Regis, cujus aliqui apparatus videntur apparere.

Uxorem & familiam Goudæ eſſe, beneque valere, gaudeo. Sed ad denas prope meas literas non ampliùs quam ſemel adhuc reſpondit, quod non ipſi quidem, ſed locorum intervallo tribuo; ſperans propediem aliquid me accepturum.

Junxi his literas ad Colinum noſtrum, quibus pro Hiſpanico non optimo, quo ad me ſcripſit, peſſimum illi reddo ejuſdem generis, ne peccem in regulam: *quo caſu quæris* &c. Rogo autem illum, ut, ſi quid ſit quod offendit, partim brevitati temporis & occupationibus imputet, partim ingenii tenuitati, qua factum eſt, quo minùs ab ipſo, quem toties Hiſpanicè loquentem & recitantem audivi, profecerim. Scribam proximis diebus ad Stinam; & miror quid de Mamerano factum ſit, quo minùs, in tanta abundantia argumenti, quidquam de illo audiam; niſi fortaſſe in Germania adhuc hæreat, aut ad expeditionem Hungaricam contra Turcas profectus ſit. Bene vale, Reverende Præſul & Patrone; & me Domino Bavio, aliiſque amicis communibus, etiam atque etiam commenda. Raptim Segoviæ 22. Auguſti 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA X.

Arg. *Bergensis & Monteniacus malorum caussas liberè aperiunt, ex sua quidem sententia loquentes. His ab Hispanis contradicitur; tum sententiam mutant, & grata ac placida consilia promunt; quibus annuitur. Hispaniarum Regina, quæ gravi morbo ex partu laboraverat, convalescit. Classis Indica immensum auri pondus tum Regi, tum mercatoribus, advehit.*

S. P. Ne quid, Reverende Præsul, debiti officii prætermittam; non patiar quemquam ad vos ire, cui non aliquid literarum tradam, &, quid quoque tempore actum sit, exponam. Nam sic ad ordinem rerum texendum, & rem meliùs gerendam, planè mihi videtur convenire. Ex quo his diebus ad vos scripsi, adierunt Regem Bergensis & Monteniacus, planèque ad eum retulerunt de omnibus negotiis quæ in mandatis a Domina Ducissa habebant. Is, re cognita, ad Albanum & Gomezium eos legavit, ad singula penitus discutienda. Ubi prima die, (quantum postea cognovimus) acriter disputatum est, maximè super origine horum malorum, quam ad literas Regis, super Placitis & Inquisitione illi referebant; neque non super diffidentia Regis erga se, & Comitiis omnium Ordinum celebrandis: negantes, ea quæ super Inquisitione & moderatione Placitorum nuper Rex respondit, nunc sufficere ad remedium istis malis adferendum: quibus omnibus ab aliis valde acriter, sed modestè tamen, responsum est; procuratumque per nos interea ut Literæ ipsis ostenderentur, neque non rationes Regi darentur, per quas penitus convincebatur nihil ex Literis mali extitisse; sed si quid esset, id ex divulgatione earum, & sinistra interpretatione, esse ortum.

Quid multis? ubi post diem unum aut alterum ad secundam communicationem ventum est, tota fabula mutata est. Fateri ingenuè, Literas nunquam ab se quam plenè visas: nihil habere mali, quod meritò possit offendere. Si Comitia Generalia non placeant, aliam rationem posse iniri. Moram Regis in respondendo non tam ipsius esse, quàm quod Advisa non essent missa;

& ſi quæ ſunt alia ſimilia, quibus ſe & rationem agnoſcere, & quod bonum & æquum eſt, quærere, apertis verbis oſtendebant. Nec refugere, quin in medium deliberetur, quo ad otium & concordiam tandem poſſit perveniri; addentes porro, re bene agitata, invenire ſe, ſuper articulo Inquiſitionis plenè per Regem eſſe ſatisfactum: nec aliud reſtare, quo minùs Domini officium faciant, quàm ut moderatio Placitorum acceleretur. Super quo recipiebant, ſe ad Dominos ſcripturos, ut his rebus ſe, (quemadmodum ipſi) accommodare velint, & pro malis diſſolvendis omnem debitam operam Regi & ſuæ Celſitudini præſtare.

Quæ quidem oratio, cum aliis honeſta videretur, omniſque æquitatis & humanitatis plena, & ipſi aliud inſuper addiderunt: placere ſcilicet, ut, ad moderationis negotium accelerandum, Dominus Tiſnacus, & ego, cum ipſis communicemus; nec non ſuper forma Comitiorum ab omnibus cogitetur, quidnam præcipuè ſtatui poſſit: ut, ubi reſponſum Dominæ allatum fuerit, omnia hîc ſint parata, & quàm primùm aliquid certi ſtatui poſſit; & interim Domini tam hîc quam iſtic, omne officium faciant, quemadmodum bonos vaſallos & Equites Ordinis decet.

His ita tranſactis, indictum eſt in poſterum diem Conſilium Status; cui, ut in omnibus rebus noſtræ Patriæ, Dominus Tiſnacus & ego intereramus. Relatum eſt ibi, per Albanum, de omnibus prolixè, diſtinctè, & eleganter. Poſt cuncta audita & diſcuſſa, paucis mutatis, placuerunt quæ ſupra commemorata ſunt. De quo, uti per Gomeſium & nos ad Regem relatum eſt, decrevit ita faciendum: nimirum ut Domini ad ſuam Celſitudinem, & Dominos, hac de re ſcribant, eoſque placatos reddant. Nos interim, tum cum ipſis, tum cum Conſilio Status, reliqua præparamus ad finem iis imponendum, ubi primùm per Dominam fuerit reſponſum. Quo quidem uti perveniri poſſit, & id ſtatui, quod ad conſervationem Religionis, & ſervitium Regis, bonumque publicum, cum honore & bona pace Dominorum, maximè pertineat; nullam partem ſtudii nec officii prætermittemus.

Habes, Reverende Præſul, totam hiſtoriam; quæ, ſi ſtet, non parvus ad pacem & concordiam progreſſus factus eſt, quam totam vobis perſcribere volui; ut, ſi opus ſit, meæ

literæ ad Dominam, quo generatim (*a*) res ſunt, meliùs intelligi poſſint. *En yoſt jaet aeck duaen ſchilla dat jae ſchieret habbe.*

Regina convaluit, noſque poſt paucos dies Madritum (quantùm res ire videmus) cogitamus, unde Barcinonam fortaſſe proficiſcemur. Sed neque de die, neque de ratione itineris, quidquam eſt certi conſtitutum.

Fertur Claſſis Indica, ſed rumore nondum certo, pro Rege adducere mille ducenta millia ducatorum: pro Mercatoribus, quatuor Milliones; quos Rex, ſi volet, ſibi ſumere poterit, ex lege rerum Indicarum, dummodo Redditus ſolvat. *Dio haedlingen habbe better kaep youn noy dat ya ſioen habbet ſocke en licka ſingha.* Cura, Reverende Præſul ac patrone, ut valeas, & me, ut facis, ama. Segoviæ 29. Auguſti 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ ſervitor paratiſſimus JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XI. (*b*)

ARG. *Amicum ſuum, Dionyſium à Weſenhage, enixè commendat.*

S. P. Qui has reddidit, Reverende Præſul, vetus amicus meus eſt, & collega ſtudiorum, Magiſter Dionyſius a Weſenhaghe, Bruxellenſis; homo doctus, probus, diligens, & qui diu in Geldria verſatus, morum illius Regionis valde eſt peritus. Is in locum Domini Hieronymi Lettini, Conſiliarii defuncti, cuperet ſuccedere, & quam poſſet operam Regi & Reipublicæ navare. Ac quanquam quidem, iſthinc abiens, Amplitudini veſtræ eum verbo, in incertum, ſi quid forte occurreret, commendavi: tamen quia nunc hæc ſpeciatim ſe offert occaſio, duxi amici & amantis Reipublicæ eſſe officium, eam non negligere, & ad generalem illam commendationem hanc ſpecialem addere; in qua re, ſi quid Amplitudo veſtra commodè præſtare

(*a*) *omiſſum verbum orationem hìc hiulcam reddit.*

(*b*) *Prætermiſſurus fuiſſem hanc Epiſtolam, niſi breviuſcula eſſet.*

poterit, nec ſerum eſt quod petimus officium, (quod valde metuo) non ſolùm homini amico commodabit, & mihi rem faciet gratiſſimam; ſed & Rempublicam, meo judicio, juvabit. Bene vale, Reverende Præſul, Segoviæ 3. Octobris 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ deditiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XII.

ARG. *Rex Philippus, corpore tantiſper æger, ex miſero rerum Belgicarum ſtatu percepto in febrim ſemel & ſecundò incidit. Interim itineri Belgico ſe accingit. A Comitiis Ordinum generalibus, quæ totis animis Belgæ urgebant, non niſi malorum incrementum, & Religionis damna exſpectari poſſe. Vera remedia indicata, ſed vix ſperanda. Marchio Bergenſis e graviſſimo morbo reſtitutus; quocum, ut & cum Montinii Domino, frequens Hopperi & Tyſnaci diſſenſio. Minora alia negotia, non item publica. Hopperus temporum illorum, & Patriæ ſuæ ærumnis preſſus, in ſolis litterarum ſtudiis acquieſcit.*

S P. Literis veſtris, Reverende Præſul, ad XIX. Auguſti ſcriptis, nuper, niſi fallor, reſpondi. Itaque iis nunc ſatisfaciam, quæ XXVI. ejuſdem menſis, & VIII. Septembris datæ fuere. Quod autem hìc repetam, quo pacto lamentabilis ille ſtatus rerum noſtratium nos hìc omnes afflixerit, ac conſternarit, nihil puto eſſe opus. Unum dicam, quod Rex, leviter priùs ægrotans, accepto priore nuncio, in tertianam febrem mox incidit: quodque, eâ liberatus, allato ſecundo nuncio, recidivam paſſus eſt: cum qua adhuc, tametſi non graviter, conflictatur. Multos putare id non alia re, quam hac ſola, eſſe factum; in quo tamen hoc, ut puto, dignum eſt relatu, quod in hac ipſa adverſa valetudine, nullum diem præterire ſua Majeſtas paſſa eſt, quo non his de rebus vel in Conſilio tractari, vel ad ſe referri juſſerit.

Omnibus autem plenè perfectèque cognitis, primùm viſum

eſt, nullum his malis verum inveniri poſſe remedium niſi ipſe in rem præſentem veniat, ibique ſtatuat quod ex uſu eſſe videbitur. Ad hanc rem & Claſſis jam inſtruitur in ora maris Mediterranei, aliaque ex Sicilia accerſitur, & diem profectionis ſuæ dicere Rex ſtatuit, ubi primùm Madritum fuerit reverſus; quod abhinc pauculis diebus futurum ſperamus, ex eo, quod Regina & ſoror Regis, unàque juniores Principes Bohemiæ jam præceſſêre; nec aliud Regem hîc detineat, quàm ut leviter a medicis purgatus, expeditior ſit ad proficiſcendum.

Jam quid inter has moras, dum ſua Majeſtas iſthic expectatur, fieri debeat; de ea re, poſt multam & repetitam deliberationem, ſic ipſa tandem ſtatuit. Comitia generalia, quæ tantopere urgentur, neque celere in ſe videri habere remedium, neque huic malo accommodatum; nec aliud quam Libertatem, hoc eſt interitum Religionis, & confuſionem Reipublicæ, polliceri: & ideo quidvis potiùs ſubeundum; &, ſi vis fiat, eam ipſam potiùs ad tempus ferendam, quàm committere ut Regia Majeſtas conſenſum ei rei tuliſſe, aut vel feneſtram ad eam aperuiſſe, videatur. Verum autem remedium neque difficile eſſe, neque longè petendum, ſi officium faciant hii, ad quos ea res pertinet, & in quibus maximè fides eſſe deberet. Qui quidem ſiquidem vim vi repellere parati ſint, idque ſe ita facturos palam & ex animo oſtendant, primum fore, ut boni ſe illis adjungant, &, recuperatis animis ac viribus, majores ad rem bene gerendam fiant. Deinde ut mali deſtituti ſpe, quam conceperunt, debilitentur; & paulatim dilapſi, aut penitus frangantur, aut certè, ne quid rei magnæ audeant, cohibeantur: in quam ſententiam Illuſtriſſimæ Duciſſæ reſponderi Rex decrevit. Super quo diſceptatum eſt, acrioribuſne an levioribus verbis eſſet utendum; oſtendentibus nonnullis, tempus videri, ut, quæ cujuſque Domini voluntas ſit, & an imperata facturi ſint, in poteſtateque Regis futuri, exploratum habeatur. Quibus alii reſpondebant, eò quidem cum tempore eſſe veniendum: cæterùm hoc tempore, Rege adhuc imparato, & in Hiſpania agente, videri præmaturum.

Itaque in hoc itum eſt, & Rex approbavit, ut lenior via eligeretur; additis porro literis ad Ordines earum Provinciarum & Magiſtratus Civitatum, quæ in fide manſerunt, quibus factum eorum collaudatur, &, ut in eo perſtent, admonentur.

Dominus Marchio Bergenſis graviſſimè ægrotavit; adeo ut Medici

Medici omnes, quos habet doctiſſimos Regios, deſperarent. Cæterum valet nunc, Deo approbante, melius, & evaſit omne periculum.

Eſt Domino Tyſnaco, & mihi, magnus ſæpe cum illis conflictus; dum Conſilio Regis ſe non adhiberi, & Comitia generalia, in quibus unicam ſpem continendæ Reipublicæ collocant, rejici conqueruntur. Præterea, ſi quid per Dominos iſtic effectum Rex velit, id non per literas, ſed per ſe, quos ad hoc Rex mittere deberet, confici poſſe.

De miſſione domini Tyſnaci vix video Regem conſtituturum, antequam de die itineris ſui decreverit. Idque eo minùs, quod ipſum, ſive pudore, ſive alia de cauſa, non admodum videam urgere. Ego de ſingulis literis Amplitudinis veſtræ diligentiſſimè ad Regem refero; ſed ut aliàs diſceſſum ipſius importunè poſtulem, percipit Amplitudo veſtra, neque me decere, neque carere invidiâ. Unam viam inveni, meo judicio certiſſimam, per Ducem Albanum, pro ſummo favore quo Amplitudinem veſtram ille complectitur; qua utrumque me puto effecturum: ſcilicet, ut dominus Tyſnacus quàm primùm eat, & ſimul Præſidatûs & Sigilli onere Rex Amplitudinem veſtram liberet; in quo ipſa ſibi perſuadebit, me, quemadmodum omnibus modis, & ſi quid eſt amplius, debeo & agnoſco, nullam partem ſtudii & officii, (uti hactenus me puto feciſſe) prætermiſſurum.

Friſiam noſtram integram adhuc eſſe, verè ſanè & ex animo gaudeo; quamquam neſcio quid rumoris ad ſe allatum fuiſſe ſcribit dominus Commiſſarius Van Loo, qui non parum me perterruit. Spero tum, ſi quid eſt, id Dominum Arenbergenſem mox diligentiâ ſuâ oppreſſurum.

Proximis ſuperioribus literis Duciſſæ, additæ erant aliæ ejuſdem, de domino Aſſonnevillio in Conſilium Status adſciſſendo. De quo admirati eramus, nullam in literis Amplitudinis veſtræ fieri mentionem; aut, ſi id ſine ſcitu ejus factum eſt, multò magis admiratione dignum videri. Quod non eo quidem dicebamus, quod non ei favendum duceremus, ſed quod propter ſtatum temporis, quod ad ejuſmodi res agendas ſatis alienum videtur, rationem tractandi negotii non ſatis quibamus intelligere. De ſancti Bavonis æde dilacerata graviter doleo, quemadmodum certè & de omnibus, quorum Amplitudo veſtra minutatim in literis ſuis meminit; cui de cura, quam circa

uxorem & liberos habet, ut quo modo de iis ſit, intelligat, quam maximas etiam atque etiam ago gratias.

De Stynæ triumpho, ob rem à Rotorodammenſibus bene geſtam, non poſſum non illi gratulari; quanquam quo rerum redacti ſumus, qui præclarè nobiſcum actum putamus, ſi tecto latere diſcedere, &, ne a malis diripiantur, bonis templa nudare, & eorum ornamenta in ſpem melioris temporis adſervare liceat.

Mihi his de rebus ſæpe cogitanti, irarum ardor exardeſcere, &, ut ait ille, cor in pectore latrare incipit; ſed id fruſtra, quando nihil ad manum eſt remedii. Itaque ad ſtudia me refero, in quibus ſolis poſt Deum quietem invenio.

Cura, reverende Præſul, optime & ſanctiſſime Patrone, ut valeas, bonoque ſis animo, & rebus melioribus te ſerves Qua de re Deum optimum maximum quotidie appellare, enixèque precari nunquam deſiſtimus. Segobiæ 4. Octobris 1556. Reverendæ Amplitudinis veſtræ addictiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XIII.

ARG. *Margarita Parmenſis Ordines Belgii ut vocare liceat, petit à Philippo Rege, cui ſua ſtat ſententia. Hopperus ad Comitem Egmontium & Principem Orangium ſcribit, eoſque officii ſui memores, quâ licet, facit.*

S. P. Reverende Præſul, nactus hanc occaſionem, quum is, qui has reddidit, ultro ſeſe obtulit ad epiſtolas noſtras perferendas, non cenſui penitus eam omittendam. Non quidem ut de ſingulis accuratè perſcribam, ſed, quid rerum nunc agamus ſignificem. Accinctus itineri, ut Regem, pridie Madritum profectum, ſequerer: commodum faſciculum accepi ſuæ Celſitudinis, unà cum literis veſtris. Quibus perlectis, viſum eſt è re fore, ut, quidquid eſſet literarum, ad Regem continuò mitteretur. Quod & factum eodem veſpere, Notis ante explicatis: ac non multò poſt me dedi in viam, iter faciens per *Leſcorial*, ubi memorabile illud opus Monaſterii exſtruitur.

Regem illic inveni, qui jam ſe ad literas meas ſua manu reſpondiſſe aiebat: quod reſponſum propter errorem curſoris nondum acceperam; ſed antequam illinc diſcederem, fuit redditum.

Id inſequendo, in eo nunc ſumus, ut de omnibus ſtatuatur, tam quæ ad diem profectionis pertinent, quam ad convocationem Statuum Generalium, quam denuo ſua Celſitudo tantopere urget. Ac quanquam quidem, quis Regiæ Majeſtatis ea de re ſenſus ſit, ſatis Amplitudo veſtra ex proximè ſuperioribus meis literis potuerit cognoſcere, qua de re & ad Egmondanum, & Principem, nonnihil ſcripſeram: obnixè utrumque orans & monens, ut officium facere, & quemadmodum bonos Vaſallos decet, ad Domini voluntatem ſe accommodare velint: tamen quia ſic ſua Celſitudo vult, & ſollicitè a domino Tiſnaco, (ſuper cujus itinere nunc fortaſſe quid ſtatuetur) & me, poſtulat: non patiar in me quidquam deſiderari quo minùs in negotiis agendis, mandatiſque perficiendis, omne ſtudium & operam contuliſſe videri poſſim.

Dominus Bergenſis, & Monteniacus, nondum quidem huc advenêre, ſed quemadmodum de ſuperioribus omnibus factum eſt, ita & hìc fiet; ut, quidquid Rex ſtatuerit, ipſis communicetur. Quoniam brevi alias ſcribam, ut ſpero, Deo approbante, quæ has fortaſſe antevertent, non ero nunc prolixior; idque eo minùs, quod tabularius properans, ad uxorem, & alios, ſcribere non patitur. Bene vale, Reverende Præſul, unice Patrone; & te Reipublicæ, nobiſque, qui brevi reduces fore putamus, conſerva. Raptim Madriti 16. Octobris 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XIV.

ARG. *De proxima Regis in Belgium profectione, eadem perpetuò cantilena. Fruſtra agitur de vocandis Belgii Ordinibus.*

S. P. Reverende Domine Præſul, nihil nunc ſcribam, (ſcribo enim cum ſumma feſtinatione) quam literas veſtras, ad X. & XIV. hujus datas, accepiſſe me nudiuſtertius; nec quid-

quam nunc aliud agi, quam ut brevi nova de profectione nostra habeatis. Ac quanquam quidem de convocatione Statuu frequenter actum est, tamen non desistimus idem apud Regem repetere, &, quantum possumus, efficere. Denique quemadmodum Amplitudo vestra me bene admonet, ita potest certissimo scire ac confidere, me nullam partem studii, officii, curæ, laboris & pietatis denique omittere, quo miseræ Patriæ pro mea tenuitate prodesse possim. Accipietis autem Deo volente brevissimè nova, & ut spero bona. De Uxore sanè gaudeo, creatorique summas gratias ago. Plura non patitur tempus, ideoque in proximam occasionem reliqua rejicio. Bene vale, Reverende Præsul. Madriti 28. Octobris 1566. Reverendæ Amplitudinis vestræ deditissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XV.

Argumentum hujus Epistolæ non multum absimile ab præcedenti.

S. P. Reverende Præsul, jam scribo tertiùm extra ordinem. Non quidem, quod multum habeam quod his literis, de quibus tam incertum est quid fieri possit, committere velim aut audeam; sed ne quam prætermittam occasionem officii præstandi, quatenùs queam. Sumus hic in summa rerum omnium expectatione, quæ ad profectionem Regis pertinent; de cujus die, itinere, apparatu, & reliquis, brevi erimus certiores, quantum speramus. Dico autem, speramus: quia cum cætera per Dei gratiam apud nos rectè sunt, nihil nos magis affligit, quàm hæc mora & diutina expectatio; tametsi vix diem præterire sinamus, quo non vel coram, vel per literas, id faciamus quod oportet: rogando, exhortando, obtundendo denique. Quæ omnia in optimam partem Rex accipit; sed nihil promovemus hactenus, nisi quod brevi se finem facturum jam toties respondit. Scio quidem sedulo hìc omnia agi ac provideri; nec quidquam omitti, quod ad profectionem adornandam ac instruendam pertinet. Sed interest Reipublicæ, ac maximè quidem in tanta Bonorum istic expectatione, & quorumdam desperatione, ut publicè sciatur. Deum oro ut id quàm primùm fieri possit.

De omnibus & ad omnia ſcribam diligenter, primo curſu publico, quem jam hebdomadibus quatuor plus minus urgemus. Diuturnum veſtrum ſilentium miramur, niſi fortaſſe omnia jam rectè, quod nonnulli hìc augurantur. Sed mihi in tempeſtate valde ſemper ſuſpecta ſubita tranquillitas. Cura, Reverende Præſul, ut valeas, & amicos, cum opportunum erit, plurimùm ſalutandos cura. Raptim Madriti 14. Novembris 1566. Reverendæ Dominationis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XVI.

ARG. *Jam certo promiſſa Regis profectio, numquam tamen futura. Friſiæ ſuæ caſum dolet. Comitia Regni Caſtallæ indicta Madriti in Cal. Decembres. Ducis Albani laudes. Card. Granvellanus Belgicæ rebus operam navare ſe cupere dictitat, & Viglio ſuccenturiari. Tyſnacus diſceſſum ſuum procraſtinat.*

S. P. Quod felix & fauſtum bonumque ſit, Reverende Præſul, poſt tot veſtras ſcriptiones, noſtraſque preces & exhortationes, tandem Regia Majeſtas de profectione ſua ſtatuit. Credo equidem tempus, quod ad eam rem ſumpſit, longum vobis viſum iri, quemadmodum & nobis ſanè videtur: ſed qui tardiùs ſolvit, tametſi tempore minus ſolvit, re tamen ipſâ utique ſolvere dicitur. Nec dubito, quin, quemadmodum re certò cognitâ & intellectâ, multi boni reſpirare, animumque paululum reſumere audebunt, ita contra ex malis nonnulli debilitari ac frangi, ex dubiis reſipiſcere ac confirmare ſe incipient. Ad vigeſimam primam hujus menſis, referentibus nobis ad Regem de Senatus, qui eodem die habitus erat, ſententia, ſuper profectione ſua, decrevit eam ſua Majeſtas; tempus itineris ineundi dicens totum menſem Februarium, quo ultimo vere iſthic poſſit adeſſe. Addidit & alia quædam, de ratione itineris inſtituendi inſtruendique; quæ, quòd publicis literis ad Duciſſam amplè perſcribuntur, nihil hìc opus eſt inſerere. Tantùm Deum oro, ut, ubi venerimus, non in eum locum res redacta repe-

riatur, ut, si omnes omnia consilia conferant, auxilii nihil adferant. Quod sanè ex iis, quæ nonnullorum literis huc quotidie perscribuntur, vehementer metuo. Quæ quidem, tametsi nonnullis ad tranquillitatem & otium spectare videantur, mihi contra videntur ejusmodi, ut, post eversam Religionem Catholicam, & adversam constitutam, ad eam firmandam ac constabiliendam pertineant: eoque actiones præcedentes omnes spectasse, ut, petendo quod manifestè iniquum esset, id quod opinionis errore æquum sibi finxerunt, impetrarent.

Ad literas Amplitudinis vestræ, quoniam tribus epistolis, extra ordinem datis, respondi, nihil habeo quod dicam amplius, nisi quod Frisiæ nostræ casum præ cæteris unà vobiscum doleo, de qua tamen miror, nihil unquam, aut certè perparum, huc allatum speciatim. Nam quæ Domini Arenbergensis literis continentur, & ipsa generalia sunt.

Libellum Episcopi Atrebatensis, quem Amplitudo vestra ad me misit, Regi dedi, cui fuit pergratus; voluitque eum retinere. Comitia Regni Castallæ indicta sunt in Calendas Decembres in hac urbe.

Faciens Rex iter per Regnum Arragoniæ, Principem videtur velle curare inaugurandum, pro more illius gentis.

Cum Duce Albano omnia mihi sunt, præstatque cuncta officia hominis amicissimi, tam apud Regem, cujus summam in me voluntatem experior, quam alibi. Reliquos, uti debeo, colo; Albanum, propter egregiam virtutem & prudentiam, & insignam erga Amplitudinem vestram voluntatem, etiam observo.

Dominus Cardinalis noster ad me scribit, optare se isthic esse, non aliam ob causam, quam ut partem onerum & laborum odiosissimorum cum Amplitudine vestra sustineat.

Dominus Tisnacus, ob animum uxoris ea in re frigidiorem factum, abitum suum non admodum videtur urgere. Accedit, quod postulata ipsius tam dicuntur esse grandia, ut Rex non satis videat quomodo cum bona gratia se possit absolvere: quam ferunt causam esse moræ; quæ (nisi ob Amplitudinem vestram) his temporibus tam difficilibus non potest mihi non esse gratissima. Sed, ut dico, hoc solum me sollicitat quod interim in Amplitudinem vestram totum onus redundat, quod nunquam desino admonere.

Quod per duos cursores proximos, qui extra ordinem venerunt, nihil a vobis receperim, nescio quo pacto sollicitum me

habet. Non quidem quod non videam, id vobis, vel inſcientibus, vel occupatis, vel alio denique modo, potuiſſe accidere: ſed animus ipſe per ſe neſcio quem ſcrupulum injicit, quem excutio quantum poſſum, & duco vanum.

Archiepiſcopum Toletanum aiunt Romam mitti, ut ab ipſo Summo Pontifice de ejus cauſa cognoſcatur. Quod nunc ſcribam, nihil ampliùs in mentem venit; ſed quum alium curſum adornamus, qui hunc pone ſequetur, non deſinam officium meum facere. Cura, Reverende Præſul, ut valeas, & me, ut facis, ama. Albanus magnam ſpem ſalutis noſtræ in Amplitudine veſtra ſemper habet repoſitam. Ab Styna expecto reſponſum ad literas meas. Dominum Bavium, integerrimum & amiciſſimum hominem, per ipſum, meis verbis cupio ſalutatum. Madriti 28. Novembris 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Mittitur iſtuc ſupplicatio duorum Burgundionum nobilium, qui ob ſervitia non parva, ut videtur, præſtita, ex ſalinis in ſingulos annos aliquid ſibi præſtari poſtulant. Hii quidem me rogarunt ut adviſum huc, quod petunt, remitti poſſit, idque ita fieri, Amplitudinem veſtram rogare vellem. Non volui illis hoc quidquid eſt officii denegare.

EPISTOLA XVII.

ARG. *Præparantur quæ ad Principis Hiſpaniarum in Arragonia inaugurationem neceſſaria. Dux Albanus jam jam in Belgium profecturus, ducens ſecum ſenatorem Cortevillium. Friſiæ calamitas. De Cancellario Geldriæ in Cobelii locum ſufficiendo, rejecto Molinæo. Qui apud Hiſpanos ſunt, Duumviri Belgæ, Marchio Bergenſis & Montiniacus, infauſtis clamoribus omnia replent. Gaudium de rebus à Noircarmio & Raſſinghemio bene geſtis; at non ſine gravioris mali formidine.*

S. P. Reliquis literis minoris momenti abſolutis, ſumpſeram, Reverende Præſul, otium ut ad Amplit. veſtram de omnibus quàm prolixiſſimè & accuratiſſimè perſcriberem. Sed id præſcin-

dens festinatio Regia, facit, ut breviter strictimque, & quasi per furtum agere cogar; sic tamen ut utrique epistolæ vestræ in Decembri scriptæ, satisfacere conabor. Quæ de periculis instantibus gravissimè Ampl. vestra admonet priore epistola, non minùs vera sunt, quàm curatu difficillima; non modo per se, ob mali ipsius naturam, quàm ob longam moram nostram, & magnam loci distantiam, quæ celere adferre rebus remedium prohibet. Quamquam tamen sperem fore ut ultimo Februario, aut certè primo Martio, hinc moveamus: præparanturque nunc ea quæ ad Principis in Arragonia inaugurationem videntur necessaria.

Dux Albanus abhinc tribus septimanis videtur profecturus, ducens unà secum Cortevillium nostrum; speratque sub finem Aprilis isthic adfuturum. Nominatim autem negocium mihi dedit, prout perfamiliariter mecum agit, ut Amplitudinem vestram suis verbis salutarem; simulque rogarem, ut omnia amicissimorum hominum, & Regis ac Reipublicæ, potissimùm autem Religionis, amantissimorum officia, inter vos constare possint, & invicem de negociis, & eorum recta tractatione, respondere: addens, non se habere alterum, cujus virtute, prudentia & fide, magis niti possit, quàm unius Amplitudinis vestræ. Quod uti libentissimè pro officio meo vobis debito audivi, ita mox recepi me quam diligentissimè perscripturum.

De Frisiæ optimæ Patriæ nostræ misero statu unà vobiscum gravissimè doleo. Et certè, longè rectius fuisset moderatè rem gerere, quàm post magnos spiritus conceptos animum remittere, & quasi foro cedere. Mirorque Dokonem a Martena, postquam Amplitudini vestræ affirmasset se scripturum, nihil tamen præstitisse.

Domini Cobelii nostri mortem doleo. De successore ne quid hìc statuatur, antequam Rex isthuc advenerit, facile me puto procuraturum. Nec sanè puto Reipublicæ ullo modo convenire, ut alius quàm Cancellarius Geldriæ vocetur; minimè autem omnium Molinæus: de quo tum metuo, ne quid isthic per suos moliatur; & tam vobis, quàm nobis inscientibus, res transigatur: in quo cautio adhibenda est, si quà fieri poterit.

Cripii dolorem doleo; & sanè, tametsi dissoluta affinitate, dignus tamen omnino videtur, cui data occasione ab Amplitudine vestra bene fiat.

Ab Tzommone nostro, quod valde miratus sum, nihil unquam

quam accepi; gaudeoque participem me factum literarum quas misistis.

Domini van Loo causa justa certè, (nisi meâ causâ erro) videtur. Sed & hìc vereor, ne Rege inconsulto res isthic peragatur.

Mameranus gravissimè ad me scribit, nisi ad arma contra rebelles capienda Regem incitemus, Dominus Tysnacus & ego, iniquos nos & injustos, prorsusque indignos fore Consiliarios.

Rem Burgundicam Rex in proximam consultationem rejecit; nec puto aut Granianum, aut Vulpianum de Evangelio nunciis lætitiæ præbendo debere laborare; quamquam tamen de hoc non semel est hîc injecta mentio, ut hac ratione ei de injuria, quam dicunt, satisfiat.

Quæ de armis non opportunissimè sumptis, & Edictis prohibitoriis editis, Amplitudo vestra dicit, non mihi solùm, sed & Regi ipsi, universoque Consilio verissima videntur. Atque utinam non quæsita res sit, quâ armis ac tumultibus omnia impleantur, antequam Rex veniat; ut, ubi advenerit, ita omnia dissipata reperiat, ut non de conservando, sed de restituendo tantùm sit cogitandum. Qui hîc sunt Duumviri, hujus modi infaustas voces quotidie nobis inculcant, & nunc cum Hispanis, nunc nobiscum expostulant.

Ad literas Ducissæ, super eorum missione, non censuit hoc tempore respondendum, sed differendum in aliud tempus.

Scripserat ad me Domina de Decanatu Gerrulietensi. Res est decreta; sed non habuit Cortevillius otium ad literas expediendas. Interim Amplitudini vestræ velim significatum, Regem jussisse, ut M. Petro D. Buchonis deferatur. Si nolit, ut tum ad Georgium Lestanier eatur.

Plura quæ nunc scribam, non habeo; sed de iisdem pluribus cupissem agere, nisi otium, uti dixi mihi fuisset ereptum. Unum addam, quod Rex inter cætera mihi dixit: optare se, ut quemadmodum cœpit, ita pergere velit Amplitudo vestra esse bono animo: sperare se, fore ut Deus brevi finem his malis faciat.

De Noircarmii & Raffinghemii rebus bene gestis, uti omnes gavisi sumus, ita non tamen sumus absque metu, ne quid gravioris mali hoc nobis importet. Bene vale, Reverende Præsul, &, quod accuratiùs hoc tempore non scribo, quæso, condona. Raptim, Madriti 26. Januarii 1566. Reverendæ Amplitudinis vestræ Paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XVIII.

Arg. *Eo tendere Confœderatorum machinationes, ut, quantumvis de ponendis armis, & Concionibus tollendis, consentire videantur, domesticam tamen religionis libertatem sibi vindicent. Commentarium suum de Tumultibus Belgicis adornat Hopperus, rem Regi pergratam. Arenbergius quoque Regi gratum facit. Multi Noircarmio invident. Brevi se ad Belgas iturum, promittere pergit Philippus; sed ludos facit. Monteniacus fratrem suum apud Regem a criminis macula purgat. Cortevillius mille ducentorum ducatorum annuum beneficium accipit.*

S. P. Quaternas literas vestras, Reverende Præsul, extremo Januario & medio Februario scriptas, accepi. Unis his respondebo; ac primùm quidem hoc dicam, cum desiderium vestri hactenus, uti potui, tulerim, nunc planè videri mihi succumbere; maximè quidem amore vos videndi, uxoremque & liberos; sed non minùs tamen causâ Reipublicæ, quæ me dies & noctes habet sollicitum. Speciosa videntur, & sanè sunt, quæ de armis positis, & Concionibus tollendis perscribuntur. Sed quid hæc ad rem, si domestica libertas maneat, cujus pacandæ causâ reliqua omnia plerique hîc credunt machinata. Ac quoniam quidem Domina Ducissa dubitans in quam partem conatus suos Rex accipiat, satis sollicitè ad me scripsit, (quod Amplitudinem vestram scire existimo) ut quid id rei sit, a me intelligat: e re putavi, responsum, quod suæ Celsitudini dedi, hìc adjungere; quod non omnino tamen sine scitu & voluntate facio suæ Majestatis; ad quam non quidem nomine Ducissæ, sed in genere, eâ de re retuli.

Eadem expressim mandavit, ut Amplitudini vestræ suo nomine quàm maximas gratias haberem de cura, labore ac sollicitudine, quam suscipit, & nunquam prætermittit. Nec verò, quâ est humanitate incredibili & prorsus singulari, unquam omittit, sed sæpius repetit, ut gratias mihi agat de exiguâ opellâ præstitâ, in rebus, quæ nunc aguntur, ab exordio ad hæc us-

que tempora describendis; quæ a me Hispanicè conscripta, (exerceo enim me nonnunquam, rariùs tamen, in eo genere) d'Enneterius in Gallicum transtulit, (*a*) & his meis literis junxi, ut Amplitudo vestra videat, corrigat, emendet, addat, demat, mutet; prout videbitur; quamquam hoc omnibus modis dedi operam, ut ex vero omnia narrentur. De quibus quid vobis videbitur omnino avebo cognoscere; certò sciens nihil opus esse ut silentium hac in re stipuler.

Res nostras Phrisicas meliùs se habere, ex animo gaudeo. Et sanè placuit Regi factum Arenbergii; & est verissimum quod dicit Amplitudo vestra, multos Noircarmii, & aliorum, qui res bene gesserunt, gloriæ invidere; quod & hîc sentimus.

Magister Ham planè dignus videtur, cui bene fiat. Atque haud scio anne conveniret D. Petrum Dekama ad Consilium secretum evocare. Mihi certè & ille locum hunc mereri videtur, & in rem fore Patriæ, si fieret. Quo facto dispici posset, anne eâdem operà Magistro Ham liceret commodare.

Dux Albanus, cum quo omnia mihi sunt causâ vestrâ, brevi iter videtur ingressurus, nec multo post Rex, si nobis credet, subsecuturus. Ostendimus enim omnibus rationibus, non modò infructuosam, sed omni periculo plenam fore Ducis profectionem, nisi id fiat. Sua Majestas in optimam partem orationem nostram accepit; sed minùs apparatûs videmus, quàm velimus; aliquid tamen. Et sanctè affirmat mihi Dux, nihil fore dubium, quin continuò post suum discessum, Rex in viam se sit daturus.

Valde sollicitos habuit, Dominum Tysnacum & me, quod ad Germanorum adventum de parte militis nostri dimittendo hîc actum est. Vestrum erit dispicere, quid in rem fiet, & an commodè executioni queat mandari; quod nobis vix videbatur.

De libro Domini Atrebatensis magnas habeo atque ago gratias. Et sanè de altero illo perbene factum, quod ad Dominum Lindanum eum Amplitudo vestra misit: quem & ipse adhortatus sum, ut nunc ostendat, qui vir fiet: & in hostes istos internos, quos habemus, aciem stringat.

Dominus Monteniacus multis argumentis conatur demonstrare, ex suorum literis, non potuisse fieri, ut suus frater conven-

P 2

(*a*) *Edita est hæc opella inter Analecta Belgica V. CL. Hoynck à Papendrecht.*

tui Bredano interfuerit. Cum hoc nemo quisquam refellit, vincit.... Et sanè omnes optamus ut vanum sit : sed id difficile persuadeas Hispanis; qui non solùm ipsi nostris hîc odio sunt, sed & nos, dominum Tysnacum dico, Cortevillium, & me, faciunt odiosos : non quidem suis factis & dictis; sed quia cum iis sæpè in Consilio agendum nobis est.

Quod Amplitudo vestra dominum Colardum mihi commendat, Rex, dum in tanta multitudine competitorum dubius hæret, negotium mihi dedit expressim, ut ab Amplitudine vestra discam, ecquid Claudium Bellinum, Ballivum Daumontanum noverit; & quid hominis, quantum ad hoc munus, quo de agitur, administrandum pertinet, videatur.

Da operam, Reverende Præsul, optime patrone, ut valeas: & te Regi ac Reipublicæ, nobisque, in adventum nostrum, serves. Petri Ostiarii vestri negotium peractum est, sed reservamus mittendum proximo cursu. Iterum valeat Amplitudo vestra. Madriti 14. Martii 1566. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Ab hesterna nocte, quâ hæ scriptæ sunt, aliquanto plus affulsit bonæ spei super profectione nostra, sed non est fatu dignum. De Albano ita, uti jusserat Amplitudo vestra, curavi. De Aggæo nostro nihil, nec audire me, nec literarum accipere, valde miror. Jam, credo, meditatur quo pacto Frisiam nostram reformaturus sit. Proximâ occasione, volente Deo, ad eum scribam. Commentarii, de quibus Amplitudo vestra scribit, paulò nunc videntur restrictiores fuisse, quàm olim, & sanè utì dicitis, affinitati aliquid est condonandum. Nam puto hoc exercitii ipsos inter se capere, ut Asiatici esse studeant. Cortevillius noster Duci it comes, ut scitis. Et dedit illi Rex beneficium mille ducentorum ducatorum in singulos annos. Velim sanè domini Tysnaci, pro suis optimis quoque meritis, rationem etiam haberi : quod speramus brevi futurum. Nam his proximis diebus Rex se missum illum facturum dicebat; quod non est futurum sine honesta remuneratione. Franciscus Hesselius, Hesselii nostri filius, nuper ad me scripsit ex Salamantica. Perplacent mihi juvenis studia; & quibuscumque rebus potero, illum juvabo.

EPISTOLA XIX.

Arg. *Fama eſt, Reginam Hiſpaniarum gravidam Gallias peragraturam, dum alio itinere Rex in Belgium tendit.*

S. P. Reverende Præſul, & Patrone. Hodie binas veſtras literas accepi, unas XXV. Februarii, & alteras Quartâ hujus menſis ſcriptas. Quantis omnia difficultatibus iſthic obſita ſint, tam foris, quam intus, non, me hercule, ignoro: & ſæpe apud Regem commemoro, non niſi divinitùs fieri, & ab animo pleno omnis officii, ſtudii & pietatis, erga Religionem & ſuam Majeſtatem, bonumque adeo publicum, proficiſci, quod Amplitudo veſtra tot tantoſque labores, & tam diuturnos & continentes, ſolus ſuſtinet. In quam partem & Rex ipſe, pro ſumma ſua humanitate, & reliqui omnes rem accipiunt. Speroque me hodie aliquid jeciſſe fundamenti ad id perficiendum, quod ſucceſſere Amplitudo veſtra tantopere à me contendit: ſperoque proximo curſu certi aliquid ea de re me perſcripturum. Et quidem eo magis, quod Rex de profectione ſua ſeriò jam agere videtur. Cui diem dixit, ut vulgo fertur, XXI. diem, ut verò Dux Albanus abhinc duas horas mihi affirmavit, extremum menſis Maii. Habeturque cras mane apud illum conventus totius familiæ Regiæ, ut illis mandata, quæ ſuper ea re habet, exponat. Oro Deum optimum maximum, ut, quod tantopere Amplitudo veſtra optat, & ego ſanè multò magis, brevi unâ eſſe, & de omnibus rebus ſermones conferre poſſimus. Plura ſcribere vetat feſtinatio Secretarii domini Hornenſis, qui has defert. Niſi quod hoc addendum eſt, Ducem, quantum mihi hodie dixit, ante Paſcha omnino ſe putat profecturum. Aiunt, dum nos per Italiam aut Oceanum imus; (nam multi ambigunt de itinere) Reginam per Galliam ituram, ut apud nos pariat. Nam gravidam eam eſſe, jam pridem, ut puto, ſcitis. Per Mediterraneum tamen nos ituros Dux ait, eâque de cauſâ jam Triremes adeſſe, aut brevi adfore, Barcinone quinquaginta, & eo amplius. Bene vale, Reverende Præſul & Patrone, nobiſque te conſerva. De rebus noſtris Friſonicis etiam atque etiam lætor; meliùs ſe habere. Raptim Madriti 18. Martii 1566. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA XX.

ARG. *De privatis negotiis Marchionis Bergensis, ad Viglium commendatoria.*

MONSEIGNEUR. *Après mes aultres lettres escriptes, est venu vers moy le Maistre d'hostel de Monseigneur le Marquis de Berghes, me requerant de la part de son Maistre (lequel estant arrievé ung peu malade, quelques heures auparavant avois esté visiter) d'escripre en sa contemplacion à votre Seigneurie ce mot de lettre; que à sa requisition ay faict très volontiers Et est, Monseigneur, que ledit seigneur Marquis me mandoit dire, comment partant de delà, pour venir icy à l'instance de Madame & aultres, il estoit dit expressement, que ce ne seroit à ses despens, mais du Roy; luy faisant son Alteze bailler la somme de quattre-mille florins, lesquels sont esté despendus bientost; tant pour la cherté du temps, par le chemin, que a cause de ses très griefves maladies, qu'il a eu, partie en chemin, & partie à Segovia, & aussi partie icy, à Madrid. De maniere que, après avoir tout despendu, & plus, luy a faillu prendre d'ung gentilhomme Anglois jusques à vingt deux mille reaux d'argent, luy assignant son payement sur le thresorier Schetz: lequel depuis en ayant parlé aux Finances l'a refusé tout plat, comme il a entendu ces jours passés par lettres dudit gentilhomme, qui s'en resent grandement. De sorte que ce luy a causé ladite maladie, & causera encoires d'avantaige, s'il n'y soit pourveu: pour a quoy parvenir luy a semblé nestre personne plus propre que votre seigneurie. Laquelle il a bien voulu prier par moyen de ces lettres miennes, qu'il lui plaise faire le mieulx, vers Madame & Messieurs des Finances, afin que ledit gentilhomme soit contenté & payé. Disant en oultre que, combien sa Majesté luy a faict icy donner deux mille ducats, qu'ils ne sont encoires receus, & qu'il lui fault aussy de l'argent pour vivre. Et a tant, Monseigneur, en me recommandant bien humblement à votre seigneurie, prieray Dieu le Createur de l'avoir en sa saincte garde, & donner bonne vie & longue. En haste, de Madrid ce* 18. *jour de Mars* 1566. *de vostre Reverende Seigneurie, très-humble serviteur* JOACHIM HOPPERUS.

EPISTOLA XXI.

Arg. *De literis Philippi Regis subobscuris, & quæ ex caussa. Scripserat Viglius, unius Regis adventum pro L. millibus esse: atque hoc Regi, ejusque Consiliariis æternum occinit Hopperus; at quo successu, eventus docuit. Brusselii & Assonvillii in Rep. laboribus sua laus tributa.*

S. P. Tametsi aut nihil, aut perparum certè habeam quod scribam, Reverende Præsul; ne tamen a consuetudine mea recedam, quæ est, ne quisquam hinc ad vos me sciente abeat, cui non aliquid literarum tradam, has properè scripsi, quibus ad proximas vestras, xxiv. Februarii & iv. hujus datas, respondebo. Quantum ad obscuriorem sensum literarum Regiarum puto Amplitudinem vestram jam cognovisse id, quod ad suam Celsitudinem ea de re perscripsi: cujus exemplum ad vos dedi. Nec verò habeo quod amplius addam, nisi ut certum habeat Amplitudo vestra, Regiam Majestatem gratissima habere omnia studia, consilia, & officia vestra, de armis ponendis, & Concionibus tollendis. Sed ne quem ipse assensum ferre videatur his, quæ inde dependent, ad privatam libertatem pertinentia: ideò obscuriùs hactenus, sive potiùs generaliùs locutus est. Subveriti quoque sunt nonnulli, ne hanc occasionem arriperent mali, movendorum armorum, & perturbandæ Reipublicæ: quam, si non tranquillam, certè minùs turbulentam manere optaret Rex, donec ipse adsit. Quamquam non dubitem, quin præter hæc adventus Ducis Albani satis erit illis occasionis, ad populum concitandum. Cui accedunt & alia illa, quæ Amplitudo vestra optimè animadvertit. Meditatur abitum sub *Quasimodo*. Præcedit Cortevillius die lunæ post Pascha. Spero autem, antequam Dux hinc decedat, fore, ut super negotio Remissionis generalis, quod solum restat, Rex resolvat.

De Domini Tysnaci missione (quem meâ causâ malim manere; vestrâ autem, quam longè præfero, jam illic adesse) egi cum Domino Confessario; nec dubito quin aliquid sit effecturus. Nisi fortasse in abitum suum, quem sub finem Maii, aut certè principium Junii speramus, uti jam scripsi, Rex profectionem

ipſius differat. Quod argumentis quidem nullis, ſed tamen animo auguror.

Quod Amplitudo veſtra prudentiſſimè ſcribit, unius Regis adventum pro quinquaginta millibus eſſe; & abſque illo reliqua non ſolùm fruſtra ſuſcipi, ſed & malum ipſum acceleratura, quotidiè & Regi inculcamus, & Dominis iſtis occinimus; qui omnes veriſſimum fatentur. Et addidit aliquando mihi Dux, ſe non tam alienum mente eſſe, ut hanc expeditionem vellet ſuſcipere, niſi certò ſciret, Regem continuò & in ipſis quaſi veſtigiis, ſubſecuturum. Quod utinam ita fiat! Sed nimis metuo ne fiat. Non ceſſabo tamen in eo perſtare; & Regi literas veſtras, quàm primùm ex agro redierit, exhibere, aut certè legere.

Scripſit his diebus paucis ad me Rex, inter cætera de collectaneis illis meis, quæ ſibi dicit eſſe gratiſſima; uti latiùs ſignificabit, ubi poſteriores partes duas (nam priores jam perlegiſſe ſe ait) abſolverit. Interim jubet, ut Duci Albano exemplum detur Hiſpanicè conſcriptum, in quo emendando nunc verſor.

Sua Majeſtas ſummâ veſtrâ fide, diligentiâ, vigilantiâ mirificè delectatur; nec dubito quin non modo literis, ſed & verbo coram publicè gratias Amplitudini veſtræ ſit acturus. Et ſanè in tantis optimis laboribus Domini Bruſſelii & Aſſonvillii, æquum mihi videretur, Regem aliquando in ſuis literis ad Dominam Duciſſam honorificam ipſorum facere mentionem; cujus, ut nonnunquam ſit data occaſio per literas ſuæ Celſitudinis, velim id denuo ſuo tempore fieri; aderoque mox, ut eorum ratio, prout decet, habeatur.

Res noſtras Friſonicas tranquilliores eſſe, multum meritò gaudeo. Et bene quidem habet, quod Achelium noſtrum Comes Arenbergenſis miſit, ut de ſingulis ad Duciſſam referat.

De Brederodianis copiis multa hîc feruntur, præter ea quæ publicis literis perſcribuntur. Et miror in tanta occaſione rei bene gerendæ, aut certè bonæ gratiæ ineundæ, Rollomanum noſtrum tam ſilere; adeò ut ne unam quidem literam, ex quo hîc ſum, ab ipſo acceperim. ſignificat tamen mihi Dominus Berlaymontius, (tametſi ſubobſcurè) quædam ſibi ab illo ſuggeri, ad ſalutem Valacriæ plurimùm pertinentia, quæ jam ille mihi dicit omnia eſſe cognita; ita ut ſuſpicer, literas, ſi quas fortè ſcribit; (nam minimè reſtrictus in hoc genere eſſe ſolet) intercipi, aut aliquid iis accidere, quo minùs ad me perferantur.

Inſtituens

Inſtituens ſcribere nihil habere me putabam, & ecce aliquid tamen habui; nec dubito quin, antequam Rex veniat, plura ſimus habituri, quæ tum, volente Deo, perſcribemus. Interim, Reverende Præſul, optime Pater ac patrone vale, & felix fauſtumque ſit vobis, quod inſtat Paſcha. Madriti 27. Martii, qui erat anno ſuperiore dies meæ profectionis 1566. ante Paſcha. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXII.

ARG. *De rebus in Belgio lætioribus, Hopperi diffidentia. A Comite Meghano pax Harderovicæ conſtituta. Dux Albanus jam Mantuâ Carpetanorum profectus eſt, ex quorumdam opinione non rectà in Flandriam, ſed in Africam iturus. Huic comes ire in Belgium, multis expetit Hiſpaniarum Princeps, qui quidem Patri ſuo Regi non ſatis placet.* Diſſimillimis moribus, *liberè inquit Hopperus*, ſunt Pater & Filius. *Legati Tunetani in Hiſpania. Libertati Friſiæ timetur. Hopperus, cui Rex in primis, & Aulici favent, de Dominio Daelhemenſi in Geldria a Rege obtinendo cogitat.*

S. P. Quod tarditatem noſtram accuſatis, Reverende Præſul, equidem haud ſcio an paulò meliori jure in vos regerere poſſimus, qui jam toto ferè menſe ne unam quidem literam accepimus. Quod quidem eò magis miramur, quod plurima quotidiè nova, eaque bona, multorum ſermone huc perferuntur; quorum ſanè non minùs quàm malorum, participes nos fieri debere non injuriâ quis dixerit. Mihi neſcio quid auguratur animus, aut non vera eſſe quæ dicuntur, aut non eo modo quo dicuntur; aut certè aliquid latere ſcrupuli, quod impediat quo minùs ſolidum hoc ſit gaudium. Viſa enim mihi eſt ſemper hæc fabula eo tendere inter cætera, ut domeſtica libertas Religionis ſaltem Auguſtanæ conſtituatur. Cujus impetrandæ cauſâ, cum directè obtineri non poſſet, res ad tumultum publicum & arma deducta eſt. Scilicet ut iis jam reprimendis illa modo ſtabiliatur, ſed &

magnum beneficium Reipublicæ præſtari videatur ; eoque nomine vel triumphos ſibi decerni poſtulare audeant.

Ex omnibus legibus ac conditionibus pacis , quas hactenus videre contigit, ſola Meghani , quam Amplit. V. nuper ad me miſit, placuit : qui unus Hardevicæ leges dediſſe, Religionemque in integrum reſtituiſſe videtur : reliqui autem accepiſſe leges , & Religionem quodammodo deſeruiſſe.

Quid jam cum Valencianis , Antverpienſibus & Trajectenſibus ad Moſam, actum ſit , qui in poteſtate Duciſſæ eſſe feruntur , avidè expectamus: nec minùs de Buſcoducis, Amſterodamo , Friſia noſtra , & aliis , quid agatur.

Noſtri hîc dicunt, omnia pacata eſſe ; nec aliud reſtare quàm ut Rex eat ; idque ſine milite , maximè Hiſpano. Quod ni fiat, & Dux cum ſuis Copiis, ut inſtituit, ire pergat, fore , ut res non modò ad arma redeat, ſed omnino ad extrema deducatur

Dux ad XV. hujus menſis hinc profectus eſt , ſcripſitque ad me de via , amiciſſimè , de ſermonibus cum Rege in Arenxues habitis. Nunc Carthagine eſſe fertur , indeque XXVIII. cum Claſſe ſoluturus. Quo iturus multi ambigunt : vulgò creditur non rectà in Flandriam, ſed in Aphricam primùm ad Argyrium. Quod tametſi non caret ſuis argumentis , mihi tamen non fit veriſimile ; aſſeruit enim ſemper contrarium , & Regem citiùs ſubſecuturum quàm quiſquam mortalium putaret : cujus tamen (quod inter nos ſit) hactenus ſigna videmus perexigua ; nec, ſi omnino profecturus eſt , ante Septembrem, aut extremum Auguſtum , profecturus videtur , ubi ſucceſſum Ducis viderit. Qui ſi ex voto ſit, & Valacria in poteſtate , Oceanum navigaturi videmur. Interim in Arragoniam fortaſſe ibimus ad Principem inaugurandum, qui multis modis hoc agit, ut unà in Flandriam eat. Quid impetraturus ſit, neſcio ; ſcio multa eſſe quæ Regi in eo non placeant. Adeo diſſimillimis ſunt moribus Pater & Filius.

Quid Imperator ad Regem ſcripſerit, quid Rex reſponderit, videbitis per exempla quæ ad Duciſſam mittuntur. Summa diſputationis ſuper Mandatis eſt, quibus carere Rex mavult , quàm clauſulam ullam Religionis admittere.

De remiſſione generali poſt multas communicationes cum Duce , tandem viſum eſt , expectandas eſſe proximas literas Duciſſæ , ut tanto certiùs deliberari ac ſtatui poſſit. Sat ſcio animum Regis eſſe , ut ſummâ clementiâ utatur , quoad ulla

ratione fieri queat : ſed optare tamen eam rem ſibi manere integram, quoad ipſe veniat.

Venit nudiuſtertius legatio Tunetana, cum Camelis, Leonibus, & aliis id genus donis. Fertur non modo de ſe pacem adferre, ſed & de Rege Argyrienſi, ut in clientelam Regis recipiatur. Quod nondum certè conſtat, propterea quod Legati nondum auditi.

Res noſtras Leovardienſes & Snekenſes eo ſtatu eſſe, ut præſidium illis imponere neceſſe fuerit, vehementer ſanè & ex animo doleo. Nec minùs etiam quod noſtri ad Brederodium Amſterodamum ſe recipiunt. Vereorque ne per iſtos homines fiat, ut quam hactenus tam bellè tutati ſumus libertatem, ſi non totam, aliqua ex parte amittamus, quod Deus nolit. Nam poſt cauſam Religionis in omnibus iſtis malis hoc mihi accideret acerbiſſimum.

De rebus meis (nam & privata tangenda ſunt) nihil ſanè eſt aliud, quod meritò deſiderem, quàm uxoris & liberorum ſuaviſſimam conſuetudinem, & unius Amplitudinis veſtræ. Quo ſolo excepto, cætera per Dei gratiam rectè. Regis erga me benevolentia & magna ſemper fuit, & in dies eam oſtendit magis & ſcriptis & dictis : maximè cum ſolus ipſum adeo. Qui circà eum verſantur Primores, non modò peramicè ſed & cum aliqua exiſtimatione, tametſi immerentem complectuntur. Privatim cum doctiſſimis quibuſque Hiſpaniæ, qui quidem in Aulam veniant, amicitia eſt. Inter nos, quotquot ſumus noſtrates, familiariter degimus ; quotidièque Dominus Tiſnacus & ego muſitamus ; doque ſedulò operam, ut ætatis, dignitatis, temporis & loci habita ratione, animum ſenilem & ſubſuſpicioſum (rectum, tum planè integrum) obſervando, cedendo, & quæcumque vult permittendo, devinciam. Nam ita omnino, etiam cum aliquo meo incommodo, cenſeo convenire.

Quod nunc ſequitur, non in eam partem accipiet Amplitudo veſtra quaſi titulos quæram (nihil enim minùs cogito) ſed ut aliqua ex parte meis proſpiciam. Scripſit ad me aliquando de Dominio de Daelhem, in Geldria, Dominus van Loo noſter. Id viſum eſt Cortevillio ego ut peterem, locutuſque eſt ea de re Duci Albano ; qui hinc abiens Regi ita rem commendavit, ut non ſolùm annuerit, ſed & libenter, & cum aliqua favoris erga me ſui teſtificatione, (ita enim ſcripſit ad me Dux) ſic tum, ut, quid rei ſit, ab Domina Duciſſa cupiat cognoſcere.

Qua de re cum nudiustertius Majestati suæ gratias agerem, eadem repetiit, & memoriale postulavit; quod datum continuò ad Dominum Tisnacum misit (nam ipse in mea causa Judex esse non possum); addens manu propria scriptum, ut continuò per hunc cursorem mittatur: quo quamprimum res possit confici. Dominus Tisnacus nullâ morâ interpositâ ita fecit; literasque ex communi formula concepit, cui non censui contradicendum, ne quid ambitiosius agere viderer, aut præjudicium Dominæ adferre. Sed res tamen ita gesta est, ut dixi. Misi ad Dominum van Loo omnia, ut ex sententia Amplit. vestræ (cui jam dudum me meaque omnia dedidi ac commendavi) vel proferat, vel supprimat. Nam si aut minoris momenti res videtur, quàm si postulari debeat; aut jus ejus, qui eam sibi asserit ejusmodi, ut bonam causam fovere videatur, nolim ego vel in rebus parvis consectandis multum operæ ponere, vel in alienis appetendis meam conscientiam lædere. Sin verò aliter res sese habeat, totum me vobis permitto ac dedo.

Velim si quid istic prodeat novorum libellorum, sive malorum sive bonorum, Amplitudinem vestram (quemadmodum hactenus fecit) nonnunquam ad me mittere; nam ea res pergrata est Regi, & delectatur eorum lectione.

Reliquum est, Reverende præsul ac Patrone, ut Amplitudo vestra valeat, & nos, ut facit, amet. Allatum est ad me hoc momento, conscribi novum Militem, quem Hispani ad Argyrium mittendum sperant, nos autem ducem fore Regis, & nostrum, in Patriam. Deus orandus est ut, quod optimum est, nobis, largiatur ac tribuat. Iterum valeat Amplitudo vestra. Madriti 26. Aprilis 1567. Reverendæ Amplitudinis vestræ Paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

MONSEIGNEUR, comme le Roy depuis cestes escriptes a trouvé en Conseil d'escripre de l'affaire icy mentionnée, y ay bien voulu adjouster ce mot, que la cause en general est telle comme la lettre de Sa Majesté dict; mais particulierement est entierement celle de la scelte que votre Seigneurie cognoict. Si parva magnis licet componere, & habet in quibusdam dilucida intervalla.

EPISTOLA XXIII.

ARG. *Regis profectio denuo nunciata. Viglii consilia Philippo Regi utilia æquè & accepta. Filios suos primæ tonsuræ coronâ insigniri vult Hopperus, de quorum alterutro in Canonicum S. Bavonis assumendo agitur.*

S. P. Quoniam toti in hoc sumus, Reverende Præsul, ut Dominum de Robles rebus omnibus instructum ad vos remittamus, nihil nunc ad literas Amplit. vestræ respondebo, solumque hoc mihi sufficiet, ut Comes Nogarollus, cum quo amicitia mihi est, non omnino vacuus a me redeat.

De bono rerum nostrarum successu, omnes plurimùm, uti debemus, gaudemus, Deoque gratias agimus: nec aliud jam meditamur, quàm ut isthuc quamprimùm advolemus: quod tamen ante extremum Augustum, aut principium Septembris non est futurum.

Rex (ut proximis literis scribam latiùs) summas Amplit. vestræ gratias habet & haberi jubet, non solùm de rebus isthic optimè administratis, sed & de optimis consiliis, quæ ad me perscribit; quorum ita semper suam Majestatem facio certiorem, ut nemo mortalium, præter ipsum, quidquam sciat, & tum plurimum res suas secundùm ea dirigat.

De his quæ illustrissima Domina Ducissa sollicitè nuper scripsit, non parum laboravimus, nec parum effecimus; non tantum tamen quantum voluissemus: sic utique ut aliquo modo contenti esse possitis. Non addam de rebus publicis quidquam, ac nec de privatis quidem, nisi ut Amplit. vestræ maximas etiam atque etiam habeam atque agam gratias, de bonis novis circa Præbendam Sancti Bavonis perscriptis. Quæ quidem eo gratiora mihi sunt, quod verè testari possum, non solùm mea omnia, sed & liberorum meorum, ab Amplit. vestra esse profecta, & quotidiè proficisci. Placet consilium ut in secundum potiùs quàm primum filium conferatur beneficium; sed videtur secundi, hoc est Tidemanni, ea esse ætas, ut nondum ejus sit capax. Scribo autem de utroque ad uxorem, ut primæ Tonsuræ coronâ insignentur. Sed ne qua re erretur, securius fore videtur ut in Gregorium fiat expeditio, nisi secus Amplit. vestræ videatur; in cujus manu rem omnem pono

Mitto Titæ filiolæ meæ, abſente me genitæ, veſtem primam Hiſpanâ formâ, ſed à Friſiis tamen noſtris qui hîc ſunt. confectam. Eam Dominus Comes Nogarollus domum Amplit. veſtræ ſe deportaturum dixit. Ego Stinam cupio rogatam, ut ad uxorem porrò velit mittere. Jam ipſam audio murmurantem, & me Hiſpanum totum factum queritantem: ſed placare illam dignabitur Amplit. veſtra, &, ſi volet, ſimilem me ipſi togam miſſurum, cum qua Roterodami in proceſſione ambulet. Bene vale, Reverende Præſul, optime Patrone, & nos brevi vobis adfuturos confide. Madriti 26. Maii 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXIV.

ARG. *Res tantiſper ſecundæ ſummo gaudio acceptæ. Princeps Hiſpaniarum Conſiliis in ſpeciem Præſidis adhibetur. His quoque intervenit Joannes Auſtriacus. De re pecuniaria, de gratia generali, & quo quantove milite Rex in Belgium proficiſcens ſe munire debeat, deliberatum. Mitigata ab Hoppero juſſio quædam Regis, de cujus indole ac ingenio judicium ſuum profert. Maturandus, è Viglii & Noircarmii ſententia, Ducis Albani in Belgium adventus. Cætera privata.*

S. P. Tametſi ad literas Amplit. veſtræ, ad medium Aprilis & principium hujus menſis datas, jam breviter ſtrictimque, & quaſi tumultuariè, per Comitem Nogarolum reſpondere cœpi, Reverende Præſul: iterum tamen id ipſum faciendum duxi paulò pleniùs; & quidem, quod res iſthic ſingulari Dei munere, ſummâque veſtrâ vigilantiâ, tam præclarè geſtæ ſunt, ad Valencenas, Trajectum Moſæ, Antverpiam, Buſcumducis, Amſterodamum, ita ut omnia jam penè pacata, & ex horribili tempeſtate in tranquillum deducta videantur: mirum dictu eſt quantopere nos omnes, totamque adeo Hiſpaniam exhilararit; ac maximè quidem præ omnibus Regem ipſum, qui nihil in vita jucundius ſibi accidere potuiſſe ſæpe voce teſtatus eſt. Ac uti fortè de aliis rebus ad illum ſcribens (jam enim pluſculis die-

bus abeſt in Eſcuriali ſuo) obiter addebam, Dei iſtud videri opus, nec abs re fore, ſi non publicæ, privatæ certè gratiæ illi agantur; ita mihi reſpondit, & tam gratam ſuggeſtionem hanc ſibi fuiſſe oſtendit, ut ſi ingentiſſimos theſauros repertos commonſtraſſem, non potuiſſem magis; addens, poſt literas meas acceptas continuò ita fieri procuraſſe, & uti continenter obſervetur, juſſiſſe.

Poſt Ducis Albani abitum Princeps noſter in Conſilio præſidere cœpit, præſente quoque Domino Joanne ab Auſtria. Hactenus permodeſtè ſe gerit, & rem intelligere, aut ſanè intelligere velle oſtendit, itque nobiſcum ad Regem; & quæ acta in Conſilio ſunt, ſummatim refert. Reliqua nos ſupplemus.

Inter cætera minutiora, præcipua Capita, de quibus hactenus tractatum eſt, fuêre Res pecuniaria, Gratia generalis, & quo quantove milite Rex iſthuc proficiſcens ſe munire debeat. Circa primum caput, quod ad Regem Conſilium rejiciebat, paulò reſtrictiùs ſua Majeſtas nobis reſponderat: ſed ſcriptis aliis literis tantum effecimus, Dominus Tiſnacus & ego, ut non nihil ſe reſerarit. Veremur tamen ne ſatis; niſi quod Dominus de Billy paulò amplius mandatum operâ Ruisy Gomeſii impetraſſe ſe ait. De gratia ac remiſſione nihil laboratur. Omnino enim Rex, non pro jure ſuo, ſed bonitate & clementia, agere conſtituit, ſuaſque Civitates ac Ditiones non perdere ſed ſervare. Nec alio pertinet dilatio, quàm ut adveniens ipſe beneficium hoc conferat, populoque ſuo ſuam benignitatem oſtendat.

Profectioni non dies, ſed Menſis dictus eſt, extremus Auguſtus, aut primus September. Naves parantur in Luſitania; retinentur in Aſturia. Subducuntur rationes ut ſatisfiat familiæ Regiæ. Hæc ſigna ſunt ad proficiſcendum non omnino incerta, maximè cum certiſſima Regis ipſius aſſeveratione conjuncta. Verùm, qui penitus rem inſpiciunt, & Aulæ Regiæ conſuetudinem norunt, nihil conſtitutum iri certi exiſtimant, antequam Dux Albanus iſthuc advenerit, & quo in ſtatu res ſint renunciarit; deque ſua ſententia Regem fecerit certiorem. A quorum opinione ipſe non longè abſum, tametſi ad accelerandam profectionem non ſemel dixerim: quoniam Deus, pacatis tumultibus exterioribus, quantum Regem amet, demonſtravit: ipſum viciſſim, maturando abitu ſuo, & reſtituenda vera Religione debere oſtendere, quanti Deum & ipſius fidem faciat; ne, ſi id minùs fiat, & (quod abſit) aliquid interveniat, non ſolùm

hac occaſione tam ampla malè uſus ; ſed & adverſùm Deum ingratus fuiſſe videatur , & noviſſimus error fiat pejor priore.

Cum quibus copiis eundum Regi ſit , communis omnium in Senatu fuit ſententia , uti magnis illis nihil opus eſt , ita ſine aliquibus Suam Majeſtatem ire non poſſe : tum quidem ob tutelam corporis , tum verò propter metum rerum novarum , quæ tanto incendio , quantum conflatum erat , quamquam non nihil repreſſo , non tamen extincto , facilè ſuborıri poſſent : & ut in Republica ordinanda leges dare poſſit , non autem accipere cogatur.

Fidendum noſtris hominibus eſſe omnino viſum eſt , ſolis aute nequaquam ; non propter bonos , ſed malos. Et ideo quemadmodùm ſinè neceſſitate nullum peregrinum militem intra limites noſtros inducere placuit ; ita pro neceſſitate , quæ exoriri poſſit , ad manum aliquem habere , cuncti cenſuerunt. Id ſi aliquibus ægrè eſt , & non ſatis ſibi fidei haberi , jugumque Hiſpanicum parari conqueruntur; næ injurii ipſi erga Regem videntur. Qui , cum ſibi credi volunt , Suæ Majeſtati non credunt.

Hæc in Senatu , ut dico , ſinè ulla variatione tractata fuêre , & in eamdem ſententiam Rex concluſit. Extra Senatum autem non nihil audio ab aliquibus variatum ; ſive ut quibuſdam placerent , ſive odio aliorum.

Quod per notas Domina Duciſſa perſcripſerat , &, ut mihi peculiariter curæ eſſet , magna cum ſollicitudine mandarat , Sua Majeſtas ea de re in Senatu nihil unquam tractari voluit , nec ipſas literas recitari ; ſed poſt rem apud ſe ad aliquot dies cogitatam , ſuam nobis voluntatem per literas ſignificabat. Quæ quidem cum durior nobis videretur , cum ſumma diligentia & cura reſcripſimus , & alia occaſione data repetivimus , remque eo deduximus , quemadmodum Amplit. veſtra ex publicis literis videbit. Et ſanè eſt ejuſmodi , ut ſi bonos æquoſque interpretes nanciſcatur , & qui prudenter exequantur (qua de re quantum ad ſuam Celſitudinem attinet , & veſtram Amplitudinem , nihil equidem dubito) nihil inde mali oriturum ; aut ſi quid metuatur , facilè declinari poſſe videatur.

Atque ut una de re cum Amplit. veſtra liberiùs agam , quatenus in his rebus , tam arduis ac difficilibus , indolem ac naturam Suæ Majeſtatis obſervare potui , ea fere videtur ejuſmodi , ut quantumcumque pius ipſe , clemens & taciturnus ſit , nec

unquam

unquam animi irati vel minimam dederit ſignificationem, hoc tamen habeat Regium & generoſum, & fortaſſe etiam paternum, ut nihil per minas & metum facere velit, & minùs etiam videri facere; ſed ſola ratione & judicio animi, aut pro bonitate ac benignitate ſua. Quod qui norunt, ita cum eo agunt, ut rationem & juſtitiam, bonitatemque præcipuè urgeant: malum autem & periculum non omittant.

Mos mihi eſt, quædam ex literis Amplit. veſtræ ſubinde excerpere, & ad Regiam Majeſtatem mittere. Id cum nuper feciſſem, peramicè reſpondit, libenter ſe vidiſſe, quod de igne ſub cineribus latente Amplit. veſtra admonebat; & ideo è re eſſe ut Dux Albanus cœptum iter proſequatur, iſthicque ſit, dum ipſa veniat. In eandem ſententiam ſcripſerat quoque Noircarmius; addens, magis quàm unquam eſſe nunc vigilandum, propter ſimulationes & dolos quos videret.

De navi ab Domino Arenbergenſi ad Harlingiam capta, plurimùm gaudeo. De Beymani caſu, & item Hartmanni Galema, vicini mei, non minùs doleo; non quidem ne pro meritis præmia digna accipiant, ſed quod in partem hujus indigniſſimæ fabulæ ſe paſſi ſunt deduci. Si quos alios noſtrates harum rerum participes Amplit. veſtra norit, libenter eorum nomina cognoſcam; atque ejus quidem etiam, qui ſe Grietmannum & affinem veſtrum apud Latorrium ferebat. Nam is qui ſit, ne ſuſpicari quidem poſſum, certè non audeo.

Hæc de publicis; nunc ad privata veniam. Ex quibus primum erit, quod dolorem Amplit. veſtræ & Aggæi noſtri, de uxoris morte, plurimùm doleo; quem vos ita ferre ſpero, quemadmodum eos decet qui rerum humanarum fragilitatem & mutationem jam dudum conſideratam habent & proviſam; quibus nihil non cogitatum meditatumque accidere poteſt. Itaque plura hic non addam; niſi quod ad Aggæum paulò latiùs in eandem ſententiam ſcribo.

Librum Domini Tiletani noſtri libentiſſimè vidi; eſt enim doctiſſimus, omnibuſque numeris abſolutus. Miſi autem ad Regem unà cum Domini Sonnii libello, & item mentione libelli Domini Lindani, quem noſtrate linguâ edidit. Omnibus Sua Majeſtas gratias agi atque haberi juſſit.

De Domini Marchionis Bergenſis morte jam audiviſtis ipſi. Quod de re pecuniaria Amplitudo veſtra perſcripſerat, communicare non audebam, ne hoc ad morbum etiam. Sed vocabam

œconomum; qui jam alias, eâdem ſententiâ ab aliis ſcriptas, ad dominum ſuum veniſſe aiebat.

Canonicatum Sancti Bavonis filio meo obveniſſe, cum re ipſa gaudeo, tum verò maximè quod ab Amplit. veſtra venit, (cui omnia mea debeo) & ſub eadem eſt conſtitutus. Quæ res facit ut non poſſim quin iterum atque iterum gratias vobis habeam atque agam. In Tydemannum cuperem conferri, motus ratione Amplit. veſtræ; ſed ejus ætas non fert. Itaque Gregorium juſſi primâ tonſurâ inſigniri: habeboque Amplit. veſtram obnixè rogatam, ut quæ porrò agenda ſunt (quod ſine moleſtia ejus ſit) dirigere dignetur.

Joanni Corpel omnem quam potero operam libenter navabo; ac quoniam Sigonetus nihil hactenus dixit, nec Domino Tyſnaco, nec mihi, curabo ut quid ejus ſenſus ſit, intelligam.

Agit Rex gratias per literas omnibus qui rem bene geſſerunt, ac nominatim quidem Amplit. veſtræ, cum nonnullis aliis. Sed faciet id ipſe multò cumulatiùs præſens.

Reſtat, Reverende Præſul, ac patrone, ut Amplit. veſtram etiam atque etiam valere jubeam, Deumque orem omnibus precibus, ut brevi ſalvi ac ſani unà eſſe poſſimus. Quod & ipſum de illuſtriſſimo Domino Cardinali Granvellano valde optarem, quemadmodum Amplit. veſtra dicit; qua de re nunc ad illum ſcribo. Madriti, penultimâ Maii 1567.

Vidimus hîc literas Principis Auraici ad Regem, ubi omne obſequium offert, quatenus ſalvâ conſcientiâ licet. Id ſua Majeſtas ſubductâ virgulâ notarat, & in margine °1° poſuerat.

Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus Servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXV.

ARG. *Regiæ profectionis apparatus narrantur; & nihilominùs multi eam futuram non credunt. Rectè. Hopperus aliqua ſe ſpe nutrit. Quæ pacandæ Civitati Antverpienſi remedia adhibita fuerant, mutanda aut minuenda Hiſpanis viſa. Viglii inceptum, de inſtruendo Lovanii Collegio, meritis laudibus ornatum.*

S. P. Accepi literas veſtras, Reverende Præſul, ad XXIII. Maii ſcriptas, quibus antequam reſpondeam, hoc præmuniam,

nos nunc totos in eo esse ut hinc quamprimùm abeamus. Classis ad caput Finis Terræ apud Sanctum Jacobum tota fere instructa dicitur. Hîc omnia ad proficiscendum necessaria parantur. Principes Bohemiæ ad XV. Julii eo profecturi dicuntur. Rex ad XX. secuturus cum Principe ; navem conscensurus ad XXV. Augusti. In summa, nihil prætermittitur quod ad proficiscendum videtur esse opus.

Et tamen plures invenias, ut fit, qui non credant Suam Majestatem profecturam, quàm qui credant. Ego cum iis, qui credunt, errare malo, quàm qui non credunt, verum dicere. Quanquam navem ingressurus Rex non videtur, nisi de successu Ducis (de quo hactenus nihil habemus) certi quid priùs cognorit. De octo navibus bene instructis obviam mittendis ad vos scribitur, & ut ad XX. Augusti ad Gobeum promontorium quod in Britannia est, (*Cabo de Ugente* vocant) adsint. Monteniacus hanc sibi curam mandari valde optavit, sed nihil obtineri potuit. Nunc ad literas Amplit. vestræ veniam.

Legatio Principum Germaniæ multis hîc magnam admirationem movit, & responsio vestra multis placuit, displicuit nonnullis. Quo jure, quâ injuriâ, non est meum judicare. Ego semper ex iis sum, qui bene factis cupio honorem haberi. Sed non omnibus eadem sententia est. Mandata Imperatoris nondum vidimus ; sed quia clausulam habent exceptionis Religionis : procul dubio hîc non placebunt, ut ex superioribus literis potuit intelligi.

Quæ pacandæ civitati Antverpiensi adhibuistis remedia : hîc magnas (ut ex literis intelligetis) turbas dederunt. Et fuit per nos res semel atque iterum ad æquitatem deducta, ita ut & Regis voluntati, & rei ipsi, & vobis fuisset satisfactum. Sed tandem, cum nihil minùs expectaremus, prævaluit quod videbitis : quod Amplit. vestram pro summa sua prudentia ita directurum spero, quemadmodum hactenus fecit in aliis, ut aut in bonum vertat, aut certè nihil, aut quam minimum pariat mali. Multi studio quodam & zelo pietatis elati, & se ipsos fallunt, & Regem longiùs quàm oportet fortasse, (nam pientissimus est) deducunt, ubi nihil est opus. Quod quoniam nos semper corrigere non possumus, vestrum est manum in ea re medicam præbere. Satis intelligo, etiam isthinc quædam processisse, quæ animos istorum exacerbarint. In summa nihil spero fore periculi, quando tam brevi Sua Majestas adfutura

R 2

eſt , & ratio aliqua commoda inveniri poſſe videtur , qua & voluntati ipſius ſatisfiat , & turba evitetur.

Legi ſuæ Majeſtati particulam unam aut alteram literarum Amplit. veſtræ , quæ mirificè placuerunt ; & ut gratias vobis ſuo nomine haberem , mandavit.

De caſu noſtrorum , qui captivi detinentur , vehementer doleo. Sed quemadmodum Amplit. veſtra dicit, quomodo res expediri poſſit , non ſatis video ; niſi fortaſſe in Regis adventum differri queat. Quod ſi fiat , aliquid bonæ ſpei ſupereſſe poterit.

Rollemanum noſtrum nihil unquam ad me ſcripſiſſe valde miror ; de Hakio autem , triumphare , & rem ita gerere , ut illuſtriſſimæ Dominæ Duciſſæ gratus ſit , ſanè quoque gaudeo. Et ſi quis eſt mortalium qui ex aliorum incommodis , (ſponte dico quæſitis) ſuum ſciat facere commodum , ille unus erit ; & ſi quid Snecæ amiſit , Middelburgi facilè recuperabit ; cujus partem conſumemus , ubi primùm , deo volente , appulerimus ; nam ad illum rectâ divertemus.

De Munificentiæ Regiæ congratulatione , magnas habeo gratias. Sed quem illa ſucceſſum ſit habitura , ex reſponſo veſtro pendet , quod expecto.

Schema Catechiſmi Hunæi ſanè placet, & ad meliora illum promotum gaudeo. Commendatione autem Molinæi id eſſe factum , miror ; nam vidi tempus quo inter ipſos non optimè conveniret. Sed ejuſmodi res commutatione temporum & ipſæ commutantur.

De inſtituto veſtro Lovanienſi ſupra quàm dici poſſit gaviſus ſum. Et hortor planè ut Amplit. veſtra urgeat , nec omittat. Regi autem non volui quidquam ea de re dicere , niſi præparata occaſione , quâ ſolus illum adeam ; quod hoc biduo aut triduo , Deo approbante , futurum eſt. Nam antequam hinc moveamus , Univerſitatem Complutenſem , & Toletum , aliaque nonnulla loca inſigniora , ubi & amicos habeo , videre cupio ; qua de re ſuam Majeſtatem adibo.

Groningenſes in viam reductos lætor. Et eſt hic Hugo Heltius Groningenſis ; homo doctus , domi dives ac nobilis ; qui poſt viginti duorum plus minùs annorum hîc apud Hiſpanos voluntarium exilium , poſtquam Amplit. veſtram cognovit Lovanii domum emiſſe (nam utor eo familiariter) planè ſtatuit redire ; & Lovanii , ubi annis vixit propè viginti , ſedem collocare , & ſe Amplit. veſtræ in clientelam dedere , & ex bo-

nis ſuis (nam habet plus quam octingenta annua) liberaliter vivere.

Proximè , aut ex itinere ſcripturum me ſpero , aut certè petaſatum & oneratum. Interim , Reverendam Amplitudinem veſtram etiam atque etiam valere jubebo , & me ipſi toto animo commendabo. Madriti. penultimâ Junii 1567.

Rex nondum declaravit Terrâne an Mari nos velit proficiſci, ſed puto eum brevi facturum.

Conveni Regem de laboribus utriuſque ſecretarii Vander Aa, & Bertii , & quod planè digni etiam Amplit. veſtræ remuneratione videntur. Qui perbenignè reſpondit , ſe in memoria habiturum ; nec dubitandum , quin , ubi venerit , liberaliter cum illis ſit acturus.

Heſſelium noſtrum quæſtioni præpoſitum gaudeo. Si quis alius, ille funditus explorabit veritatem. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXVI.

ARG. *Edicti Antverpienſis (de quo in Epiſtola præcedenti mentio) excuſatio. Magnopere probat Rex Philippus Collegium à Viglio Lovanii inſtitui.*

S. P. Reverende Præſul. Tempus non patitur (nam extra ordinem & ex inopinato hæc conjicio) ut plura ſcribam ; itaque condonabit Amplit. veſtra quod ſum brevis. Literas veſtras omnes accepimus , ad quas Rex ante proximi curſoris adventum non ſtatuit reſpondere. De Edicto Antverpienſi meritò ſuccenſetis. Et ſanè unius eſt factum hominis, non omnino intelligentiſſimi , qui nobis inſcientibus ſcriptum hoc Latinum & Hiſpanicum Regi obtulit, quod, ut per literas illuſtriſſimæ Dominæ Duciſſæ cognovimus, ad ipſam miſit. Rem omnem perſcribam proximis literis. Nunc tantùm addam, neque Amplit. veſtram , neque quemquam Collegarum noſtrorum , aut etiam Dominorum , vereri debere , vel minimam Regiæ Majeſtatis adverſùm ſe eſſe ſuſpicionem ; ſed contra , omnino optimè de vobis ſentire , & ſummas habere gratias de re bene geſta , ut re ipſa Amplit. veſtra intelliget , & alii non minùs. Sed , ut

poſt intellexi, res eo modo geſta eſt, ut proximè ſcribam; quemadmodum de Domini Noircarmii negotio quoque faciam: qui cum multa aliis, tum plurimum Amplit. veſtræ debebit; cujus literæ & judicium gratiſſima Regiæ Majeſtati fuerunt. Et nominatim dixit, gaudere ſe plurimum quod Amplit. veſtræ ſententiam etiam iteratò cognorit. Ego rem omnem jam fratri ipſius, honeſtiſſimo ſanè Nobili, hîc indicavi (præeſt enim nomine Hornenſis Equitatui Palatino) qui longè gratiſſimo animo rem accepit.

Mirificè placuit ſuæ Majeſtati quod Amplit. veſtra Lovanii Collegium inſtituit: & nominatim juſſit vobis renunciare, ſe re ipſa etiam oſtenſurum, quàm id ſibi ſit gratum. Plura habeo; ſed tempus non patitur. Illud ſolum addam, expectare quidem nonnullos profectionem noſtram ante hiemem, ſed pleroſque deſperare. Rex tum adhuc nudiuſtertius (nam nunc rus abiit) ſatis certò nobis affirmavit, & ob eam cauſam plurima negocia maximi momenti, (inter cætera illud etiam Sancti Petri, ex ſuggeſtione mea, ex veſtris literis) in adventum ſuum in Flandriam rejecit.

Illud quoque non poſſum omittere, quod Rex Dominium de Daelhem, ſecutus adviſum veſtrum, mihi conceſſit: idque non modo perlibenter, ſed cum demonſtratione, ſe plura cupere mihi cum tempore præſtare. Velim id ſcire Dominum Cortevillium, ut tum ipſe gaudeat, nam peramicus eſt, tum Domino Duci renunciet, qui principium huic rei dedit, & cui non deſinam ſummas per literas agere gratias. Ad van Loo noſtrum conſtitueram quoque ſcribere, ſed tempus nequaquam patitur. Itaque dignabitur me excuſatum habere, & ſimul, ſi opus eſt, apud alios me facere excuſatum. Non committam quin omnibus, volente Deo, proximis literis quam uberrimè ſatisfaciam, & in his Amplit. veſtræ de Gregorio noſtro, & item Domino Langio noſtro, cujus amantiſſimas literas accepi, quibus non omittam reſpondere, cum gratiarum actione de optimo officio quod in ea re præſtat. Bene vale, Reverende Præſul, optime Patrone. Raptim, Madriti 11. Septembris 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXVII.

ARG. *Monteniacus in Arce Segoviensi detentus, seorsim a Vandenessio. Cognitores causæ Comitum Hornani & Egmontii, quales feruntur in Hispania. Regia profectio ad mensem proximum Aprilem rejecta; eaque de re missæ epistolæ ad summum Pontificem, Imperatorem, cæteros. Hopperus unà cum Tysnaco adlaborat, ne quam petierat missionem Margareta Parmensis, concedatur. Edicti Antverpiensis ingeminata excusatio. Noircarmius, ad Hannoniæ præfecturam obtinendam, à Viglio commendatus. De Abbatis Sti. Bernardi ad Scaldim moribus jam dudum mali aliquid præsagiebat Hopperus.*

S. P. Tametsi, Reverende Præsul, tandem jam incipimus aliquem facere apparatum, ut tot vestris literis ac scriptis respondeamus; nactus tamen hanc occasionem nolui omittere quin hæc præmitterem, reliqua ordinariæ scriptioni reservaturus.

Mirificè omnes hîc affecit, alios alio modo, quod de Dominis isthinc fuit allatum. Cui mox eadem die successit, ut de Domino Monteniaco idem statueretur, qui non multo post ad Arcem Segoviensem deductus est, ubi Vandenessius quoque est, sed seorsim collocatus. Quid isthic, quid hîc de illis futurum sit, ab omnibus expectatur. Hactenus nihil auditum, nisi quod schedam hodie vidimus, ubi cognitores harum rerum assignantur: Cancellarius Geldriæ; Præsides Flandriæ & Arthesiæ; Consiliarii Blaserus & Hesselius; Joannes Vergas, & Doctor Del Ryo. Fiscales autem de la Porta, Claudius Bellin, Boes & Bruin. Graphiarii, la Torre, Mesdach, Vlierden & Praets. Quid rei sit, verumne an falsum, & a quibus profectum, ignoramus.

Qui annum cum dimidio in diem viximus, hoc est, incerti, proficiscendumne nobis esset, an manendum, nunc certi sumus ante Aprilem non profecturos. Sic enim sua Majestas iis quibus oportuit partim ipse declaravit, partim declarari jussit: datis literis ad summum

Pontificem, Imperatorem, & alios, quibus causæ retardatæ profectionis exponuntur. Et jam in eandem sententiam literas ad vos adornamus. Veram causam Amplit. vestra fortasse apud se satis cogitat; hoc est, ut postquam rigori per alios satisfactum erit, Rex cum gratia & clementia adveniat: sed ea ad vos non perscribitur; nam non convenire visum est. Sed quæ de adventu suæ Majestatis proximo vere adjicientur, procul dubio hujusmodi sunt, ut fidem facere debeant. Præterquam enim quod verissima & gravissima sunt, necessitatem quoque & obligationem inducunt.

Illustrissimam Dominam Ducissam nolim hoc tempore tam alieno missionem petiisse. Ne impetret, adlaboramus Dominus Tysnacus & ego. Alii aliud sentire & suadere videntur; nec nihil possunt. Quid futurum sit, brevi res indicabit. Plus metûs quàm spei habeo.

De negotio Domini Bergensis piæ memoriæ, idem quod vobis, visum nobis est; & sic, pauculis exceptis, obtinuimus. Nec aliud de Edicto Antverpiensi factum est, ubi omnibus modis, ut puto, vobis fiet satis. Nunquam enim vel minimam suspicionem mali non solum de Amplit. vestra, quam Patris loco ducit, sed nec de aliis nostri ordinis sua Majestas habuit. Sed sunt nonnunquam homines, ac maximè quidem in Aulis Regum, qui cornicum oculis configendis sibi laudem quærunt. Quinam in hac parte hii fuerint, satis me perspectum habere arbitror. Sed, ut dixi, vobis ex omni parte satisfiet.

Nondum efficere potuimus ut de gubernatione Hannoniæ, & aliis Statibus, per mortem Domini Marchionis Bergensis vacantibus, Regia Majestas statuerit. Ampliùs, non de personis quibus dandi sunt, sed de lege quâ dandi, deliberandum censet. Cæterum quantum ad personas, præterquam quod mihi ex literis Amplit. vestræ, quibus Dominus Noircarmius ita, uti decet, commendatur, referenti bis respondit, quàm commendatissimum ipsum sibi esse: tum his diebus proximis idem ad relationem Domini Tysnaci & meam repetiit; addito, & hoc & amplius eum mereri. Nec minùs de Amplit. vestra sua Majestas prædicat, quam non mihi modò, quod sæpè fit, sed & Hispanis mirificè laudat. Et addiderunt ei rei etiam multum proximæ literæ Ducis Hispanicè scriptæ, quibus plurimùm ab Amplit. vestra se juvari prædicat. De Daelhemensi Dono, quod Rex in me contulit, scripsi nuper. Nunc vero literas Regias

ea

ea de re ad Dominam Duciſſam mitto, quas Dominus van Loo illi tradet; rogatamque habeo Amplit. veſtram, ut rem, quoad poteſt, promoveat, ut quæ reſtant peragantur. Nam omnes opes meæ in vobis ſitæ ſunt.

Quin & uxori animum nonnumquam addi velim, quo minus hæc mora moleſta ei ſit. Nam, quod Deus approbet, primo vere omnino unà erimus: ſive nos iſtuc veniamus, quod planè ſpero; ſive illa huc, quod, ut puto, non erit opus.

Regia Majeſtas Dominum Tyſnacum adhuc ſubſiſtere juſſit: quod, ut meâ causâ mihi pergratum eſt, ita veſtrâ contra. Velim ſemel vos iſtis moleſtiſſimis negociis liberatos; ſi non in totum, certè ex parte.

Accepi literas Domini Præpoſiti Arienſis Morillonii, quibus Domini Torezii cauſam commendat. Quæ & ſua ſponte, & ipſius Domini Præpoſiti gratiâ, mihi eſt commendatiſſima. Nec omittam partem ullam officii quantum in me erit. Brevitas temporis non patitur ut nunc illi reſpondeam, ſed faciam proximè.

Sceleratum factum Abbatis Sancti Bernardi valdè miratur Dominus Tiſnacus, propter ſummas commendationes quas in nominatione habebat. Sed mihi, antequam inde diſcederem, jam tum cœperat neſcio quid in illius moribus diſplicere. Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis ſcripſit, optare ſe, ut vel unum diem cum Regia Majeſtate, præſente Amplit. veſtrâ & me, eſſe poſſet. Ego, ſi votis certandum ſit, vel totum ipſum ad nos rediiſſe velim. Et ſanè putarim eum non modò conſilio mirificè prodeſſe, ſed & authoritate ſuâ multa calidiora & duriora conſilia mitigare ac moderari poſſe. Nec ſanè omittam quin de ejus reditu paulatim agere incipiam.

Cura, Reverende Præſul, ac Patrone, ut valeas, & me ut facis ama. Stinæ proximis literis donariola ſacra mittam. Bavio, optimo & amiciſſimo homini, multam opto ſalutem. Ad Langium tua verba de Gregorio meo ſcribo. Raptim Madriti 7. Octobris 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXVIII.

ARG. *Filia nata Philippo Regi. Dux Albanus in abeuntis Margaritæ locum cum Gubernatoris titulo in Belgio ſuffectus. Monteniacus cum Vandeneſſio in arcta cuſtodia apud Hiſpanos detenti.*

S. P. Dies ſunt, Reverende Præſul, quatuor aut quinque, quod ad Amplit. veſtram ſcripſerim; & cras iterum, Deo approbante, per noſtrum curſorem ordinarium ſum ſcripturus. Itaque quæ nunc ſcribam, non alio pertinebunt, quàm ne quis hinc ſine meis literis abeat.

Nudiuſtertius Regina peperit filiam, cui Magdalenæ nomen fore aiunt. Heri Regiæ Majeſtati congratulati ſumus, Dominus Tyſnacus & ego; & inter cætera negotia, quæ tractata fuêre, hoc unicum de Officiis actum eſt, quod Dominum de Toraiſe Capitaneum Dolanum creaverit ſua Majeſtas. Reliqua in aliud tempus rejecit, quæ paulatim ſe expedituram dixit.

De Illuſtriſſimæ Dominæ Duciſſæ petitione dolui, & magis etiam de Regis ad poſtulata reſcriptione, quâ, quod petit, ei conceditur. Deus det ut omnia fœliciter ac fauſtè cedant.

Qui hîc ſunt, arctè habentur. Quid de aliis iſthic fiat, varii huc rumores perferuntur, quos vanos putamus. Venit heri Steenlandius, ex Comitatu domini de Wacken Capitaneus. Eum remittimus, ut in Zelandiam cum Domino ſuo, indeque primo vere ad nos recurrat. Brevitas temporis plura non patitur. Itaque in craſtinam uſque ſcriptionem Amplit. veſtram valere jubebo. Raptim Madriti 12. Octobris 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ ſemper paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXIX.

Arg. *Ad ſenas Viglii epiſtolas iterata reſponſio, ſumma tantùm capita tangendo. Lucubrationes aliquot & inceptas opellas proximo hyemali tempore perficere cogitat Hopperus: harum alteram Viglio inſcribere. Mille quingenti Ducati annui Gandavenſi Epiſcopo aſſignati, ex Epiſcopatûs Januenſis proventibus.*

S. P. Senæ ſunt omnino literæ, Reverende Præſul, quas partim menſe Julio, partim in Auguſto, partim in Septembri ſcriptas, ab Amplit. veſtra accepi, ad quas ſuperioribus literis tumultuariè, & prout quoque res ſeſe obtulit, nunc verò particulatim diſtinctèque reſpondebo.

De Edicto Antverpienſi, quo de primâ Epiſtolâ agitur, quoniam aliquoties jam ſcripſi, nihil hìc repetam: eo minus, quod Rex ipſe ſuis literis vobis plenè omnique ex parte, uti quidem ego puto, ſatisfacit. vidit ſua Majeſtas tam literas Dominæ Duciſſæ ſuper ea re, quàm ſcriptum veſtrum: quod & authoribus ipſis eam communicaſſe ſcio. In Senatu literæ lectæ ſunt, & expoſitæ diligenter; ut autem ſcriptum legeretur, impetrari non potuit: hoc colore, quod diſputationes contineret, quæ captum militarem excederent, quamquam tamen non omnes milites ſint qui adeſſent. Ut tamen vobis in totum ſatisfieret, omnibus uno ore placuit.

Dominum Heſſelium rebus hiſce adhiberi gaudeo; ſperoque commodam hanc fore occaſionem, quâ operam illi, uti optamus, navemus. Statuit enim Rex omnibus rebus diligenter proſpicere, quoad ejus fieri poterit.

De Munificentia Regia jam ſemel atque iterum ſcripſi; nec dubito quin Amplit. veſtra ſolitum ſuum favorem, pluſquam paternum, in ea re mihi præſtiterit; de quo ſummas etiam atque etiam ago gratias, nec non de opera Gregorio meo egregiè navata.

Quid de Friſiis noſtris vos ſtatueritis, avidè expectamus. Heltium, qui uti Amplit. veſtra dicit, revera vicinus veſter fuit, cuperemus hinc extrudere; ſed uſque adeo Hiſpanus factus eſt, ut

hîc malit miser, quàm in Patria beatus vivere: multumque certè distat ab Homerico Ulisse, qui vel fumum Ithacæ videre optabat. Jam totis annis duodecim est in lampade fabricanda, quæ oleum ipsa sibi subministrabit, & horas vi flammæ indicabit. Dico, vereri me, ut oleum & operam perdat. Commendat se Amplit. vestræ quam officiosissimè, & profectionem primo vere seriò se meditari ait, & Lovanii sedem velle collocare. Interim gravatim abiturus est de liticula quam instituit, quæ metuo ut illum perpetuò illic detineat.

De liberalitate Regia tantum abest ut spem deponere Amplit. vestra debeat, ut contra nihil apud me magis sit exploratum, quàm longè amplissima esse quæ sua Majestas in vos conferre cogitat; cujus rei non exiguum possunt esse argumentum literæ ipsius ad Amplit. vestram, quæ meis hisce junctæ sunt. Absoluta est prima Epistola.

Quæ secundâ continentur, ejusdem ferè argumenti sunt cum superioribus, nisi quod multa occurrere quotidiè dicuntur, quibus Commentarii nostri augeantur. Quod sanè ita est. Nec verò diffugiam laborem; quo ad exitum fabulam deducam, si modò est otium. Nam quæ hactenus hîc conscripsi, Juris & Philosophica opuscula, hac hieme, Deo volente, expolire, & verbis ornare statui; & quam de Patria nostra Frisia istic historiam institui, hîc in Hispania absolvere, vobisque opus ipsum inscribere.

Noircarmii res quo loco sint (nam de iis tertiâ epistolâ agitur) nihil est opus repetere, quando jam sæpiuscule certior per me de iis facta est Amplit. vestra. Summa huc redit, ut nihil dubium sit, quin, quod volet, obtinebit. Dicit enim nobis Rex, & hoc illum mereri, & amplius. Sed deliberat sua Majestas de forma quâ Provincias posthac sit traditurus.

Ad Augustum mensem nunc ventum est, ubi de exercitu Domini Ducis Albani fit mentio, & necessitate adventus Regii, cum nonnullis aliis, quæ rerum ac temporum successus prorsus immutavit. De quibus superioribus literis perscripsi; & jam pleniùs à Rege ipso cognoscetis.

Abbatis Sancti Petri Gandavensis negotium ex sententia vestra in Regium adventum dilatum est; mihique Rex imperavit, ut ad Amplit. vestram perscriberem, Episcopo Gandavensi pensionem assignatam esse mille quingentorum Ducatorum, (nisi fallor), in singulos annos, super Episcopatu Januensi, a tempore va-

cationis ; & jam literas Romæ, uti putat, esse expeditas. Dixi Amplit. vestram rebus Domini Episcopi impensè favere ; ipsumque adeò virum esse insigniter eruditum, pium, & probum, & muneri cui præpositus est, prorsus idoneum, quod suæ Majestati mirificè placuit.

Mortem Julii Procuratoris nostri, optimi sanè viri, valde dolui. Nec minùs displicet quod rejectis nostris hominibus is successor datus est, qui neque linguam, neque mores novit, neque ea videtur gravitate, ut nostris hominibus placere possit.

Supersunt mense Septembri scriptæ literæ ; ex quarum sententia laboravi de mansione Illustrissimæ Dominæ Ducissæ, quantum potui, & unà Dominus Tysnacus: nam res non Consilio (certis nobis præsentibus) sed jussu Regis per nos duos, cum Comite Feriano, & Domino Antonio de Toleto magno Priore, acta est. Sed id Regiæ Majestati placuit quod videtis. Quid causæ sit, nescio ; nisi quod virum iis rebus, quæ instituuntur, idoneiorem fortasse Rex putat, quàm mulierem. Ego suæ Celsitudinis virtutem, fidem & vigilantiam, nunquam cessavi prædicare, ut debui ; propositis porrò difficultatibus quæ in mutatione se offerent.

Uti ad Dominam quàm potui officiosissimè scripsi, gratiasque egi de summis in me beneficiis ; ita omittere non potui quin Domino Duci gratularer, de novæ dignitatis accessione : qui quidem uti intuitu Amplit. vestræ summa me semper voluntate complexus est, ita operâ ejusdem, uti spero, eam non deponet, sed & cumulabit. Hactenus res singulorum sua Majestas distulit ; nunc verò paulatim finem illis imponere velle ait.

De cura Amplit. vestræ, quam de uxore & familia suscipit, ingentes habeo gratias, & ut hanc moram nostram minùs gravatè ferat, uti hortando & consolando procurare velit, oro. Etenim nisi primo vere veniamus, omnino eam huc vocabo.

Restat, Reverende Præsul, ut valeas, & me, ut facis, ames. Quoniam literas omnes uno tempore absolvere non potuimus ad omnes Status & Civitates ; post discessum hujus mox alium cursorem adornabimus. Quid isthic rerum agatur, post principia tam grandia, summa aviditate expectamus. Iterum valeat Amplitudo vestra. Madriti 14. Octobris 1567. Reverendæ Amplitudinis vestræ semper paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXX.

ARG. *Rumores de rebus Gallicis frequentes & graves. Itinera inde non ſatis tuta, & Curſores publici intercepti.*

S. P. Reverende Præſul, quarta hæc epiſtola eſt, quam paucis his proximis diebus ad Amplit. veſtram ſcribo. Primam Ducis Erici ſervitori dederam, qui ex itinere quicquid habebat literarum huc remiſit, propter tumultus Gallicos. Alteram Secretario illuſtriſſimæ Dominæ Duciſſæ tradidi, qui in via propter valetudinem ſubſiſtere dicitur. Tertiam curſori huic ordinario, qui & hanc quartam defert primo faſciculo incluſam.

Rumores de rebus Gallicis huc præferuntur frequentes & graves; quod hìc referre res non patitur. Hoc dicam, noſtratium cauſam nihilo iis fieri meliorem. Adderem amplius, ſi auderem.

Quod tanto tempore ſine veſtris literis ſumus, permoleſtum ſanè eſt. Sed non aliud in cauſa eſſe ſuſpicamur, quàm ut ob motus ſupradictos itinera tuta non ſunt. Agitur hîc ut, tum quidem per Oceanum, tum verò per Mediterraneum & Italiam, curſus publicus deſtinetur. Idem vos facturos putamus, & quo res magis in tuto ſit, binis exemplaribus & itineribus poſthac uſuri videmur: quemadmodum & de iis actum eſt quæ nunc portantur.

Valdè ſollicitum me habet quid de optima Republica noſtra futurum ſit, quanquam bonam ſpem præbet illuſtriſſimi Domini Ducis prudentia & virtus. Quo minus tamen ſpeciatim & de Amplit. veſtra, & de uxore mea ac liberis angar, effugere non poſſum: oroque majorem in modum, ut, quod de ſe Amplit. veſtra ſtatuit, de iis quoque ſtatuere velit, illiſque opem ſuam, quam hactenus plus quam paternam præſtitit, impertiri.

Allatus eſt huc neſcio quis rumor de morte Domini de Mol, Locumtenentis Curiæ feudalis Brabantiæ, quo commotus Dominus de Tiſnacq, Statum illum filio ſuo ſub conditione, ſi ita eſt, petiit: de qua re ſua Majeſtas poſt reditum ſuum, (nam eſt in Arenxues) ad meam relationem ſe conſtituturam reſpondit; jubens interim iſthuc perſcribi, ne quid ibi ſtatuatur, ſed

integrum ſibi reſervetur. Eas literas nunc conficimus, & per mare cum duplicata mittemus. Quas, ſi iſtas ut ſperamus, antevertant, velim Amplit. veſtram, cauſâ Domini Tiſnaci & meâ (nam amicorum omnia ſunt communia) rogatam, ut ne quid præjudicii ei rei fiat, curæ habere velit: uterque enim, & Pater & Filius, hoc favore, ut ex parte ſcitis, longè eſt digniſſimus. Curet Amplitudo veſtra ut valeat. Raptim 20. Octobris 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXI.

ARG. *Joannes Auſtriacus creatus Præfectus* Univerſi Maris, *&* Vicarius Italiæ. *Cardinalis Granvellanus Neapolim miſſus, titulo & autoritate Proregis.*

S. P. Quintum jam, niſi fallor, ſcribo, Reverende Præſul, hoc menſe. Ac quanquam quidem ordinario curſori traditæ ſunt literæ Regis ad Amplit. veſtram, ſi quid tamen illis fortaſſe accideret, quod non ſpero, cenſui exemplar hìc addendum. Jam enim tribus exemplaribus idem argumentum tractamus, per Oceanum, Mediterraneum, & Galliam. Et haud ſcio an inter cætera quidquam mihi acciderit moleſtius, quàm quod vias interceptas videam, quo minus tabellarii liberè poſſint commeare.

De manſione noſtra per hiemem, profectione primo vere, aliiſque tam publicis quàm privatis de rebus, quoniam aliis literis ſignificatum, hìc non repetam; niſi quod poſthac, ſi impedimenta durant, aliam rationem inſtituturus mihi videor: quæ erit, ut, queadmodum ſua Majeſtas facit, ita & ipſe eandem epiſtolam, pluribus exemplaribus ſcriptam, per diverſa itinera mittam; quanquam ſpero nihil fore opus.

Quid iſthic eorum agatur, valde avemus cognoſcere. Hìc nihil eſt aliud, quàm quod Dominus Joannes ab Auſtria his diebus Præfectus univerſi Maris creatus eſt, & Vicarius Italiæ; cui Conſiliarius datur Ludovicus Quexada, ob eam rem Vice Rex Siciliæ, ut fertur, creatus: & Comes, ſive, ut nunc eſt,

Dux Ferianus, quem Vice Regem Neapolitanum aiunt futurum: de quo tamen dubitatur; jamque illustrissimum Dominum Cardinalem Granvellanum eo missum ferunt, ut Proregis munere fungatur.

Scripsi de solutione ad Dominum Berlaymontium Thesaurarium, & Van Loo. Si quam Amplit. vestra ea in re uxori operam navare poterit, erit longè gratissimum. Simulque rogo etiam atque etiam, ut ipsam hac hieme animare velit, quo moram tanti temporis minus gravatè ferat. Proximo vere spero, volente Deo, omnino futurum, ut aut nos ad vos accurramus: quod omnino puto; aut certè illa huc veniat. Cura, Reverende Præsul, ut valeas, cum amicis communibus, reliquisque tibi charis. De Domini Toræsii promotione & ante scripsi, & jam suspicor vos intellexisse. Raptim Madriti 29. Octobris 1567. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXII.

ARG. *Itinera omnia, etiam Italica, obsessa. Queritur Hopperus, quod, ipso nequicquam properante, negotia nonnumquam in longum protrahantur. In Gallia tumultuatum ab Hæreticis. His Catholici resistunt, & jam aperto Marte. Regis Philippi in rebus agendis diligentia.*

S. P. Tantum scripsi, Reverende Præsul, ut quod amplius scribam nihil habeam, ne unam quidem literam; nisi hoc ipsum fortasse in aliqua scriptionis parte ponendum est, dum nihil a vobis accipimus, neque Terrâ neque Mari, neque etiam aliunde. Nam omnia itinera, etiam Italica, obsessa sunt, & ipsi flaccessimus; quemadmodum ex Data earum, quæ his junctæ sunt, Amplit. V. videbit. Ita subinde properamus, ut ne punctum quidem temporis perdere velle videamur. Id ubi a nostra parte diligenter administratum est, intervenit nescio quis, qui non modò in dies, verùm etiam in hebdomadas, rem distrahat. Idque haud scio quanta cum re. Sed sic hîc vivitur.

Nudius tertiùs hâc iter fecit Cursor quidam Lusitanus, e Ro-

ma veniens; qui magnam partem Oræ Maritimæ in Gallia, quæ ad Mediterraneum pertinet, a malis teneri nunciavit; quod & priùs audiveramus. Nam Monſpeſſulus, Nemauſium, & aliæ Civitates multæ occupatæ ſunt; Epiſcopi aliquot & Canonici trucidati; bona eorum direpta. Arces nonnullæ obſidentur; ſed magna vi defendere eas dicuntur Catholici, & bene de rebus ſuis ſperare: adventare enim exercitum Regium, in quo magnum præſidium ponunt.

Rex nondum ex agro reverſus eſt; ſed hâc ſeptimanâ ſperamus adfuturum. Et verò eum morem habet, ut, ſive adſit, ſive non adſit, ne minimam quidem partem temporis, in rebus cum ſumma diligentia adminiſtrandis, amittat; nec quidquam ad illum perſcribimus tam parvum, ad quod non continuò ſua manu reſpondeat. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, & hæ, ſi breviores videantur, jam ſextam eandem me cantilenam cantare ſcito. Ita nullam occaſionem mitto, quâ de omnibus rebus omni tempore ad vos ſcribam. Raptim, Madriti 2. Novembris 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXIII.

ARG. *Rerum earumdem, quæ ſuperioribus literis tractatæ ſunt, brevis mentio. De amico privato quædam.*

S. P. Literas veſtras, Reverende Præſul, calendis Octobrib. ſcriptas, Idibus Novembrib. ſub noctem accepi. Quæ tanto fuêre gratiores, quanto major earum, poſt tantum intervallum, fuit expectatio. Et ſanè, circa vos omnia rectè eſſe, etiam atque etiam, ut debeo, gaudeo.

De Edicto Antverpienſi, Domino Noircarmio, profectione Regis dilata in proximum ver, & aliis id genus, nihil nunc dicam, quando de illis perſcriptum eſt pleniſſimè ſuperioribus quaternis aut quinis literis, quas pluribus exemplaribus per Galliam, Angliam, Italiam, miſſas, jam aliqua ex parte ſpero redditas. Cæteras verò reddendas, antequam hæ perferantur.

De illuſtriſſimæ Duciſſæ poſtulatis, de abitu ſuo; & aliis ad

eandem rem pertinentibus, quia illis quoque epiſtolis tractatum eſt, nihil hìc repetam. Tantùm dicam, & ipſius, & Reipublicæ causâ maluiſſe me, rem in adventum Regis fuiſſe dilatam.

Morbum communis amici noſtri van Loo, valde doleo, & magis etiam mœrorem animi, quem nullâ omnino de causâ ſuſcepit. Nam neque quidquam ſcripſit reprehenſione dignum, neque mihi mos eſt de aliis referre ex privatorum literis, (ſaltem in hac parte), quàm quæ certò ſcio non ſolum illis nocere non poſſe, ſed etiam prodeſſe, & favorem apud Regem inducere. Ac tantum quidem abeſt, ut de mala Regis erga ſe voluntate vereri debeat, ut contra omnino debeat eſſe certus, officia, quæ fecit, ſuæ Majeſtati accidiſſe gratiſſima. Quod partim jam re ipsâ declaravit, & magis etiam, Deo volente, brevì, me impulſore declarabit. Nec eſt quod impoſterum metuat; quia omnes literæ igni ſunt traditæ. Hæc, ſi fortè meis literis ſolis non placatur, velim etiam Amplit. V. illi confirmare

Qui has defert Walſingius, eſt vir nobilis & honeſtus, amicuſque in primis; qui & Amplit. V. plurima ſe debere profitetur. Quia autem per Galliam iturus eſt, non audeo omnia committere literis; ſed ſi quid erit, ipſe recenſebit. Nec ſanè quidquam acceſſit ſcriptione dignum, ex quo poſtremas dedi literas.

Natalem hodie apud me celebrat Dominus Tiſnacus, cum cætera multitudine noſtratium. Non deerunt vota, quibus vobis adbibamus largiter; quemadmodum tum quoque factum eſt, cum veſtrum natalem, qui non minùs mihi quàm meis charus eſt, apud me ageremus.

Rex ex agro rediit; & jam literas ad Imperatorem & Principes Germaniæ adornamus.

De reliquis, quæ his diebus iſthinc ſunt allata, brevì ſcribemus. Itaque nunc finem faciam, & Amplit. V. etiam atque etiam valere jubebo. Raptim, Madriti 11. Novembris, ſive ipſis Martinialibus, quæ hîc, niſi domi meæ, non ſunt cognita. 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXIV.

Arg. *Nihil de rebus Belgicis nunciatum. Viglius, Sacerdotii titulo, à rerum criminalium cognitione exemtus. Regis profectionem, quotidiè promissam, quotidiè nunciatam, aliquando futuram credit Hopperus. Card. Granvellanus, de Hopperi Commentariolo scribens, credit turbarum omnium apud Belgas originem, & quasi fomitem, jam à Caroli V. & Reginæ Mariæ temporibus, repeti debere. Legatus Æthiops ad Pontificem Romanum & Hispaniarum Regem missus, qui socios Legationis in Gallia ab Hæreticis interfectos narrat, se ipsum, accepto vulnere, ægrè evasisse. De rebus Abyssinorum multa commentitia.*

S. P. Tametsi ad literas vestras, Reverende Præsul, Calendis Octobr. scriptas jam responderim, ipso festo Martini, per Walsingum, quem salvum ad vos venisse, & literas reddidisse spero: tamen quia alias ab eo tempore non accepi, penuriâ Cursorum, & de successu Walsingi incertus sum, non potui non earum facere mentionem.

Nos jam ab aliquot ferè mensibus, de die in diem, multa à vobis expectamus; sed nihil adfertur, neque mari, neque terrâ. Et si quid adfertur, tam est tenue (quod quidem nobis videre contigit) ut indignum scriptione videatur. Nescio an alii majora certiorave recipiant; sed ne auditione quidem nos quidquam accipimus, non magis de rebus Gallicis quàm nostratibus. Credo aliquando uno impetu omnia eruptura.

Quæ recentissimæ huc perlatæ sunt literæ publicæ, ad XXIV. Octobr. scriptæ erant. Sed cum iis nihil erat ab Amplit. V. nec ab uxore. Credo accidisse, quia non ab Illustrissima Ducissa, sed a Duce nuntius mittebatur; quem vobis inscientibus mittere potuit.

Quod ordinem Sacerdotalem ab rerum criminalium cognitione excusare scribit Amplit. V., id sanè verissimum est. Nam nuper, in relatione proxima, Rex ipse quærebat, anne qua ra-

tione effici poſſet, ut ipſa intereſſet. Cui id quod res eſt, reſpondimus; quo contentum ſe oſtendit. Et verò certiſſimum habere poteſt Amplit. V., omnia bona Ducem quotidiè ad Regem, de ſummis veſtris officiis, perſcribere; ut mihi ſæpè commemorat Dominus Antonius a Toledo, ſororius ipſius.

Scribit ſua Majeſtas ad Imperatorem & Electores, & pleroſque alios Principes Germaniæ, ut videbitis. Partim ut rerum ſuarum, quatenus opus eſt, rationem reddat; partim ut qui de novo fœdere illic ſparſus eſt falſus rumor, eum diluat.

Ad vos quæ perſcribuntur, non ita magni momenti ſunt; quum nihil ſanè iſthinc adfertur, ut dixi, quod magnam conſultationem aut reſponſionem exigat. Atque utinam verò jam res eo deducta eſſet, ut omnibus detectis, & malo repurgato, ad vera tandem remedia conſtituendæ Religionis, & juſtitiæ, atque adeo totius Reipublicæ, perveniretur. Quod cum nonnunquam inculco, alterum neceſſariò præcedere oportere reſpondetur; & hoc non alii, quàm ſoli ſuæ Majeſtati, convenire: ut malis exhauſtis, illa omnia bona adveniens apportet; & cum gratia generali rem omnem componat ac conſtituat. Quod tam certò quotidiè nobis affirmatur, & ſanctè promittitur, ut fidem omnino habeamus.

De amici noſtri Loii caſu graviter dolui; & quanquam quidem per literas, quas Walſingo tradideram, omnem omnino ſcrupulum illi putem exemptum: ſi quid tum illis fortè acciderit, quod non ſpero, denuo in eandem ſcribo ſententiam.

Nudius tertius literas accepi ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Cardinali; qui ampliſſimè ad me ſcribit omnibus de rebus. Inter cætera de Commentariolis rerum præſentium, quarum originem paulò altiùs repeti optaret, jam tum ab Imperatoris & Reginæ temporibus, & aliis, quæ ante Regis diſceſſum, poſt intervenêre. Et ſanè, rectè mihi ſentire videtur. Atque utinam illud aliquando tempus videamus, quo omnes unà eſſe; & non modo de origine, ſed & de iis, quæ ex principiis orta ſunt, coram commentari poſſimus. Equidem ſtudium mihi non deerit, quo, qui Reipublicæ causâ temporibus cedere coacti ſunt, iidem, mutatis jam temporibus, ejuſdem Reipublicæ causâ, in priſtinum locum reſtituantur. Et verò bona ſpes me tenet, Regiam Majeſtatem, rei tam æquæ benignas aures præbituram. Nec etiam omittam, quin cum res ita dabit, fratri ipſius omnem operam navem, quo uxoris & liberorum ratio præ cæteris habeatur. Credo Amplit, V. intelligere quid velim.

De filiolo Gregorio, quid apud Sanctum Bavonem factum erit, præsidio Amplit. V., à quâ unâ nostra omnia: & item de Daelhemensi Dominio, proximis literis expectabo.

Quædam habeo, ad Rempublicam pertinentia, quæ optarim Amplit. V. communicare; sed tempora non ferunt ut literis committantur. Rex quædam ita probavit, ut mox mandarit executioni: quædam ejusmodi sunt, ut non nisi in constituenda universa Republica iis possit esse locus. Quàm primùm tutò mitti poterunt, ad Amplit. V. perferentur.

Novarum rerum nihil est; nisi quod nuper quidam huc advenit, Monachus Æthiops, à *Presbijtero Joanne* (quem vocant) missus ad Papam & Regem nostrum. Is collegas in Gallia ab Huguenotis crudelissimè interfectos conqueritur: se, accepto gravissimo vulnere in collo, vix evasisse. Narravi per interpretem (nam visit me his diebus), in Historiis nostris referri, Imperium illud a filio quodam Regis Frisiæ olim constitutum: respondit nihil se ejusmodi audivisse, ferri tum Boreales quosdam populos illuc aliquando venisse; præter hæc de Regina Sabæ, quod cum Salomone consuevisset, & ex eo concepisset; & item de Alexandro quodam commemorans. Ut cætera non conveniant, illud certè nobiscum commune habent, quod cornibus Boum bibunt, & Gordeo, non in farinam redacto, sed in partes comminuto, vescuntur; addito, nescio an butyro, an oleo. Nos *Potmargo* vocamus, ut scitis.

Cura, Reverende Præsul, optime patrone, ut valeas, & me, ut facis, ames. Madriti 15. Decembris 1567. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXV.

ARG. *Majoris operæ & argumenti expectari jussa Epistola. Comes Lalangius Legatorum unus, qui ad Bavariæ Ducem novas nuptias gratulaturi mittuntur.*

S. P. Quoniam de rebus omnibus, quæ quidem nunc occurrunt, perscripsi latiùs, Reverende Præsul, iis literis quæ per mare deportantur, quà præcipua quæque negotia transmitti Rex

voluit, quæ ſunt ad Imperatorem & Principes Germaniæ: ero hìc brevior, idque eo magis, quòd neſciam quid iſtis per Franciam deferendis accidere poſſit; & quòd Rex huic Curſori multa committi noluit. Nec ſanè multum habemus ſcriptione dignum; niſi quod ſua Majeſtas certò affirmat, proximo vere ſe ituram: cui fidem non adhibere nefas eſſet.

Nullis hic de rebus, quæ quidem alicujus momenti ſint, aliquid ſtatuetur, antequam à vobis de omnibus certiores facti ſimus, quod de die in diem expectamus; nam jam annus mihi videtur quod nihil ab Amplit. V. receperim.

Nudius tertius quidam advenit ex familia Ducis Bavariæ, qui Regem & Principem ad nuptias invitat. Tantum effecimus, ut Comes Lalangius unus ex iis ſit futurus, qui mittentur: reliqua ad Dominum Ducem Albanum rejiciuntur. Bene vale, Reverende Præſul & Patrone. Raptim, Madriti 18. Decembris 1567. Proximis his diebus literas accepi a Domino Cardinali, qui rectè valet. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXVI.

ARG. *Turcæ ad Bellum navale ſe accingunt. Ejuſdem argumenti, quod jam præcedentibus epiſtolis, retractatio.*

S. P. Scripſi, Reverende Præſul, per Curſorem ordinarium, qui per Oceanum proficiſcitur. Scripſi itidem per alterum, qui it per Galliam. Denuo ſcribo per hunc tertium, qui Mediterraneum eſt navigaturus. Primus literas & Mandata perfert ad Imperatorem & Principes Germaniæ, de rebus in Belgio geſtis, & falſo rumore de fœdere Pontificis & Imperatoris, & Regis noſtri. Paucula ſunt alia non ita magni momenti. Quoniam nihil hîc videmur acturi antequam omnia iſthic parata & inſtructa ſint, & ad nos tranſmiſſa, eo tota res tendere videtur, ut, ſi quid rigoris exoriendum erit, quod, ut ſpero, parum aut nihil futurum eſt, id abſente Rege fiat: inde verò ipſe cum gratia generali adveniat, ad Religionem & Rempublicam conſtituendam. Et quidem omnino ſe iturum quotidiè nobis affirmat; nec volumus dubitare.

Turca bellum navale parare dicitur.

Quoniam Bavarus huc misit nobilem quendam suum, qui Regem & Principem ad Nuptias filii invitaret, tantum effecimus ut Comes Lalangius, optimus certè & modestissimus juvenis, unus futurus sit ex iis, qui nomine utriusque sunt ituri.

Pauci sunt dies, quod ab Illustrissimo Cardinali literas acceperim, de quibus latiùs scripsi superioribus epistolis. Itaque non aliud nunc restat, Reverende Præsul, quam ut Amplit. V. plurimùm valere jubeam, &, ut patri, me & uxorem, liberosque ipsi (solito meo more) commendem. Raptim Madriti 19. Decembris 1567.

Amico nostro communi Loyo ternis jam literis non modò satisfecisse me puto, exempto scrupulo, sed insuper animum addidisse, ob operam bene præstitam. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA XXXVII.

Arg. *Gratissima Philippo Regi Viglii consilia, a quo non Simeonis, sed Zachariæ canticum se auditurum sperat, quum advenerit. Censet rem omnem ratione & consilio apud Belgas potissimùm componendam esse, & si fieri possit, arma tantùm ostentui habenda. Præclarè & gravissimè Hopperus, se,* quo ætate studiisque longiùs progreditur, eo veriora certioraque comperire, *quæ sacrosancta Ecclesia, a Patribus accepta, longo usu comprobavit. Præclarum & illud:* Regium esse, ubi bene feceris, malè audire; *quod quidem occasione calumniarum, quas tum ipse, tum Viglius, immeritò patiebantur?*

S. P. Ut ad ternas vestras literas, Reverende Præsul, nunc respondeam, quas superioribus meis jam significavi me recepisse: inde incipiam, quod nunquam satis magnas vobis queam referre gratias, quod ad cætera immortalia in me beneficia, hoc etiam addere dignamini, ut non solùm rerum quæ ibi aguntur, verùm etiam prudentissimorum consiliorum vestrorum particeps

efficiar. Quibus tantum luminis nobis accedere A. V. ſibi perſuadeat, ut in tanta rerum omnium confuſione, ac denſiſſimis tenebris pro Solis luce habeantur. Et quidem Regia Majeſtas ipſa, ad quam, uti occaſio poſtulat, his de rebus refero, non ſolùm verbis coram, ſed & per literas, propria manu ſcriptas, expreſſè mandavit, ut ſummam fidem operamque veſtram longè ſibi gratiſſimam eſſe A. V. intelligat, &, quemadmodum eſt, bono animo eſſe pergat: ſperareque ſe, non Simeonis, ſed Zachariæ canticum, a vobis auditurum.

Quid de noſtra cum Rege profectione ſtatutum ſit, quid de Duce Albano, ut præeat ad exercitum comparandum; quid de muneribus Mansfeldio, Meghano, Arenbergenſi & Berlaymontio impoſitis, quoniam publicis literis continentur, nihil hìc dicam, & ſunt ordinaria. Tantùm illud addam, eam omnino mentem eſſe Regis, ut, ſi quo modo ratione & conſilio res componi queat, non cenſeat ad arma veniendum. Quibus ad terrorem ſolùm uti ſtatuit, & ut libera ipſius & Bonorum, quos conſiliis ſuis adhibebit, poſſit eſſe deliberatio, & eorum quæ deliberata & concluſa erunt, efficax executio.

Cætera autem, ne unum quidem militem in Provincias noſtras belli gerendi aut duriùs agendi causâ introducere conſtituit, niſi ab adverſariis vi & armis ad hoc compellatur. Ac quoniam quidem tam brevi Rex ipſe adeſſe ſperat, quantùm ex ſuperioribus & iſtis literis potuiſtis cognoſcere, nihil cenſuit eſſe opus, ad proviſionalia illa, quæ proponuntur, remedia deſcendere: eoque minùs, quod pleraque de iis ejuſmodi ſunt, ut præter ſummum præjudicium, & certum metum majoris mali, quem ſecum trahunt, ſine gravi vulnere conſcientiæ concedi non poſſe videantur. Denique rebus omnibus diligenter expenſis, ſiquidem hoc obtineretur, id ipſum obtineretur, de quo hactenus certatum eſt, & in quo impetrando omnis victoria ponitur.

De miſera Patria noſtra graviſſimè doleo, & Aggæo noſtro, cum ſuis propheticis ſermonibus, mentem meliorem opto. Et quo ætate ſtudiiſque longiùs progredior, tanto veriora certioraque comperio, quæ Sacroſancta Eccleſia a Patribus accepta, longo uſu comprobavit.

Quemadmodum vos iſtic, ita & nos hìc, non ſine graviſſimis calumniis degimus. Sed non minima pars beatitudinis eſt pro juſto & recto calumniam pati: & Regium eſſe vulgo dicitur

dicitur, *ubi bene feceris*, *male audire*. Libellus, ab Lovaniensibus editus, Regi fuit pergratus; & visis summis illius capitibus, quæ in gratiam ipsius Gallicè conscripseram, totum ita reddi jussit: quam provinciam Denneterio delegavi, ut occasionem paulatim quæramus, quâ in notitiam suæ Majestatis insinuetur.

De Vironii nostri, optimi viri, morbo, multum doleo; spero autem meliora.

Dominum Morillonium ad vos rediisse, & ipsius, & vestrâ causâ gaudeo. Et sanè velim illum pro amicitia nostra nonnunquam ad me scribere. Utrumque etiam atque etiam cupio salutatum.

De Vulpiano quod quæritis, latet in pago suo fere suburbano, unde in urbem perrarò commeat. A me bis invitatus, nunquam venit, nec Dominum Tisnacum ferè unquam adit. Inter Dominos autem & illum plurimum intercedit familiaritatis & communicationis, maximè autem si quis nodus vindice dignus occurrerit.

De Idzardo, & ad Idzardum nostrum scribam proxima occasione, ubi schedas meas perlustraro, ecquid ibi fortasse Nobilitas ipsius delitescat, quam certe meâ culpâ in obscuro manere non deceret. Et sanè verendum esset, quemadmodum dicitis, ne pro interesse mecum ageret. Ut Juvenali satisfieret, misi nuper nomina omnia meorum, excepto uno, qui in mentem non venerat, servo servorum, *Cornelio Gravio*, Lovaniensi, qui coquo servit.

Plura, si quæ erunt, scribam proximè, post Regis in urbem reditum Nunc autem annum hunc novum faustum vobis ac felicem optabo. Bene vale, Reverende Præsul ac patrone, & me communibus amicis plurimum commenda. Madriti Calend. Januar. 1567. Reverendæ amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

V

EPISTOLA XXXVIII.

ARG. *Regina Hispaniarum gravida. Caroli filii conclave profunda nocte dormientis Rex ingreditur, eumque custodiendum tradit. Caussas inexspectati illius eventus Rex ipse se perscripturum pollicetur; tum quoque Hopperus.*

S. P. Nihil quidem habeo quod scribam, Reverende Præsul; nam ad literas vestras, XX. Octobris scriptas, post quas nullas alias accepi, jam septies aut octies respondi: sed tamen hoc ipsum, quàm nihil, malo scribere. In magna sumus expectatione, quid tandem, post tantam moram, nobis parietis. Quod antequam cognoverimus, vix video quid publicè ad vos queat perscribi.

Rex post menstruam absentiam, abhinc triduum, in urbem rediit; & bellè valet, quemadmodum & Regina, quæ iterum pregnans est.

Quæ sequuntur, tametsi multorum literis perferuntur, non alii ego censui, quam uni A. Væ quod ad me attinet, credenda. Proxima nocte superiore, sua Majestas ingressa cubiculum Principis, cum Consilio status Castellæ, sub horam ferè primam, in custodia eum posuit, ne cubiculum egrediatur, aut quisquam ad eum ingrediatur, nisi quibus id negotii datum est; qui sunt pauci, ex Primoribus hujus Regni. Manè nos vocavit, Dominum Tisnacum & me, dicens, non voluisse omittere quin nobis facti sui rationem redderet; ut intelligeremus quanta necessitate coactus id fecerit: addens, brevi de omnibus his rebus perscripturum se in Belgium, quo etiam ibi, non modo generaliter, sed & particulatim, res intelligatur. Quod cum fiet, non omittam quin de cunctis, etiam extra literas publicas, A. Vam faciam certiorem: quæ his committere nec potui nec volui, nesciens quid iis possit accidere. Nam qui has perfert, extra ordinem mittitur.

De Profectione nostra quid certò sperandum aut non sperandum sit, tum etiam A. V. cognoscet. Quamnquam mihi semper stat sententia, omnino Regem iturum. Bene vale, Reverende

Præſul ac Patrone, & nos, ut facis, ama. Raptim Madriti 19. Januarii 1567. Reverendæ amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XXXIX.

ARG. *Miratur Hopperus, novis in Belgio Conſiſtorianis, quos vocat, (Conſilium Turbarum intelligit) neminem adhibitum ex Secreto Conſilio, neminem ex Conſilio Brabantiæ. Ut conterranei ſui Snekenſes, qui inſolentiùs ſe geſſerant, præſidiario milite, ſi fieri poſſit, liberentur, Comitem Arenbergenſem orat. Conſilium Hiſpaniarum cenſet, ante generalem gratiam concedendam, ex re eſſe, ut in autores mali animadvertatur; ſed* animadverſionem brevem, & in paucos: gratiam autem amplam, & in univerſos eſſe debere. *Timet Hopperus ne mandata criminalia, in Proceres aliquot Belgas decreta, novi tumultus occaſionem adferant; ſed tamen quod factum eſt, faciendum fuiſſe cenſet. Princeps Hiſpaniarum in arctiori cuſtodia detentus, ſub Præfecto Rogerio Gomeſio. Commodianæ ſchedulæ plures in illius ſcriniis repertæ, ubi nomina multorum ſua manu annotaverat. Duces Belli creati XXX., Navales Turcarum copias debellaturi. De Profectione Regis, omnia in dies magis incerta. Cætera ferè privata.*

S. P. Literas veſtras, Reverende Præſul, ad IV. & XX. Novembris ſcriptas, ſub finem Januarii accepi, cum exemplis literarum Calend. Octob. IV. Novemb. & IX. ejuſdem datarum. Ad ſingulas ordine reſpondebo. Primùm, incredibile eſt, poſt tanti temporis intervallum quo nihil a vobis acceperamus, quàm gratæ ac jucundæ mihi fuerint literæ A. V^{æ} quæ vel ipſâ vitâ mihi eſt charior, & cujus nunquam de animo mihi diſcedit memoria.

Ad literas Calend. Octob. ſcriptas, nihil hìc dicam, quando ſexies aut ſepties ad eas reſpondi. Et quidem abhinc etiam paucis diebus, ex quibus nonnullas ſalvas evaſiſſe, & ad vos perlatas, famâ accepimus.

De novis Conſiſtorianis, quorum epiſtola ad IV. Novembris ſcripta meminit, jam audiveramus; & puto ſuperioribus literis de iis me perſcripſiſſe. Placetque electio; nec dubito quin Heſſelio noſtro occaſio hinc naſcetur ad majora perveniendi. Cui ſtudium & officium meum nequaquam deerit. Miror ex ſecreto Conſilio nullum adhibitum, nec quenquam ex Conſilio Brabantiæ: Qua de re aliquid fortaſſe potuiſſet evitari difficultatis, prout gens illa ſuorum privilegiorum eſt tenax.

Demiror quid Dominus Everardus ex Friſia noſtra ſit allaturus: ac potiſſimum quidem de Snekenſibus meis, ex quibus non nullos, quos probè novi, inſolentiùs ſe habuiſſe intelligo. Non potui autem omittere, quin apud Dominum Arenbergenſem pro ipſis intercederem; ut, ſi quando ſervitium Regis & bonum publicum id pateretur, non ſint poſtremi, qui præſidiario milite liberentur.

Quid de gratia generali effecerimus, jam puto A. V^am^ cognoviſſe. Communis eorum qui Conſilio adhibentur, ſententia eſt, non convenire ut ad gratiam generalem perveniatur, antequam in nonnullos authores mali ſit animadverſum. Addunt autem animadverſionem brevem, & in paucos eſſe debere, gratiam autem amplam, & in univerſos.

De cauſa A. V^æ^ jam cum nonnullis egi ſæpius. Omnes omnem operam pollicentur liberaliter; nec dubito, quin brevi aliquid Rex ſtatuet. Quem ipſum etiam ſtatui iterum convenire: nam nihil omittam, quo A. V^æ^, cujus totus ſum, ſerviam etiam cum aliquo pudore meo.

Literas nona die Octobris ſcriptas intercidiſſe, certè nondum redditas doleo; eo magis quod Domini Janſenii libellus nuper editus, cum eis conjunctus erat, quem valde aveo cognoſcere: & item alterum illum majorem, ad Proverbia Salomonis, quem A. V^æ^ dedicavit. Ejus cauſam jam ſæpè egi mea ſponte; & ſunt menſes tres, plus minùs, quod Rex diceret (uti etiam credo ſcripſiſſe me priùs) Romæ omnia acta tranſacta eſſe de penſione Hiſpanienſi; ſed nec in negotio Sancti Petri illius oblitus ſum; nec, cum uſus feret, obliviſcar, quantumcumque importunè id hìc ſollicitetur & urgeatur.

De domo empta, (nam hoc epiſtola XX. Novembris continet) ſanè gaudeo, non quidem ut ob id minuam quod de re A. V^{æ} facio; ſed quod domum in Curia habere, in aliqua parte habitationis ponitur; quod mihi non poteſt de A. V. non ſummæ eſſe voluptati.

Dum hæc ſcribo, ſuperveniunt literæ veſtræ ad XXVI. & XXVIII. Decembris, & VI. Januarii ſcriptæ, quæ de ſuperioribus conceptam voluptatem cumularunt. Non quidem rebus ipſis; nam quid poteſt eſſe jucundum in tanta rerum confuſione? Sed quod vos rectè valere intelligimus.

De Domini Cancellarii Geldriæ, optimi ac amiciſſimi viri, valetudine valde doleo. ſpero autem Deum, & ipſum, & Rempublicam, cui plurimùm ſemper profuit, reſpecturum. De Varrouſio quod accidit, ſemper metui; fuêreque illius actiones quædam, & ſocietas cum Caſembrotio, mihi valde ſuſpectæ.

Loum, amiciſſimum noſtrum, convaluiſſe, vehementer etiam atque etiam lætor, ſed utrum literas meas acceperit, & quid apud eum valuerint ad ſcrupulum eximendum, nihil intelligo.

Bellum me hercule, quod de uxore A. V. ſcribit, quaſi verò muneri corporeo non cumulatè ſatisfecerim, qui quatuor filios & totidem filias genuerim, & non anni unius aut alterius ab illo labore excuſationem meruerim. Sed nolo ſanè hac uti ampliùs excuſatione; jamque mitto Denneterium, ut illam cum omni familia huc adducat, nec ab incœpto deſiſtat, etiamſi in itinere jam nos eſſe intelligat. Nam tantum de adventu noſtro mentiti ſumus, ut, etiamſi verum dicamus, non credendum nobis eſſe cenſeam. Omnino boni ominis puto quod Regina apud vos uxor fuerit.

Faciunt ampliſſima merita Illuſtriſſimæ Duciſſæ erga me, ut ejus abitum non poſſim non dolere; quanquam ſperem Domini Ducis non malum quoque, imo juſtum & æquum, prudenſque fore imperium.

Mandata criminalia, erga Dominos illos decreta, vereor ut turbæ aliquid adferant. Sed meo judicio, aut illis, qui in manibus ſunt, facta fuiſſet injuria; aut ita faciendum fuit.

Res per Arenbergenſem in Gallia geſtas, planè cognovimus per exempla literarum, quas ad Ducem dederat. Quoniam D. Abbas Sancti Petri mortem obiit, certum habeat A. V.

me nihil ſtudii officiique prætermiſſurum, quo Domino Janſenio proſim. Hoc enim & res ipſa, & virtus ac doctrina illius ſpectata meretur; & ſupra omnia favor ac deſiderium tam enixum A. Væ.

De ſucceſſu novi Regiminis libentiſſimè cognoſcam quid ſiet; & de Vergaſo quid rei ſit, quoniam de illo ſuſpitio injecta vobis eſt, quædam non indigna fortaſſe ut ab A. Va cognoſcantur, perſcribam.

Placere A. Væ quod Rex deliberandum cenſet, quo pacto Provinciæ poſt hac gubernandæ ſint, gaudeo. Nam mihi certè ſemper ita viſum eſt, & magnum momentum ea in re eſſe poſitum. De Domino Noircarmio, qui amiciſſimè ad me ſcripſit ob literas meas apud A. Vam viſas, nihil eſt dubium quin ſummam ipſius rationem ſua Majeſtas ſit habitura. Quod de Condianis A. V. metuit, ſi res inter Regem Galliæ & ipſum tranſigatur; nos itidem valde veremur. Nec minùs metuimus, ne a profugis quid magni mali oriatur. Sed non dubito quin Dominus Dux pro ſua ſumma prudentia hæc prævideat, & remedia contra paret.

Hactenus ad literas veſtras reſpondi. Quæ ampliùs addam, perpauca ſunt. Nam quod ad Principem noſtrum attinet; id jam ex ſuperioribus literis cognoviſtis. Poſt demum in arctiori cuſtodia poſitus eſt; ubi ſatis ſtrictè habetur, ſub præfecto Rogerio Gomeſio, qui jam degit in Palatio, ea parte, qua Princeps degere ſolebat: ut tanto diligentiorem ipſius curam agat.

Cauſas quæ circumferuntur non auſim nunc perſcribere. Sed illud ſatis certum habetur, Commodianas ſcedulas multas in ipſius ſcriniis repertas, ubi nomina multorum ſua manu annotaverat. Proximis literis plura fortaſſe ſcribam.

Maximam a Turca claſſem inſtrui, certum habemus. Quo iturus ſit, neſcitur. Melitenſes plurimùm ſibi metuunt. Et dubitatur, ne quem portum noſtrum in Aphrica invadat, aut etiam quid majoris rei moliatur. Duces belli hîc creati ſunt triginta, qui propediem ad mare dicuntur profecturi.

Quemadmodum ante Princeps ſolet, ita nunc Dominus Joannes ab Auſtria in Conſilio præſidet. Et eſt novus additus Conſiliarius, Dominus Garcia de Toledo, Præfectus Maris qui fuit: nam ſuffectus eſt illi Dominus Joannes ab Auſtria.

De negotio Daelhemenſi literas eſſe perlatas, plurimùm gau-

deo. Nec dubito quin A. V., unà cum Loo noſtro, omnem mihi favorem impartiet.

Quantùm ad noſtram profectionem, omnia quidem mari parari feruntur. Et verò Dominus Antonius de Toledo nuper mihi ſanctè affirmavit, omnino ſe putare Regem profecturum, & Rex ipſe quotidiè id præ ſe fert. Sed hîc nihil eſt adhuc apparatûs; & quotquot ſumus metuimus, ut Principis negotium, & adventus Turcæ, moram ei rei adferat. Quicquid ſit, planè cenſeo, ut ad proficiſcendum uxor ſe paret; nam deſiderium ipſius, & liberorum, ſanè ampliùs non fero. Ut autem ſatisfieri ei poſſit, confido A. V^am^ & Loum, curæ habiturum. Regi, ne quid ſuccenſeat, dicam id quod res eſt, velle illam venire: nec par eſſe ut ego contradicam. Ante tum quàm parata eſſe poſſit, certò ſciemus, ut ſpero, quid de noſtra profectione ſperandum ſit, aut non ſit.

Dominus Tiſnacus quotidiè rem ſuam ſollicitat, cum alubi, cum apud Regem ipſum. Nec dubito quin aliquid dignum illius optimis meritis dabitur; ſed hactenus nihil adhuc factum eſt; fore autem ut brevì fiat, illius causâ ſpero.

Bene vale, Reverende Præſul, optime patrone, & me, ut facis, tuum eſſe, tibi etiam atque etiam perſuade.

Eſt hîc Mathematicus quidam Regius, meus amicus, qui de navigatione Anglorum ad Moſcovitas per ſeptentrionem aliquid cuperet cognoſcere. Si quid iſthic ejus rei extaret, aut aliunde ſciri poſſet, pergratum eſſet intelligere. Sed nolim tamen A. V^am^ ea re ullo modo gravare. Iterum vale, Reverende, omnibuſque rebus colende Præſul. Madriti 7. Februarii 1567. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XL.

ARG. *Viglius ſenatorium munus abdicare cupiens, tantiſper adhuc exſpectare juſſus. De Regis profectione rumor incertus. Gallia turbata, atque inde etiam literarum commercia, Belgium inter & Hiſpanias.*

S. P. Literas veſtras, Reverende Præſul, menſe Januario ſcriptas, accepi; & item alias in Decembri datas; quæ aliquan-

to post, cum illustriss. Ducissæ literis ex Luxemburgo redditæ fuerunt. Ad neutras nunc respondebo, quoniam in hoc sumus ut cursorem mittamus; qui, nisi mora sit a Rege, qui a vobis nescio quid exspectare videtur, has, ut puto, antevertet. Jam autem quia Coquus meus ad vos it, cui quatuor mensium commeatum dedi, nolui illum vacuum sine meis literis venire.

De Negotio Amplit. V^æ^ Regem ipsum per literas (nam aberat tum in Pardo) compellavi. Qui postquam præter morem diutulè eas retinuisset, tandem respondit perbenignè, & ut per alias meas epistolas Amplit. V. intelliget. Tradidi etiam vestras literas; nam ita omnino videbatur convenire, propterea quod cum iis quæ priùs egeram conveniebant. Libenter eas Rex accepit & legit, & responsum adornari jussit. Summa huc redit, ut missionem honorificam omnino deberi existimet. Sed optaret Amplitudinem vestram istic manere, donec Respublica meliùs ordinata sit ac constituta : addens, se ad Ducem perscripturum.

Jansenii negotium egi diligenter; estque res eo loco ut meliore esse non posset. Nam cum omnibus Ecclesiasticis plurimùm, tum Jansenio egregiè favere sua Majestas videtur; ut pleniùs aliis meis literis, cum Amplitudo vestra, tum ipse, cognoscet.

De profectione omnes quidem, maximè Hispani malè sperant; sed Rex perstat in sententia, & qui proximè circa eum sunt. Classis ad decimam quintam Aprilis adesse jussa est. Quid deinde fiet, videbimus. Qui maximè itioni favent, circa Nonas aut Idus Julii conscensuros navem nos putant. Omnino quid toto anno sperandum sit, ante finem Maii sciemus.

Conveni suam Majestatem de uxoris gravissimo desiderio, & meo, ut unà simus, illaque huc veniat; nec aliud obstare, quàm servitium ipsius : ne, si illa istinc moveat, scrupulum nostratibus injiciat de desperato adventu ejus: quod privatæ affectioni meæ dicebam præponendum. Collaudabat Rex considerationem & voluntatem meam; addens, sperare se istic adesse, antequam illa hîc posset : & tum quo uxori interim satisfiat, rectè facturum me si aliquos de meis præmittam qui illam bono animo esse jubeant, aut si quid interveniret, quo minùs sua Majestas adesset (quod minimè sperat) confestim eam huc adducant. Id verò, ut dixi, ante finem Maii omnino constabit. Ac secutus quidem voluntatem Regis, statui post paucos dies Denneterium, cum aliquot aliis, quorum operâ minùs indigeo ad vos mittere, a quo omnia plenissimè cognoscetis.

Quid

Quid rerum iſtic agatur, tam circa captivos & abſentes, quàm ordinationem Religionis & Juſtitiæ, omnino avemus cognoſcere. Malè ſit peſſimis iſtis, qui rebus Gallicis perturbandis, omnem nobis ſcribendi & mittendi, & res ultro citroque cognoſcendi, commoditatem auferunt. Sed dabit his Deus aliquando finem. Bene vale, Reverende Præſul, optime patrone; & me amicis plurimùm commenda. Madriti 12. Martii 1568. Reverendæ amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLI.

ARG. Dum alubi totis, *inquit Hopperus*, turbatur agris, nos hîc in utramque aurem, ſi non dormimus, dormire certè multis videmur. *Turcarum exercitus Italiæ imminens.*

S. P. Tametſi abhinc diebus paucis ſcripſi, Reverende Præſul, per quendam ex meis, qui ad vos profectus eſt, & brevì per curſorem & Denneterium ampliùs ſum ſcripturus; nolui tamen Capellanum noſtrum iſtuc euntem vacuum dimittere. Heri plurimæ literæ extra ordinem huc delatæ ſunt, ex quibus hac hora pauculas accepi ab uxore, Loïo, & nonnullis aliis. Veſtras, quantum ex uxoris epiſtola colligo, ſuſpicor cum alio curſore eſſe, qui in via eſt.

Dum alubi totis turbatur agris, nos hîc in utramque aurem, ſi non dormimus, dormire certè multis videmur. Quid de profectione futurum ſit, toto menſe Maio omnino ſciemus. Nunc in hoc ſumus, ut, quo ſtatu Epiſcopatus noſtri ſint, ad ſuam Majeſtatem referamus. Idem etiam iſthic ab Domino Duce agi, & de executione Concilii Tridentini cogitari, ex Cortevillii literis cognovimus. Omnia rectè, ſi is adeſſet, qui rectè poſſet mittere executioni.

Quid de poſtulatione Amplitudinis veſtræ egerim cum ſua Majeſtate, quid reſponderit, quam benignè literas veſtras acceperit, & quid brevì ſperandum ſit, partim attigi ſuperioribus illis literis, partim, & quidem accuratè, perſcribam proximis. Capitanei Hiſpani, quos Dux miſit, nudius-tertius appulerunt. Præfecti triremium Maris Mediterranei poſt pauculos dies viden-

tur profecturi; nam qui prorsus venturus Turca negabatur, nunc venturus omnino dicitur. Certè, nisi Deus avertat, turbulentus videtur imminere annus. Cura, Reverende Præsul, ut valeas & te nobis ac Reipublicæ, & rebus melioribus, quas brevì speramus, etiam atque etiam conserva. Quid de Jansenio actum sit scripsi, & scribam latiùs: omnia enim bene se habent. Madriti 23. Martii 1568. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLII.

ARG. *Benedicti Ariæ Montani, in Belgium euntis, commendatio.*

S. P. Qui has reddidit, Reverende Præsul, Benedictus est Arias Montanus, amicus meus, Theologiæ Doctor, & plurimarum linguarum, quæ ad tredecim usque numerantur, peritus: vir bonus, & optimæ consuetudinis. Is in Belgium jussu Regis proficiscens, ut editioni Bibliorum Complutensium supersit quæ a Plantino excudi debent, summopere a me contendit, ut eum Amplitudini vestræ, quam a scriptis & fama probè novit, de meliori nota commendarem; quod sanè feci perlubenter: non illius modò causâ, sed & quod credam Amplitudinem vestram eum libenter cogniturum. Nam talem omnino sum expertus qualem prædico; nec dubito quin vel meâ causâ Amplitudo vestra ipsi ostendet, commendationem hanc nostram non nullius apud se esse momenti.

De aliis rebus nostris nihil hìc addo, quia cursor brevì iturus, & Denneterius, cum duplicata, mox eum secuturus est. Uterque fortasse has, ut spero, antevertet. Cura Reverende Præsul ut valeas & me ut facis ames. Madriti 29. Martii 1568. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLIII.

ARG. *De Geldriæ, Frisiæ & Hollandiæ Episcopis in possessionem mittendis. Abbatiam S. Petri Gandavensem, Jansenio, ejus loci Episcopo, commendari desiderat Rex Philippus*, ad tempus. *Antverpiæ, Brugarum, Episcopi designati. Card. Granvellani adventus exspectatus. Ab Hispaniarum Principe, & aliis nonnullis cum ipso sentientibus, Aulæ Hispanicæ metus.*

S. P. Reverende Præsul. Quoniam cras, volente Deo, proficiscitur Denneterius noster, qui literas meas & mandata plenissima adferet, nihil his aliud quam salutationes meas committam, & quædam alia quæ se offerent. Nam quæ ad plurimas epistolas Amplitudinis vestræ respondenda sunt, simul etiam literis Denneterii comprehenduntur.

Rem Episcopalem cum summa diligentia tractavimus coram Rege solo; qui etiam subægrotans in lecto nos audire voluit, & rem totam determinare. Ut Ruræmundensis Episcopus, Leovardiensis, Daventriensis & Groningensis, in possessionem mittantur, omnino constitutum est. De Gandavensi vestro placuit, ut, si qua fieri possit, Abbatia Sancti Petri ad tempus ei commendetur; & quæ de tribus Episcopatibus & Abbatiis Brabantiæ, illustrissimo Duci visa sunt, suæ Majestati quoque probantur, quæ primam partem secuta est; nisi fortè in eo, quod hîc fuit consideratum, aliquid inveniatis, quod possit esse usui.

Ad Episcopatum Antverpiensem nominatur primo loco Rithovius, Episcopus Iprensis: secundo, si is fortè nolit, Pastor Capellæ Bruxellensis. Ad Brugensem, primo Archidiaconus Pictaviæ, ut hac ratione cesset quæstio cum Buscoducensi: secundo, Præpositus Driutius, electus Leovardiensis; in cujus locum sufficitur Cunerus, Pastor Lovaniensis. Et si tam Iprensis, quàm Pictaviæ, Episcopatus oblatos acceptant: primus ad Iprensem Episcopatum nominatur Driutius, secundus Decanus Sanctæ Gudulæ Bruxellensis; quæ est summa totius rei Episcopalis, nisi fortè domino Duci secus videatur, quod arbitrio ipsius permittitur.

De omnibus his rebus ad illuſtriſſimum dominum Cardinalem perſcripſi, quem hac occaſione ad nos puto reverſurum. Accepi autem ab eo hoc die literas, decima Martii datas, quibus inter cætera putare ſe ait, cæterum certum non ſcire, Armenterium brevì huc venturum, ab illuſtriſſima domina Duciſſa legatum.

Negotium Amplitudinis veſtræ cum ſumma diligentia ut debui, tractavi cum Rege ipſo; cujus reſcriptiones ad literas meas Denneterius adferet. Scribit etiam ad Amplitudinem veſtram, ut puto, non malè, dicens quoque ad dominum Ducem eadem de re ſe ſcribere : nimirum, utrum commodum erit ut miſſio petita nunc concedatur, an verò adventus ſuæ Majeſtatis erit expectandus. Nam quod ſemper iturum ſe dixit, in eo omnino perſtat, & jam neſcio quis rumuſculus, tanquam levis quædam aura, ea de re increbreſcit. Quod autem ad dominum Ducem de re veſtra perſcribitur, id Rex ſuâ manu facturum ſe dixit.

Quem rerum criminalium exitum iſtic dederitis, omnino expectamus. Nam antequam nubes illa fuerit diſpulſa, nihil de ſerenitate ſperamus. Eâ re confectâ, mox & de profectione, & de gratia generali, & de Religione, & de Juſtitia, & denique de tota Republica ordinanda, certi aliquid conſtitutum iri ſperámus. Nec verò videmus aliud, quod profectionem nunc poſſit remorari, quàm unum illud magnum de Principe, & de nonnullorum animis, non optimè etiam hîc affectis. Adeo maximi quique Principes, dum ab aliis metuuntur, nec ipſi a metu ſunt liberi.

De re domini Prælati Villarienſis, quamdiu tractatus Abbatum Brabantiæ ſtetit, non vidi quo pacto rectè tractari poſſet; nunc autem quoniam alia ratio inſtituitur, retuli negotium ad ſuam Majeſtatem; quæ, ut deſiderio ejus ſatisfiat, ſatis videtur propenſa : quanquam, ne quid erretur, ſententiam domini Ducis intelligere voluit. Et certè ad priſtinam authoritatem Regis reſtituendam pertinere videtur, ſi is qui ſupradicto tractatui nomine Abbatum præfuit, ipſe ab eo primus recedat.

Magnum hic certamen eſt de re quadam ſalinaria, quæ ad vos mittitur : utrum hæredem ſequitur id, quod Rex in quinquennium ex ſalinis dedit, quod nonnullis videtur : an non, quod aliis. Ac maximè quidem propter clauſulam ſolitam revocationis, quæ rem precario quodammodo ſimilem facit, & quia propter conſequentiam adjectio quinquennii ad reſtringendam,

non ad ampliandam donationem, facta est. Quæstio est inter duos bonos viros & servitores suæ Majestatis; & quia cognati, & Burgundiones sunt, nec quidquam utrimque omittunt ad rem Burgundicé tractandam: non abs re erit ut quàm primùm definiatur, in utramcumque id sit partem.

Nec absimilis est concertatio de beneficiis quibusdam, ab Hanguarto olim possessis; quâ & ipsâ, per rescriptionem vestram ad literas Regias, spero vos propediem nos liberaturos.

Prolixior fui quam putaram; sed nullum mihi videor tempus collocare meliùs quàm quod literis ad Amplitudinem vestram scribendis impartior. Et sanè in omnibus istis malis nemo mihi dat alleviationem, quam una Amplitudo vestra suis amantissimis, & omni prudentia & amore plenis epistolis, quibus & Regia Majestas, si quando sic usus fert ut eas ipsi legam (quod non nisi valde præmeditatus facio) mirificè delectatur. Bene vale, Reverende Præsul, Madriti 20. Aprilis 1568. & det vobis Deus hoc Festum Paschale faustum atque felix. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Illud omiseram, quod ad vestram commendationem, cui mea nequaquam defuit, sua Majestas domino Tiletano nostro pensionem concessit, quadringentorum aureorum in singulos annos super Abbatia Sancti Petri Gandavensis.

Quid Professoribus Regiis Lovanii, ac potissimùm ei qui Decretum docet, imperetur, videbit Amplitudo vestra per literas Regias.

EPISTOLA XLIV.

ARG. *Viglius domum emit Bruxellis. Gandavensi Episcopo ex proventibus Abbatiæ S. Petri nova pecunia assignata, quo casu Abbatia illa ei commendari non possit: alia doctori Tiletano. Ab uxore Comitis Egmontii Libellus supplex Consilio Brabantiæ frustra datus. Professores Lovanienses Decreta Concilii Tridentini jussi exponere. Multi apud Hispanos erga Regem & Regis Ministros malè affecti. Res in Gallia pacatæ: atque hinc metus, ne turbulentus miles aliquid in vicinum Belgium audeat. Catalogus eorum, qui tum e*

Plebe, tum ex ordine Nobilium, a Frisia profugerunt, Hoppero missus. Sonnius Regis & Episcoporum caussam Romæ agens. Caussæ, ob quas nemo e Consilio Status, neque e Consilio Brabantiæ, rerum criminalium cognitioni ab Duce Albano adlectus est, Hoppero probatæ. Hujus suspicio, Regem Philippum, quamquam Hoppero omnia videatur tribuere, nonnulla tamen in rebus Belgicis ex Hispanorum aliquot sententia statuere. Comes Buranus, Principis Orangii filius adolescens, Burgis subsistere jussus.

S. P. Hactenus, Reverende Præsul, & quidem quaternis literis proximis, quas coquo meo, Capellano Ariæ Montano, & heri cursori ordinario dedi, summatim de rebus scripsi, prout quæque se offerebant : nunc autem, quia Denneterius noster proficiscitur, ad singulas literas Amplitudinis vestræ respondebo, quæ scriptæ sunt XXIV. Decembris, XIV. Januarii, III. IX. XVII. & XXIII. Februarii, & Calend. Martii, cum quibus allata sunt exempla aliarum XX. Novembris & VI. Januarii datarum : progrediarque eo ordine, quo sunt scriptæ & traditæ.

Ad eas quæ XX. Novembris datæ sunt, nihil nunc est quod dicam, quandoquidem progressus temporis ostendit quonam ea, quæ tum agebantur, pertinerent. Illud solum addam, perplacere mihi emptionem domus Bruxellanæ; quam felicem & faustam esse jubeo : nec tamen ob id minuemus id quod de missione vestra agimus; qua de re post latiùs.

Quæ sequentibus literis, ad XXIV. Decembris scriptis, continentur, & ipsa pleraque tecta sunt successu temporis, nisi quod de domini Cancellarii Geldriæ, optimi sanè ac amicissimi viri, morbo graviter doleo, sperans tamen meliora. Et quod ad domini Jansenii negotium, & Abbatiam Sancti Petri attinet, Rex optat, ut, si qua fieri possit, ea domino Jansenio ad tempus commendetur. Sin minùs, ut præter duo millia, alia insuper mille annua ex ea habeat; &, si illustrissimo Duci sic videatur, Abbas Affligimensis illic collocetur. Quod si nec illud, ut tertio loco Præpositus Monasterii Sancti Petri Abbas creetur, (de quo tamen ultimo ex causa nunc non scribitur) idque cum one-

re dictorum millium, nec non quadringentorum, quos, pensionis nomine, domino Tiletano nostro, Rex in omnem eventum assignavit; quem occasione vestrarum literarum, ut debui, egregiè commendavi. Et quia in informationibus Sancti Petri, Horstii nostri fiebat mentio, etiam illius virtutes apud suam Majestatem prædicavi, quæ perlibenter eas audivit.

De iis quæ VI. Januarii scriptæ sunt, nihil est quod dicam; nisi quod dominus Noircarmius certus esse potest, pergrata Regi esse illius egregiam fidem & operam; & fore, ut dignum factis præmium accipiat. Scribit ad me peramicè; nec omittam omnibus officiis ei respondere.

Quoniam de Amplitudinis vestræ desiderio, & epistola scripta ad Regem super ea re, agitur in literis datis XIV. Januarii, dicam quid in eo negotio factum sit. Jam antequam Amplitudinis vestræ literæ adferrentur, perscripseram ad suam Majestatem id, quod his adjunctum reperiet; ad quæ post dies fortè quindecim, præter morem, nam paratissimus semper est ad respondendum, Rex rescripsit, ut in margine est adnotatum. Quo facto, non ita multo post, data oportunitate, obtuli literas Amplitudinis vestræ, quæ planè cum meis dictis congruebant; quas continuò legebat, & perbenignè accipiebat, dicens, se id facturum, quod ad me scripserat. Qua de causa, cùm de præsentibus negotiis postea ad eum scriberem, simul etiam negotii vestri mentionem intuli, ut per aliarum extractum Amplitudo vestra videbit. Super quo itidem respondit, ut ad marginem habetur.

Post quæ, cum visum esset ut ad literas vestras responderetur, ita eas quoque concepi, ut commonefactionem ejus, quod primò rescripserat, continerent; quemadmodum Amplitudo vestra videbit. Adeo ut res valde bono loco mihi esse videatur: nec desinam omnibus viribus, quantùm quidem rectè queam, adniti, ut reliqua, cum tempus erit, perficiantur, & Amplitudo vestra (cui omnia debeo & volo) voti sui compos fiat.

Ventum est ad epistolam III. Februarii datam, ubi quoniam illustrissimæ dominæ Ducissæ fit mentio, jam scire vos puto, illam salvam sanam domum venisse; unde ad me de Stratemanno valde sollicitè scripsit: cujus hîc causam agunt aliquot Itali. Sed Rex Episcopatum Brugensem primùm Archidiacono Pictaviæ offerri voluit, ut hac ratione quæstio cum Buscoducensi ces-

ſet : qui ſi recuſet, nominatur Driutius noſter; in cujus locum Leovardiæ ſufficitur Cunerus, Paſtor Lovanienſis.

Miror quis Comitiſſæ Egmondenſi author fuerit, ut Conſilio Brabantiæ ſupplicaret; cui certè Dux, planè, uti oportet, reſpondit. Betſii caſum, amicorum causâ, præcipuè doleo. Ipſe quod nunc erupit, ſatis ſemper præ ſe tulit, & aliquot annis a me abſtinuit.

De ſtudiorum Vibrandi optimo progreſſu etiam atque etiam gaudeo, cum illius, tum Amplitudinis veſtræ potiſſimùm causâ: quam certum habeo, multò magis de præclariſſimorum ſtudiorum ſuorum, quàm bonorum egregio aliquo ſucceſſore laborare. Ac quo magis ultro currentem incitem, non omittam proximis meis literis eum collaudare, & ad majora exhortari.

Quod domina Duciſſa de Regis adventu deſperabat, cum non paucis hoc illi commune eſt. Perſtat tamen verbis ſua Majeſtas omnino ſe ituram, & mitto cum his extractum ejus, quod cum negotio Epiſcopatuum ad illam perſcribebamus, (dominus Tyſnacus & ego) & reſponſum ejus in margine; ut videat Amplitudo veſtra quo animo ſit dicta ſua Majeſtas. Cui accedit, quod abhinc biduum tenuis rumor de itione cœpit increbreſcere. Ego ad uxorem ſcribo Regem juſſiſſe, quemadmodum res eſt, ut Denneterius præcurrat, & de adventu meo cum ſua Majeſtate nuncium ei portet : & tum non omittat, quin, quaſi ſub Auguſtum huc profectura, ſe præparet. Si quid aliud accidet, in lucro putabitur; qua de re extremo Maio illam faciam certiorem.

Commentarios domini Janſenii, quorum in literis IX. Februarii datis, fit mentio, valde optarim videre; nec non Lindani noſtri Pſalmos, quos, quantum ex ipſius literis intelligo, jam in lucem prodiiſſe ſuſpicor. Cum quibus conjungi optarem Pſalmos ex verſione Caſtellionis; nam in eo ſtudio ſubinde nunc verſor.

Quid de Profeſſore Decretorum Regio ſua Majeſtas ſtatuerit, ex literis ipſius Amplitudo veſtra intelliget. Vult enim Gratiani eam partem legi, quæ ad Clericorum inſtituta vitamque & mores pertinet; nec non eam, quæ ad Sacramenta : judicialia autem ordinario Lectori relinqui. Omnibus autem, tam Theologis, quàm Canoniſtis, imperatur, ut, cùm res patitur, Canones & Decreta Concilii Tridentini unà exponantur. Ut hac ratione ſtatim ab initio juventus eorum cognitione imbuatur.

Quod

Quod literis ad XVII. Februarii ſcriptis tam ſollicitè agit Amplitudo veſtra, ecquid fortaſſe literæ omnes veſtræ huc perferantur, ingentes etiam atque etiam habeo gratias. Nam nihil eſt quod hîc omnino me recreet aliud, quàm ſummum illud Amplitudinis veſtræ beneficium, quod tam diligenter ſemper, ac de omnibus, ſcribat. Quod quidem cum ſummo mihi ſit ſolatio, tum plurimis optimis rebus me inſtruit, ad rem meliùs gerendam, & de prudentiſſimis conſiliis Amplitudinis veſtræ ad ſuam Majeſtatem referendum : cui omnia de vobis, tam quæ per me recenſentur, ſunt gratiſſima.

Quod commentandi otium gratulatur Amplitudo veſtra, me velim illud cum negotio iſtic in re præſenti commutatum : & jam adeſſe chariſſimam illam divinarum & humanarum rerum ſociam, quæ curis hiſce gaudia nonnunquam, nonnunquam etiam otio negotium intermiſceret : quod brevi Deum utrique noſtrum conceſſurum valde confido.

Quin vos plurimum perculerit nuntius de Principe noſtro, nihil equidem dubito; idque non illius modo cauſa, ſed & Reipublicæ, tam in præſenti, quàm in futurum. Nam nihil dubium eſt, quin (quemadmodum veriſſimè Amplitudo veſtra ſcribit) lupum Rex teneat; nam præter Judæos, Mahometanos, & hæreticos, quorum non exiguus per omnem Hiſpaniam putatur eſſe numerus, haud ſanè pauci ſunt, non optimè erga nonnullos Miniſtros Regios affecti; quos exteros eſſe aiunt, monachos & alios. Ex quibus Præſes Conſilii Regii, qui abhinc tribus annis ex ordine erat Aſſeſſorum, nunc Cardinalis eſt creatus : quem abſente Rege in Flandria rebus præfuturum aiunt.

De Tyſnaci profectione Rex in dies differt, quanquam cauſam ejus agat Dux Ferianus. Ego ſic ſentio: ſi Rex iturus eſt, (quod menſe Julio & Auguſto futurum confirmat mihi Prior Antonius Toletanus, ſororius Ducis) non dimiſſum ante iri Dominum Tyſnacum : ſi non eſt iturus, fore ut ad Autumnum uſque detineatur ; propterea quod rebus criminalibus peractis, Rex ad negotia pacis, & ad ordinandam Rempublicam animum adjecturus videtur; &, poſt rem Epiſcopalem, de Concilio, Inquiſitione, *Placatis*, item de Conſilio Statûs, Privato, Financiarum, Magno, & quibuſdam etiam Provincialibus, tractaturus : & præter hæc, de gratia generali, Gubernatoribus, remunerationibus, & his ſimilibus. Niſi fortè miles ille Gallicus, a quo multi malè metuunt, quietem noſtram perturbet,

maximè pace in Gallia nunc confectâ; quæ res magnum dolorem omnibus, maximè autem Reginæ noſtræ attulit. Ipſas autem leges Pacis nondum ſatis ſcimus.

De catalogo Nobilium, & aliorum profugorum e noſtra Friſi, magnas habeo gratias. Sed non parvum mœrorem attulit, nomina eorum ibi videre, quibus ob ſanguinis, affinitatis, civitatis, & Patriæ conjunctionem, quàm optimè conſultum velim. Valde expectamus quando tandem, & quis rebus illis finis imponetur.

Vergas autem ad uxorem perſcripſiſſe dicitur, fore, ut ante Paſcha omnia perficiantur: quod & ipſe priùs eram ſuſpicatus.

De ſollicitudine Amplitudinis veſtræ de Gregorio, quàm maximas habeo atque ago gratias. Et ſanè quicquid illi & fratribus, quibus & ipſis ſuo tempore conſultum velim, aliquando boni eveniat, id omne uni Amplitudini veſtræ acceptum feremus. Malum aggerum apud nos recruduiſſe ſanè doleo; & verò, ut nunc ſunt tempora, longè ſatius eſſet concordiæ quàm diſcordiæ ſtudere.

Quod Dominus Sonnius Reverendiſſimus Epiſcopus Buſcoducenſis iſthic agit, hîc jam, ut Amplitudo veſtra ex literis Regiis intelliget, determinatum eſt. Nam vult ſua Majeſtas ſecundùm primum medium, a Domino Duce propoſitum, ut Monaſteria Epiſcopatibus cedant: idque Dominus Dux eâ viâ, quâ dictum eſt, apud ſummum Pontificem ſollicitet, quem illuſtriſſimus Dominus Cardinalis vel ſuâ ſponte diſunionem rejecturum ait. Ac quia quidem media quædam via hîc eſt propoſita, permittit Rex ut, ſi Dux quid in ea inveniat quod placeret, eo utatur. Hac ratione omnino futurum puto, ut Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis ad nos cum ſummo honore ſuo revertatur.

De Villarienſis negotio retuli ad ſuam Majeſtatem; quæ admodum propenſa eſt in ejus favorem. Ne quid tamen peccetur, ſententia Domini Ducis exquiritur. Minùs autem peccari poſſe videtur, quia a tractatu cum Abbatibus Brabantiæ receditur. Et ad authoritatem Regis reſtabiliendam pertinet, ut id fiat ad petitionem illius qui ex Abbatibus tractatui potiſſimùm præfuit.

Quod convivio amicorum Amplitudo veſtra domi meæ interfuit, plurimùm gaudeo. Et verò vobis, his ſuperioribus diebus apud me, hodie autem apud Dominum Tiſnacum, hilariter adbibimus.

Reſtant literæ Calendis Martiis datæ, quibus, quod Amplitudo veſtra ignoſci petit, ſi quis aliquando curſor ſinè ſcitu ſuo

elabatur, equidem, ut ſupra dixi, non poſſum non ſummas agere atque habere gratias quod tantum laborem meâ causâ quotidiè ſuſcipit. Et probo ſanè conſiderationes cur ex Conſilio Status nemo ad cognitionem cauſarum criminalium ſit aſſumptus. Nec parvæ ſunt cauſæ quæ Ducem moverunt, quo minùs ex Conſilio Brabantiæ quemquam his rebus voluerit adhibere. Et ſuſpicor Cancellarii causâ fieri, quo minùs Dominus Aſſonvilius, qui mihi ſanè & diligentiſſimus & optimus catholicus videtur, ad Conſilium Status evocatur, & propter Dominum Aſſonvilium, Bruſſelium omitti. Sed brevì, ut ſpero, de omnibus, & quidem pro honore utriuſque (nam ita omnino merentur) ſtatuetur.

Quod Amplitudo veſtra prudentiſſimè monet, ut ſi quid mutandum ſit, id fiat cum ea qua convenit juſtificatione, mihi veriſſimum videtur: Sed quædam, tametſi nobis vocatis, & non aliis, ab Rege fiunt, ita tamen fiunt, ut mihi ſuſpicio ſit, aliunde etiam ſuggeri non nulla, quàm a vobis, aut nobis; atque id quidem, non hinc, ſed iſthinc.

De Daelhemenſi negotio tam diligenter procurato, ingentes habeo gratias.

Eſt hìc quoddam negotium Salinarium, & aliud Beneficiale, de quo quidem quum heri ſcriptum eſt a me latiùs, hìc omittitur. Nec plura dicam de Epiſcopis, quos in poſſeſſionem duci omnes Rex jubet; quia & de illis iiſdem literis eſt actum, & cognoſcetur ampliùs ex literis Regiis. Porro eſt Capellani Regii nepotis honeſtiſſimi viri negotium ad vos miſſum, Denneterio non incognitum; quod ut Amplitudini veſtræ commendarem plurimùm me rogavit: quod quatenus bonum & æquum patitur, nolui omittere.

Comes Buranus jam ab aliquot ſeptimanis hìc eſt, & in Burgos ad tempus ſubſiſtere juſſus eſt, donec aliud ab Rege mandetur.

Reſtat, Reverende Præſul ac patrone, ut Amplitudinem veſtram etiam atque etiam valere jubeam; Deumque rogem ut illam quam diutiſſimè nobis conſervare velit, & illum aliquando diem tribuat, quo coram ipſam ſalutare & compellare poſſimus. Madriti 21. Aprilis 1568. De Petri Oſtiarii negotio oblitus ſum ſcribere; ſed puto per proximum tabellarium rem confectam mittere. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLV.

ARG. *De captivo Hispaniarum Principe, meliora: illius tamen minimè probatum ingenium, & animus impotens. Principis Orangii caussam apud Philippum agit Imperator Germaniæ, minis etiam additis.*

S. P. Tametsi, Reverende Præsul, per Denneterium nostrum scripsi de omnibus, & post ejus abitum, qui fuit heri mane, nihil accidit dignum scriptione: quia tamen Dionysius meus, filius magistri Remberti cognati, ad vos proficiscitur, nolo eum vacuum venire. Quod Denneterius fortasse recensebit de Principis nostri rebus paulò melioribus, quotidiè confirmatur; nec desunt qui sperent brevì fore ut liberetur, vel certè laxiùs habeatur: quod posterius satis mihi fit verisimile. Prius autem non satis nec fortasse conveniret; est enim eo ingenio, meo quidem judicio, ut, secundùm Psalmistam, *Legislator super eum constitui debeat*, ut sciat *quia homo est.*

Fertur cursor nescio quis extraordinarius venisse; sed nihil adhuc accepimus, quod non mirum est; nam sæpè totos octo dies literæ nostræ servantur antequam reddantur. (*a*) Nec verò sollicitam habere debet Amplitudinem vestram quod nonnulli subinde cursores sine vestris literis veniant, quoniam multi vobis inscientibus proficiscuntur; alii diutulè hærent in itinere, qui tandem tamen veniunt; ita ut vix unam aut alteram epistolam Amplitudinis vestræ desiderari putem, quam non acceperim: prout ex superioribus literis meis cognoscere potest.

Rex nondum ex Monasterio suo rediit; sed hâc septimanâ putatur adfuturus, indeque profecturus in Arenxues, ubi hortos suos habet Hesperidum, & toto Maio cum Regina, & reliquo comitatu, mansurus fertur. Valde expectamus quem tandem exitum res criminales isthic habuerint; nam quæ hîc mussitantur, spero non esse vera, quanquam ferè esse solent verissima, quantum hactenus observavi. Imperator per Oratorem suum Regi exponi jussit querelam Augusti Ducis, de injuria quam Principi

(*a*) in margine habebatur: *Post intellexi e Gallia venisse cum pauculis literis nostratibus, nullis Ducis ad Regem.*

Orangiæ, Conſervatori Patriæ (ſic enim dicit) contra jus divinum & humanum, naturale, gentium & civile inferri ait, ſine ſcitu, ut putat, Regis : quem ſupplicat ut remedium ei rei adhibeat. Sin minùs, non poſſe ſe cauſam tam juſtam, & hominem tam conjunctum, indefenſum relinquere. Sua Majeſtas ſcripto ſibi exhiberi rem juſſit.

Eſt hîc Joannes Chriſtophorus Stella, qui primæ profectionis Regis ad nos itinerarium Hiſpanicè conſcripſit; homo doctus in primis. Is Amplitudinem veſtram quàm officioſiſſimè, & verbis quàm ampliſſimis, ſalutari jubet; ſcripturus ſi ſui memoriam apud Amplitudinem veſtram adhuc exſtare intellexerit. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone. Madriti 25. Aprilis 1568. Quid Aggæus noſter agat, aveo cognoſcere: nihil autem ad literas meas eum reſcribere demiror. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLVI.

ARG. *Denneterius, qui in Belgium, Burgis ſubſiſtit, ex morbo æger. Theonis-Villa ab Huguenottis & Germanis capta. Philippi-Villa obſeſſa.*

S. P. Binas veſtras literas accepi, Reverende Præſul, ad quas nunc non reſpondebo, quoniam ordinarius curſor noſter, poſt biduum aut triduum, ſequetur. Denneterium noſtrum Burgis ſubſtitiſſe ob morbum, in quem incidit, graviter doleo; & quidem multis de cauſis. Sarcinas tamen ipſius, & literas, ad vos jam perlatas eſſe ſpero. Mox enim ut ſe malè valere ſenſit, curſori Regio omnia tradidit, qua de re publicum inſtrumentum ad me miſit, ut fides fiat, ſi eſt opus. Miſi ad eum unum ex familia; & jam ſunt dies decem quod nihil accipio novi: ſuſpicor ad mare profectum, ut tranſmittat; nam ita ſe facturum ſignificaverat.

In magno hîc mœrore fuimus ob nova peſſima de Theonis-Villa, ab Hugenotis & Germanis capta, & Philippi-Villa obſeſſa, ut ferebatur. Sed quia quotidiè minuitur fama, nec quidquam ejuſmodi a vobis perſcribitur, ſperamus meliora proximis veſtris literis, quas avidè expectamus. De fine Rigori tan-

dem impoſito, intellecturos nos confidimus, ut ad meliora paulatim converti poſſimus. Ad Germanos ex ſententia veſtra ſcribitur, ut per proximum curſorem intelligetis. De adventu ſuo aut manſione, nullam apud eos mentionem fieri Rex voluit. Quid ſigni ſit, poſt literas veſtras allatas ſciemus.

Sua Majeſtas nudius-tertius ad hortos ſuos in Arenxues profecta eſt. Regina, & Principes Bohemiæ, cras ſequentur : ſi quid iſthinc adferatur, occaſionem arripiemus illuc excurrendi.

Graviſſimè ægrotat Sacellanus quidam nepotis, Canonicus Montenſis; cui aliquem ex veſtris in rotulo proximum eſſe credo; habet etiam Capellaniam Delphenſem non malam.

De Principis noſtri ſolutione, neſcio quid muſſitatur; ſed non puto quidquam futurum. Si quid erit, proximis literis de omnibus ad Amplitudinem veſtram perſcribam. Interim bene vale, Reverende Præſul ac patrone, cui uni, poſt Deum optimum maximum, me & meos omnes, etiam atque etiam commendo Madriti 12. Maii 1568. Quid Aggæo noſtro in mentem veniat, nequeo ſatis mirari. Scribam ad eum, & objurgabo acriter de inconſtantia. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XLVII.

ARG. *Mors Cancellarii Gelriæ. Quæ de executione Concilii Tridentini in Belgio ordinata ſunt, Regi grata. Denneterius, non abſoluto itinere, apud Hiſpanos redux; quod Hoppero ingratum. Optat hic, ut in negotio turbarum ab rigore ad clementiam ſe judices convertant. Jactata ab Duce Albano promiſſa in Hiſpaniam perſcribuntur* : ſperare ſe hac æſtate effecturum, eumque ordinem ſe rebus daturum, ut unâ virgulâ in poſterùm regi poſſint. *Viglii Conſilia Belgii Gubernatori acceptiſſima. Egmontia mariti ſui Apologiam in Hiſpaniam mittit. Comes Buranus, Compluti. Cætera varii & pleraque minoris argumenti.*

S. P. Quaternæ ſunt apud me literæ veſtræ, Reverende Præſul ad quas nunc reſpondeo : quæ XXIX. Martii. II. XXII. &

XXVIII. Aprilis datæ fuêre. Nam ad præcedentes omnes, quæ quidem ad manus meas pervenerunt, jam dudum respondi.

De optimi viri, Cancellarii Geldriæ, morte, graviter doleo; & si quam viduæ, lectissimæ feminæ, operam navare queam, sentiet me nihil studii & officii prætermissurum, quo illi prosim, & sanctissimis manibus mariti, quantum queam, exhibeam. Gravissimas injurias & contumelias passus est ab iis, a quibus minimè debuisset. Et haud scio, an nunc tempus esset rebus illius Provinciæ ordinandis, quas magna ex parte confudit is (scribo autem quæ vidi) ad quem maximè pertinet eas explicare. Sasboutius ut succederet, duobus modis conveniret; cùm propter patris gratissimam memoriam, tum propter propriam ipsius virtutem. Fortassis ex re etiam videbitur, ut Dinteni aliqua ratio habeatur.

Magistro Petro a Waelem, partim dominum Tysnacum, partim Magistrum Jacobum Boone successisse gaudeo. Ac quanquam quidem dominus Hindeveldius (quantum hîc audio) aliquam spem de se ipso conceperat, puto tamen avunculo non invidere.

Placet Regi factum de Concilii Tridentini executione, cui rem omnem ordine de Trajectensium querelis exposui, ut ex literis suæ Majestatis Amplitudo vestra latiùs intelliget.

De opera Gregorio meo navata, circa possessionis adeptionem, non possum non maximas Amplitudini vestræ agere & habere gratias; nec non ipsi Capitulo, cui persuasum esse poterit, me, quibuscumque rebus queam, omne illi officium & servitium exhibiturum: & item domino Cornelio Fullonio nostro, qui tam bene & diligenter rem procuravit.

Literas nostras non rectè reddi, vehementer doleo, & quidem multis de causis, maximè autem Amplitudinis vestræ, & uxoris charissimæ, ac liberorum, & familiæ. Nam ut verum dicam, vix est quidquam in rebus humanis quod me delectet, præter literas vestras, quibus solis me consolor, & solitudinem hanc lenio: additis subinde studiis, absque quibus non video quomodo hæc possem perpeti.

Omnino autem stat sententia, ut illa cum omni prole & familia, hùc veniat, qua de re certiora scribam, juvante Deo, primo mense Junio. Nam tametsi Rex dicat se iturum, nemo tamen potest credere; & jam literas quas Denneterius ferebat, puto ad vos perlatas. Ipse autem cum ad dies aliquot Burgis,

ob morbum, ſubſtitiſſet, & ſe jam refeciſſet, profectus eſt inde Loretum ad Mare. Unde ad nos continuò rediit, prætexens neſcio quid de mari a piratis infeſto, quod aliis riſum, qui mare vidiſſe illum & fugiſſe aiunt, mihi aliquo modo bilem & dolorem movit, ob res meas; & pudorem, ob res Regias malè geſtas.

Quis judiciorum exitus iſthic futurus ſit, maximè rebus tam turbulentis, valde expectamus. E re ſanè videretur, vel tandem ad ea quæ lenitatis ſunt & clementiæ, venire. Dixit mihi Cayas Secretarius, dominum Ducem ſcripſiſſe, ſperare ſe hac æſtate effecturum, eumque ordinem rebus daturum, ut unâ virgulâ in poſterum regi poſſint. Quod ita faxit Deus.

De Mansfeldii reditu etiam hîc audiveramus. Scripſitque huc quoque ad me domina Duciſſa de itineris & cæterarum rerum felici ſucceſſu; qua de re congratulatus illi ſum per literas, egique gratias, quod mei etiamnum meminerit.

Aggæum ſine ſcitu veſtro in Friſiam profectum demiror. Mirabor item anne in Germaniam rediens iſthac iter ſit facturus, & quod de vita privata cogitat. Non ſatis video, quomodo rebus ex voto noſtro ſuccedentibus, quod ſperamus, aut nos illi, aut ille nobis placere poſſit; niſi fortè alius jam factus eſt, ut eſt ingenio non omnino immobili : quanquam id mihi non perſuadeam.

Quæ de Secretariis noſtris & nominatim de Vanderano, optimo & amiciſſimo viro, jam aliquoties ad me Amplitudo veſtra perſcripſit, procuravi, ut debui, diligenter, non verbis modò ſed & ſcriptis. Nec aliud hactenus obſtat, quo minùs perficiatur quod volumus, quàm quod Rex totum hoc genus liberalitatis in profectionem ſuam ſemper diſtulit; & quod ſuo tempore, cum illorum, tum omnium qui bene meruerunt, diligentem rationem ſe habiturum dicit. Ac quanquam quidem jam ter in eandem ſententiam reſpondit, non omittam tamen, quin proximâ occaſione quartum idem officium faciam.

De Amplitudine veſtra nihil nunc dicam, quandoquidem ex ſuperioribus meis literis rem omnem cognovit. Illud addam dumtaxat, quod Cayas abhinc triduum ex literis domini Ducis, Hiſpanicè ad Regem ſcriptis, mihi retulit, ipſum, quicquid bene iſthic geſtum eſt ac geritur, unius Amplitudinis veſtræ optimis conſiliis acceptum ferre, Regemque eâ re mirificè delectari.

De rebus ad Ruremundam proſperè geſtis plurimùm hîc gaviſi

visi sumus; agoque gratias de schedulis, literis vestris adjunctis. Versamur autem in summa expectatione rerum Geldrensium, quas si Deus, uti oramus & speramus, fortunet, minùs erit in posterum metuendum, & aliquid melioris spei de profectione Regis concipiendum. Ea jam desperata esset, nisi Classis adhuc detineretur, & vestes Hallebardariorum, quæ abhinc propè annum confectæ sunt, adservarentur: quæ duo sola signa itionis habemus, mansionis autem, prope infinita; volo tamen credere Regi affirmanti se iturum.

Misit huc Comitissa Egmondana libellum accusationis contra maritum, & defensionem ipsius, cum multis munimentis. Fiscus non omnino quidem imperitè rem tractat; sed ad fundum certè non pervadit, nisi vehementer fallor. Comes Buranus Compluti degere jussus est, quinque abhinc miliaribus, ubi est in studiis; datique Præceptores Hispani.

Rex in hortis suis est in Arenxues, sed brevì reversurus. Dominus Joannes ab Austria, ad mare, cui præfectus est, abiit. Princeps adhuc solito more detinetur. Multi non impotentes mussitant & fremunt: id tamen quod fit, in rem ipsius est & Regni; sed non eorum, quantum metuo, quibus malè vult. Regina prægnans dicitur; sed certum non scitur.

Est istic artus, vir bonus, qui, ut cursui publico in itinere deserviret, profectus est hinc cum domino Duce (est enim primus de familia Præfecti cursus publici.) Is Amplitudini vestræ uti ipsum commendarem, per literas ad Denneterium plurimum rogavit: quod sanè feci perlibenter; est enim dignus qui ametur, & cui cùm ita usus erit ab Amplitudine vestra bene fiat.

Jucundissimum ac gratissimum esset, si quam rationem invenire possetis ad libros novos, si qui subinde adferuntur aut excuduntur, transmittendos. Et quidem si tam magnæ fortasse sint sarcinæ, ut cursori dari non possint; expeditissimum esset, meo judicio, ad Tzommonem mittere, qui quotidie nautas habet ad manum, qui Loretum usque perferant, ad institorem Fuckerorum; ubi cùm sunt, in tuto sunt, & facilè huc perveniunt.

Omnino si uxori huc veniendum est, nolim, eos de familia, qui per mare ibunt (nam id necessarium erit, etiamsi uxor terra proficiscatur) vacuos venire. Et cùm tempus erit, habebo Amplitudinem vestram rogatam ut uxori proficiscenti in totum, hoc est usque ad finem mensis Junii satisfieri possit; qua de re ad ipsum dominum Ducem aliquid etiam scribam, cui velim Am-

plitudinem veſtram ſuo tempore me facere commendatum, quod vel ſuâ ſponte ipſam facere non dubito.

Scribit ad me dominus de Chantonay ſæpiuſculè, hoc eſt, omni occaſione, velitque in bonis Brederodianis ſui haberi rationem. Quod ſanè æquiſſimum videtur, &, quantum in me erit, uti ita fiat, adlaborabo. Nec dubito quin Amplitudo veſtra omnem ipſi operam, quamcumque rectè poterit, impartiet.

Proficiſcenti uxori, ut nepotes ſuos Amplitudo veſtra adjungat omnino ſuadeo. Habeo enim rationes multas ac commodas quibus eorum curam (uti debeo) geram, ſive Salmanticam eos mittere placeat, ubi eſt Mathias Gaſtius bibliopola, vir bonus, dives & induſtrius, Antverpienſis, qui quotidie huc commeat, & ad me ſcribit: ſive Complutum, quod in proximo nobis eſt, ubi pleroſque omnes doctiſſimos habeo mihi addictos. Compluti Theologia, Canones & Philoſophia, bonæque literæ florent: Salmanticæ Leges, & Artes Mathematicæ; & eſt princeps omnium Univerſitatum Hiſpaniæ. Lingua per totam Caſtellam ab uno mari ad aliud planè eadem, quod vix alii genti, quàm huic, puto contingere.

Scripſerunt ad me uxor, Van Loo, & gener, de procuratorio, cum derogatione conſuetudinis Curiæ Feudalis Geldriæ. Ex conſilio Amplitudinis veſtræ ita conceptum eſt, & puto per hunc curſorem, vel certè proximum, me miſſurum. Sed nolim ipſos eo uti, niſi cum Amplitudini veſtræ videbitur non aliud ſupereſſe remedium, & poſſe fieri ſine offenſione Parium Curiæ, quibus certè quam minimam occaſionem querelæ mea cauſa dari velim: quam rem uni prudentiæ Amplitudinis veſtræ, cui omnia debeo, committo.

Cura, Reverende Præſul ac Patrone, ut valeas, & te in adventum noſtrum quem tantopere ſperamus, incolumem conſerves. Quod ut ita fiat, Deum optimum maximum etiam atque etiam oro Madriti 25. Maii 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Vidua Doctoris Reyneri, piæ memoriæ, optima ac ſanctiſſima matrona, ingenti prole gravatur. Si qua eſſet ratio, qua filium unum aut alterum, quos habet, in rotulo collocandos curare poſſemus, non bonum modò, ſed & pium eſſet opus. Quare vehementer rogo & obſecro Amplitudinem veſtram, ut, an id fieri poſſit, diſpicere, & ad me perſcribere dignetur.

Valde admiratus ſum Magiſtri Jacobi Endii, & duorum Pen-

ſionariorum Mechlinienſium comprehenſionem. Sed bene habet, quod ſcribit Amplitudo veſtra, res Endii in melius procedere.

Scripſit ad me ex Duaco Vibrandus noſter, cupiens Amplitudini veſtræ commendari, ut ad res meliores paulatim proveniat, quod ſanè non cenſui denegandum; planè enim dignus videtur cui bene fiat.

EPISTOLA XLVIII.

ARG. *Litteræ Eccleſiarum Trajectenſium. Friſia a Ludovico Naſſavio occupata.*

S. P. Tametſi, Reverende Præſul, nudius-tertius de omnibus rebus ſcripſi quàm potui diligenter; quia tamen curſor nondum abiit, & interea litera una aut altera extra ordinem ad me venit, nolui omittere quin earum occaſione has perſcriberem; quippe qui nihil charius habeam, quàm cum Amplitudine veſtra, cùm coram non licet, ſaltem per literas agere.

Quantum res noſtras iſthic ire video, non omnino tranquillam habituri videmur æſtatem. Quæ res me movit, ut ad uxorem ſcripſerim; ut, ſi quid novi faciendum ſit, id non niſi de Amplitudinis veſtræ conſilio faciat, in qua una in omnibus meis negotiis acquieſco. Ac quanquam mihi ſcribat rem omnem Daelhemenſem peractam eſſe, cenſui tamen mittendum procuratorium, nec non derogationem conſuetudinis Curiæ Feudalis Geldriæ hac in parte, ut, ſi qua opus ſit, & ita Amplitudini veſtræ videatur, uti poſſit. Miſit ad me Pighius noſter *Themin* ſuam; qua de re agam illi gratias proximis literis. Interim velim per Capellanum, aut alium de familia Amplitudinis veſtræ, illi ſignificari, non negligentia, ſed ob negotia rem differri.

Cura, Reverende Præſul, optime patrone, ut valeas, teque nobis in adventum noſtrum, ut ſperamus, conſerves. Madriti 27. Maii 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Illud omiſeram, hodie perlatas ad me eſſe literas quinque Eccleſiarum Trajectenſium, VI. Aprilis Trajecti ſcriptas; quibus negotii ſui, quod cum Archiepiſcopo habent, determinationem petunt. Non potui reſcribere ob brevitatem temporis; nec ſcio

an vobis isthic videbitur aliud hoc tempore faciendum esse, quàm jam factum esse proximis superioribus literis est perscriptum. Omnino in me nulla est mora, nec erit. Nam quod ante nihil factum est, partim per turbas, partim silentio ipsarum partium factum est. Post superiora scripta, hoc momento, accipio literas Amplitudinis vestræ, VII. hujus mensis datas, quæ, quia vestræ sunt, maximam mihi voluptatem attulerunt, agens ingentes porro gratias de summa diligentia. Contrà, non possum non graviter dolere nostrorum hominum, qui condemnati sunt, casum, vel pervicaciam potiùs, quod eo se ipsi deduxerint, ut ad ejusmodi remedia adversum eos fuerit veniendum. Nescio quibus fretus, Ludovicus Comes patriam nostram invadat; & omnium maximè miror, quod Doctorem Tzalingum ad eum se adjunxisse intelligo. Deus det ut digna meritis præmia ferant; & placet mihi mirificè, quod omnes, quicumque isthinc scribunt, bono animo esse video.

EPISTOLA XLIX.

ARG. *Hopperus rerum adversarum tædium literarum solatio levat. Card. Granvellanus regni Neapolitani Prorex. Ariæ Montani mores, ut ut Hispani, Belgis placituri.*

S. P. Scripsi his diebus, Reverende Præsul, per cursorem ordinarium. Qui has perfert, famulus est Graphiarii *du Bureau*, cujus adventum ad vos puto me pluribus literis præventurum. Itaque nihil nunc dicam aliud, quàm nos Dei gratiâ rectè valere, nisi quod Denneterius nondum satis convaluit.

Venit huc abhinc diebus paucis Hesselius, graviter ægrotans. Suscepi eum in domum meam; curo ut meum, adhibui Medicum; incipit valere rectiùs; ita ut hodie ad Rem Sacram prodierit. Ubi convaluerit, videbo quid de illo, & rebus ipsius, possit statui. Conqueritur enim pecuniam se non habere, nec invenire rationem, qua, sine sumptu patris, hic possit vivere.

Rex ex Arenxues nondum rediit; sed expectamus eum in dies. Tum, ut spero, rescibo, quid de profectione futurum sit, aut non sit; quamquam apud me desperata jam nunc est. Omnium rerum Amplitudinem vestram faciam certiorem.

Dici non poteſt quantum me tædium capiat hujus ſolitudinis, ab uxore, liberis, & Amplitudine veſtra. Poſt Deum, ſolis ſtudiis eam, quantum poſſum, lenio.

Dies ſunt duo, quod illuſtriſſimo domino Cardinali Granvellano de Neapolitana conditione ſum gratulatus. Non dubito quin jam vos omnem rem audieritis.

Hâc horâ audio dominum Ariam Montanum ad vos veniſſe ſalvum. Credo mores hominis, pro Hiſpano, ſatis placituros. Cura, Reverende Præſul, ut valeas, & me, ut facis, ames. Raptim Madriti 8. Junii 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA L.

ARG. *Luctus in ipſa Hiſpania ob ſupplicium de Comitibus Egmontio & Hornenſi ſumptum. Propenſior inde ad gratiam generalem concedendam Dux Albanus. Veretur Hopperus, ne & ipſe de duobus illuſtribus Belgis, in Hiſpania detentis, triſtiora nuncianda habeat.*

S. P. Reverende Præſul, quinas veſtras accepi literas, XXI. XXVI. & ultima Maii, item V. Junii ſcriptas; quæ omnes triſtium eventuum ſunt plenæ : & quidem uſque adeo, ut, quæ de domino Egmondano, piæ memoriæ, & Hornenſi huc allata ſunt, etiam hos homines ad lachrymas commoverint. Mihi certè trium ferè noctium, & amplius, ſomnum ademerunt, ac perturbaverunt.

Rex remittens ad nos literas, ſcribit, pergrave ſibi accidiſſe quod ad hæc remedia fuerit veniendum, ac maximè quidem ſuo tempore; ſed non poſſe quem deeſſe ſuo officio : gaudere autem, quod Catholici mortui ſunt. De domino Arenbergenſi multis & ampliſſimis verbis teſtatur, quantum in eo perdiderit, qua de re partim ipſe ad viduam ſcribit, partim per me ſcribi jubet; propterea quod literas ejus ipſi ego miſeram.

Multum lucis nobis attulere literæ domini Mepſchii, quibus ordine quid actum ſit, memoratur. Nec dubito quin proximè certiora per vos perſcribentur. Atque utinam verò finis malorum (quemadmodum bene precatur Amplitudo veſtra) in hoc ſubſiſtat.

Ubi primum ſua Majeſtas ex Monaſterio ſuo redierit, referam de privato negotio Amplitudinis veſtræ, nec non de vidua domini Cancellarii Geldriæ, cujus rem ut meam agam.

De uxore chariſſima, & liberis, quos mecum omnino eſſe opto, proximis literis omnia, volente Deo, perſcribam. Nam totus in hoc ſum ut id negotium abſolvam.

Gratiam generalem nunc dominus Dux ſuadere videtur, brevìque prolixiùs ea de re ſcripturum ſe pollicetur. Quo pendente tempore non deſino ipſe quoque facere officium, & quædam, quæ videntur neceſſaria, diligenter urgere. Et quid de Eccleſia Trajectenſi hìc actum ſit, jam ſuperioribus literis perſcripſi.

Nepotibus veſtris quos Salmanticam Amplitudo veſtra mittere ſtatuit, omnem operam, quam potero, libentiſſimè præſtabo. In quam ſententiam ad viduam domini Dekama quoque ſcribo, quæ hoc per literas me rogavit.

Schedulas, quibus proſcriptorum nomina continentur, & qui capite truncati ſunt, cum literis accepi. Vereor autem ne & nobis brevi cauſa detur, de duobus, qui hìc detinentur, quædam triſtiora nunciandi. Quanquam ſemper ſperanda meliora.

Brevior ſum, partim quia nihil hìc eſt ſcriptione dignum; partim quia, ſi quid eſt, in proximum curſum ordinarium reſervo. Tum autem dominus de Selles, frater domini Noircarmii, qui has perfert, cuncta commemorabit; certuſque eſſe poterit ipſe dominus Noircarmius, ſi quid ego illius cauſa potero, nihil me unquam prætermiſſurum.

Cura, Reverende Præſul, ut valeas, certumque habeas, me rem Amplitudinis veſtræ omni curâ & diligentiâ procuraturum. Madriti 27. Junii 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

De domini Lindani negotio, quia aliter, quam putaveramus cenſuerunt Financiarii, non id potui quod volui, ſed inclinante Rege ipſo in favorem ipſius, tantum effectum eſt, ut omnibus emptoribus pater domini Lindani præferri debeat, ut ex literis Amplitudo veſtra cognoſcet. Et quanquam ſcriptum non eſt, addebat ſua Majeſtas etiam de prætio velle aliquid remitti.

EPISTOLA LI.

HRG. *Giraldus Despes legatus in Angliam. Rumor de Florida a Gallis occupata, & Hispanis omnibus deletis, jure talionis. Magnum inde impedimentum futurum Indicæ navigationi.*

S. P. Dies sunt tres, Reverende Præsul, quod ad Amplitudinem vestram scripserim per Dominum de Selles, fratrem Domini Noircarmii. Nunc tametsi nihil posteà successerit dignum scriptione (nondum enim Rex ex agro rediit) censui tamen rursum scribendum. Quia is, qui has defert, vehementer id postulabat. Est autem Dominus Giraldus Despes, qui legatus proficiscitur in Angliam, homo doctus, & nominis vestri perstudiosus. Et quantùm ego existimo, placebit viri modestia.

Quid isthic rerum agatur, quid Princeps Auraicensis, quid frater ejus Ludovicus, moliantur; quomodo illustrissimus Dux illis obsistat; quibus viribus obviam eatur; avide expectamus.

Quæ huc nova allata sunt, de Florida a Gallis occupata, & Hispanis omnibus, jure talionis, ad internicionem deletis, jam puto ad vos quoque pervenisse. Sed multa proferuntur argumenta, cur non videatur credendum: quod ita faxit Deus. Nam magnum impedimentum Indicæ navigationi ea res adferret.

De profectione Regis jam puto vos tantum sperare hoc anno, quantùm nos; hoc est, nihil. Pluscula tamen ea de re, & quibusdam eo pertinentibus, perscribam proximis literis, ac maximè, quod ad uxoris & liberorum ad nos adventum pertinet: agens interim gratias Amplitudini vestræ, quod eam consolatur, omnibusque rebus juvat, ut minutatim ad me, & sæpe, ipsa uxor perscribit. Quàm primùm Rex advenerit non omittam quin Amplitudinis vestræ negotium, quanta possum diligentia, agam; ad hoc enim omnibus modis me sentio obligatum.

Cura, Reverende Præsul, ut valeas, & te Reipublicæ ac nobis conserves. Madriti pridie Calendas Julias 1568. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LII.

Arg. *Mors Caroli, Hispaniarum Principis. De morbo, nihil aut parùm auditum.*

S. P. Literas vestras, Reverende Præsul, ad XXI. Junii datas accepi, ad quas nunc non respondebo, quoniam brevì cursor ad vos ibit ordinarius, hæ autem propè in incertum dantur. Nam tametsi certò quidem cursorem proficisci hoc die putamus, omnes tamen Secretarii negant. Causa autem cur profecturum existimemus, est mors Principis nostri, qui hac nocte, sub horam primam, diem suum obiit; cujus anima requiescat in pace. De morbo, nihil, certè per parùm auditum; nisi abhinc tribus aut quatuor diebus. Piè & Sanctè mortuum ferunt. Reliqua, quæ vulgus fert, missa facio; nequaquam enim sunt vera. Hoc vespere ad sepulturam imus; reliqua funeralia post aliquot septimanas peragentur. Interim certiora perscribemus de omnibus, nec omittam quin quid in causa propria per me actum erit Amplitudo vestra intelligat; nihil enim prætermitto quod quidem in me sit.

De Nepotibus, qui Salmanticam veniunt, omnia, quantùm possum, procuro; & de rebus meis latè perscribam cuncta proximis literis. Nunc enim hic luctus & agendi & scribendi facultatem nobis adimit. Quid isthinc adferetur anxii admodùm expectamus. dubiique inter spem & metum hæremus. Bene vale, Reverende Patrone. Raptim 24. Julii 1568. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA LIII.

Arg. *Geldriæ Cancellarii uxori viduæ Pensio ab Rege decreta.*

S. P. Tres sunt dies, Reverende Præsul, quod ad Amplitudinem vestram de morte Principis nostri, piæ memoriæ, scripserim, nec non aliis quibusdam de rebus; reliqua reservans ad

cursum ordinarium, quem pauculis aliquot diebus luctus peractis, ut puto, expediemus; ac maximè quidem si interim aliquid a vobis boni (ut spero) adferatur. Interim ut viduas quantùm possimus juvemus, addidi his literas Regis ad Ducem, de postulatis viduæ Domini Cancellarii Geldriæ, quæ non ad hoc pertinent, ut difficultatem vobis moveant, sed quanam ratione maximè censeatis ei gratificandum : per formam pensionisne, an paratæ pecuniæ; addito paucis verbis elogio de servitiis defuncti, quæ sibi grata fuisse Rex significat. Nisi tam parùm illa petivisset, ego quadringenta aut etiam sexcenta annua illi sperassem impetrare. Et si parata pecunia danda est, non minùs quàm tria millia dari posse suæ Majestati diximus; cum quo si vos consentiatis, habebit unde quadringenta annua ad vitam comparet.

Ad Dominum Morillonium nostrum non omittam qnin proximis literis scribam; ac, quia superiorem epistolam per eundem cursorem ire existimo, non repetam quæ ibi dicta sunt. Bene vale, Reverende Præsul. Raptim Madriti 29. Julii 1568. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA LIV.

Arg. *Viglii nepotes Salmanticæ. Noircarmius Regis Ærario in Belgio Præfectus.*

S. P. Scripsi, Reverende Præsul, abhinc triduum, & item triduo ante; nam nullum me sciente patior hinc abire, cui non aliquid dem litterarum, sive sit quod scribam, sive non sit. Nudius tertius accepi literas a Magistro Buchone, quas e Burgis mihi adferebat adolescens quidam Yprensis, qui cum eo venît Parisiis. Omnes salvi sani sunt, tum quidem nepotes Amplitudinis Vestræ, tum vero Dekamani fratres, & Ensius. Non contentus scribere ad Gastium, misi Lambertum meum Salmanticam, ut in collocanda familia juvet eos quibuscumque rebus poterit, & mihi particulatim renunciet quo pacto cuncta se habeant, quo certiora possim ad Amplitudinem Vestram perscribere, & majorem eorum curam habere. Porro ne quid illis desit, curæ habebo; & ex iis quæ proxime scribam poterit dispi-

cere Amplitudo Veſtra quantum in ſingulos annos cuique velit aſſignare.

Nos in medio adhuc luctu de Principis morte verſamur, & ideo nihil, aut certe perparum agimus. Non poſſum non tamen gratificari domino Noircarmio de Capitis Financiarum dignitate, quàm etiam atque etiam felicem illi eſſe jubeo.

Pleraſque res omnes, & inter eas meam, differt ſua Majeſtas in proximum curſorem, quem avidiſſimè expectamus; nam annus videtur, in tanto rerum omnium tumultu ac trepidatione, quod nihil a vobis acceperimus. Proximis diebus ſpero, Deo adjuvante, pleniſſimè de rebus meis & aliis perſcribere; ac potiſſimum quidem de proprio negotio Amplitudinis Veſtræ. Interim vale, Reverende Præſul, & te reipublicæ nobiſque conſerva. Madritì 30. Julii 1568. Reverendæ Amplitudinis Veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LV.

ARG. *Caroli Principis exſequiæ mediocri pompâ celebratæ. Hiſpani Militis victoria in agro Embdenſi. Nubes a Principe Orangio & conſcripto in Germania milite, Hollandiæ impendens. Regis præſentia, & mitior agendi ratio, turbas omnes, Hopperi judicio, in Belgio præventura. Viglius Vicarium ſibi dari poſtulat in Conſilio Privato. Rex de mittendo in Belgium Hoppero deliberat.*

S. P. Ego, Reverende Præſul, ad omnes literas veſtras etiam Buſcoducis VI. Julii datas, jam dudum reſpondi. Itaque brevior ero, non mea voluntate, ſed argumenti inopia.

De Principis noſtri morte, quæ XXIV. Julii contigit, jam bis perſcripſi. Celebratæ ſunt exequiæ poſtridie Sancti Laurentii, pompa mediocri, quibus omnia Conſilia interfuere, & cum his nos quoque. Mœſtitiam ea ex re conceptam plurimum leniit inſignis illa victoria, quam in agro Emdenſi Deus nobis conceſſit. Atque utinam res ita ferret, ut Emdenſis pro tot in nos malefactis, quæ annis pluſquam quadraginta pertulimus, aliquas

pœnas ferret. Sed id credo a Germanis & Principe Auraicensi impendens nubes non patitur; qua discussa, spero, Deo adjuvante, fore ut tota rerum facies mutetur, & ad gratiam & clementiam omnia convertantur. Qua si ante multos menses usi fuissemus, & suam nobis præsentiam sua Majestas præstitisset, nunquam in has turbas, meo quidem judicio incidissemus. Nec ante finis erit malorum, quantum ego sentio, quàm utrumque fiat; ut sæpe regi dixi, tam coram, quàm per literas. Nam in omnibus istis adversitatibus nihil me magis recreat ac sustentat, quàm sana conscientia. Quippe qui conscius mihi sum, & testem habeo locupletissimum ipsum regem, nihil omisisse me officii aut studii, quod ad optima quæque (maxime autem ex literis Amplitudinis Vestræ) suæ Majestati suggerenda pertinere possit. Vos si tantum isthic efficere possitis, ut illustrissimus Dux aliquam partem boni & æqui dicat super gratia generali, hic, ut spero, non multum laborabitur. Nam in hoc plerique nunc inclinant, & fortasse (quod planè inter nos sit) aliquam dabit occasionem ut nos inter nos videamus.

Res Galliæ iterum turbulentæ sunt, ita ut cursoribus amplius iter non pateat, sed per mare omnia mittantur. Non video finem illum malorum, nisi Deus ex insperato nos respiciat.

De nepotum adventu scripsi superioribus literis; ad quos continuo Lambertum misi cum literis ad Mathiam Gast; qui omnia liberaliter promittit, dummodo faciant imperata, & se moribus regionis & scholæ accommodent : quod se facturos receperunt. Dum Lambertus Salmanticæ est, venit huc Magister Bucho, ut de omnibus me consuleret. Detinui eum donec exequiæ transactæ essent; ac quoniam pecuniam sibi ac suis deesse conquerebatur, nec quidquam ab Amplitudine Vestra adhuc argenti esse transcriptum; & opus sit, ut, pro more scholæ & vestes habeant & libros, & omni genere suppellectilis se instruant, ut latius referebat Lambertus, & Gastius perscripserat: procuravi mutuum illi dari, mea fide a Daniele, cive quodam Bruxellensi, ad Carolinos sexcentos; quos omnes quotquot Salmanticæ sunt nepotes Amplitudinis Vestræ, nec non Dekamani, & Ensius, inter se partientur. Dedit eo nomine syngrapham suam magister Bucho, ut Amplitudo Vestra pecuniam isthic refundat.

De postulatione Amplitudinis Vestræ, ut Vicarium in consilio secreto habeat, scripsi ad Regem prolixè; nec non de uxore

accerſenda, qua de re prius eum bis interpellaveram. Nondum reſpondit; ſed retulit mihi dominus Antonius, de utroque Regem ſecum, & cum nonnullis aliis intimis, illic egiſſe, brevique aliquid boni reſponſurum. Suſpicor velle curſorem hunc abire, antequam reſpondeat. Agitur autem (quod Amplitudini Veſtræ confidens dico, nam ne hic quidem quiſquam ſcit id tractari) utrum accerſendæ uxoris cauſa, cum gratia generali & quibuſdam mandatis ad Status humanitatis & lenitatis plenis, ſua Majeſtas me ſit legatura; quæ deliberatio Regis obſtitit, quominus abhinc aliquot fere menſibus decreverit de uxoris adventu. Cui accedit, quod nondum vult fateri ſe non iturum, nec id ſuſpicandi occaſionem præberi.

Audimus (quod utinam falſum ſit) Nicolaum Amplitudinis Veſtræ, cum Bergenſi Comite eſſe, & his turbis ſe immiſcere; ſic ut nunquam ad Vos videatur reverſurus. Quod ſi verum eſt, & alius officium ejus, quod de cuſtodia Palatii Mechliniæ habet, eſſet impetraturus (non vero aliter) velim Amplitudinem Veſtram etiam atque etiam rogatam, ut in Lambertum meum id conferri poſſit; cujus fidem, diligentiam ac probitatem, Amplitudo Veſtra jam dudum habet perſpectam. Cui accedit, quod cum Poſtiarius illic ſit ordinarius commodiſſime, cadent ab omni parte ſi id munuſculum ei mandaretur.

De Mepſchii noſtri literis, & damnis, jam ſemel atque iterum retuli; nec dubito quin ſua Majeſtas diligenter ipſius rationem ſit habitura. Uxorem uti nonnunqnam reſpicere, & quemadmodum hactenus fecit, ſolari Ampliſſimo veſtra velit, vehementer etiam atque etiam rogo. Cura, Reverende Præſul ac Patrone, ut valeas, & me, ut facis ama. Noſtrorum nobilium, qui partim proſcripti, partim damnati ſunt, valde me miſeret. Suſpicor autem pleroſque omnes in clade Emdenſi periiſſe. Iterum vale. Madriti 17. Auguſti 1568. Reverendæ Amplitudinis Veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Illud omiſeram, quod de Daelhemenſi novo negotio magnæ ſunt agendæ gratiæ Amplitudini Veſtræ, ob ſuſpenſionem ad ſupplicationem uxoris conceſſam. Super qua re jam nunc actum fuiſſet cum Rege, niſi mors Principis, piæ memoriæ, interveniſſet. Qua re factum eſt, ut toto menſe concluſa fuerit ſua Majeſtas, ſic ut nihil agi cum illa potuerit. Et abſolutis jam diebus luctus, profecta continuo eſt rus. Ac quanquam quidem ante diem ſuſpenſionis peractum, ſperem me miſſurum

aliquid : tamen si quid intercederet moræ, velim, ob causam supradictam, & quia itinera gallica nunc obsessa sunt, novam concedi prorogationem duorum mensium, ne absentia hæc nostra apud principem nobis sit damnosa.

Quoniam brevi aliquem de meis istuc sum missurus, Ecclesiis Trajectensibus tum etiam respondebo. Nam jam ter de negotio eorum retuli ad suam Majestatem ; sed distulit semper resolutionem, maximè primis diebus, ob id quod profecturam se diceret : quod ipsos bona aliqua occasione ab Amplitudine Vestra intelligere velim.

Ad dominam Arenbergensem abhinc aliquot diebus scripsi. Non omittam pro ea conari quantum queam.

EPISTOLA LVI.

ARG. *Rex Hopperi operâ carere se non patitur, atque adeo eum in Hispania retinet. Cætera domestici & minoris argumenti.*

S. P. Quinas vestras literas, Reverende Præsul, ad XXIV. & XXVI. Julii, nec non ad II. V. & IX. Augusti scriptas, accepi, ad quas per cursorem, quem paramus, & fabrum meum, quem pro uxore accersenda mitto, respondebo. Has autem furtim scribo per cursorem, qui nullas privatas literas ferre potest, nisi unas nostras unius folii, quod inter Amplitudinem Vestram & uxorem sum partitus. De publicis negotiis nihil habeo amplius, quàm quod avidissimè literas vestras, & cum summa sollicitudine nova expectamus, Quemnam exitum impetus ille Germanicus sit habiturus, vel jam habeat. Oro autem Deum ut felix sit & faustus ac salutaris. Nam summa rerum inde omnino pendere videtur.

De privatis rebus post diutinam deliberationem, resolvit tandem sua Majestas Deo adjuvante quid ne facere velit. Etenim cum abhinc aliquot diebus Toletum excurrissem (nam Rex aberat & adhuc abest in suo monasterio) urbis visendi gratia, & maximè ut Missam sancti Isidori, quæ ibi magno ritu, diversissimo a communi, celebratur, viderem : inde venissem in Arenxues, ubi luculenti illi horti sunt regii, ubi ex constituto do-

minum Tysnacum cum familia repperi : allatæ sunt ad me Regis literæ, quibus ad meas respondet. Quorum summa est, quoniam ob gravissimas causas, mihi non incognitas, in Flandriam ire non potuerat, & jam anni tempus ob instantem hyemem non pateretur, ut hoc anno iret; & dum hic est, non potest carere præsentia meæ personæ, ob negocia quæ occurrunt quotidie : rectè me facturum, si uxorem huc evocem, ut adsit ante hyemem & tempestates brumales. Quod secutus, scripsi ea de re ad uxorem; ut, si qua rectè possit, quàm primùm veniat : venturumque fabrum meum illi obviam, ut res cunctas dirigat. Nam itineris navalis satis peritus est; & simul volui Amplitudinem Vestram ejus etiam certiorem reddere, ut, quemadmodum semper fecit, ita & nunc omnibus rebus eam juvare, & pro patre ei esse velit, tam in solutione impetranda (nam opus erit magna pecunia, tametsi Rex duo vel tria millia in eam rem daturus videtur) quàm in directione, hoc est deliberatione, quodnam iter, terrestre an navale, ingredi debeat; & quando, hoc est isto autumno, an proximo Februario aut Martio: cum aliis eodem pertinentibus. Addendo porro illi bonum animum, & dando bonum ducem itineris, qui rerum sit peritus & expertus.

Suspicor quidem non esse sine mysterio, quod Rex resolutionem hanc suam, quam sumpserat antequam proximus cursor abiret, tamdiu mihi significare distulerit : sed nolo id esse impedimento quo minus uxorem & liberos, Deo juvante, quàm primùm videam.

De negocio Amplitudinis Vestræ iisdem literis sua Majestas mihi rescripsit; sed id mittam per Fabrum : summa est, quod Dux nondum ad suas super ea re literas respondit. Sed est insuper aliquid amplius, quod tum perscribam. Perferetur tum etiam ad vos negotium meum Daelhemense. Interim velim Amplitudinem Vestram rogatam, ut suspensio in id usque prorogetur, ne absentia reipublicæ causa mihi sit damnosa. Castellanus suspicatur Præsidem Susium hujus liteculæ authorem esse, sed non puto. Non enim hoc boni viri, & multo minus præsidis esset; & ego id de eo, cum res illius ageretur, non sum promeritus. Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone 9. Septembris 1568. Madriti.

Scripsissem ad dominum Van Loo, pro mea consuetudine; sed unum folium non amplius quàm duas capit epistolas. Compen-

ſabo igitur per curſorem & fabrum. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Illud non poſſum omittere, fratris Ritſii factum mirificè mihi placuiſſe. Nec prætermittam quin prima occaſione ad Regem ea de re referam.

EPISTOLA LVII.

ARG. *Hujus, & ſequentis Epiſtolæ argumentum, quia aut minoris momenti eſt, aut ſuperiorum litterarum argumento vicinum, enarrando ſuperſedemus.*

S. P. Has, Reverende Præſul, ſcribo in incertum, ignarus an ad manus Amplitudinis veſtræ pervenient. Quoniam itinera Gallica, per quæ mittuntur, dicuntur eſſe obſeſſa, alius curſor per mare proficiſcitur, cui paulò prolixiores literas dabo. Sed de omnibus ſcribo accuratè per Cornelium fabrum meum, quem poſt biduum iſthuc mitto, ut uxorem huc adducat. Nam ita Regem juſſiſſe, per ſuperiores meas literas, & ipſas furtim ſcriptas, ſignificavi.

Quamquam de profectione ejus, proximo vere, non ſumus omnino extra ſpem; ſed ob illam non deſinam facere omne officium, ut quàm primùm uxor & liberi hic ſint.

Iiſdem ſuperioribus etiam aliquid de negotio veſtro attigi quo de per fabrum quoque plura. Magiſter Bucho, & reliqui, bene valent, ut per literas quas alteri curſori vel fabro dabo Amplitudo veſtra cognoſcet. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone. Raptim Madriti 14. Septembris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Domino Van Loo, & per curſorem maritiacum, & per Cornelium ſcribo de rebus omnibus.

EPISTOLA LVIII.

S. P. Heri ſcripſi, Reverende Præſul, ad Amplitudinem veſtram, & ſcripſi paulò latius ante dies ſeptem aut octo. Non reſpondeo nunc particulatim ad veſtras literas, quoniam peren-

die, Deo volente, proficiſcetur hinc Cornelius meus, qui de omnibus pleniſſimas meas literas adferet. Mitto enim ipſum pro uxore accerſenda. Nam quanquam quidem ſperamus Regem proximo vere profecturum, quia tamen copiam mihi fecit vocandæ uxoris, nolui occaſionem prætermittere; ut plenius proximis literis perſcribam, ubi & de negotio Amplitudinis veſtræ plura dicam, nec non de Salmanticenſibus noſtris clericis : quorum literas cum his conjunxi, quæ ſcriptæ erant, antequam literæ Amplitudinis veſtræ ad ipſos huc perferrentur.

Placet ſuæ Majeſtati in locum Veſalii, Medicum noſtratem huc vocare; qua de re ſcribit ad illuſtriſſimum Ducem, nominans primo loco Rembertum cognatum meum. Is ſi petat, & idoneus Amplitudini veſtræ videatur, rogo ut eum apud ſuam Excellentiam habeat commendatum. Nam mihi certè magno eſſet ſolatio eum hic habere.

De re Daelhemenſi ingentes etiam atque etiam habeo gratias Amplitudini veſtræ, de ſuſpenſione uxori conceſſa. Mitto nunc literas Regis ad Ducem ſuper ea re, quarum exemplum uxor Amplitudini veſtræ oſtendet, nec non inſtructionem pro Capellano, quid velim ea in re ipſam facere. Prout Amplitudini veſtræ videbitur, vel confeſtim reddendas eſſe literas, vel poſtmodum ita fiet; quemadmodum & de omnibus ſignificavi me conſilio Amplitudinis veſtræ velle acquieſcere. Et quidem ſi antequam Conſilium Hollandiæ mandatum ſuum emitteret contra Scholtetum, certior fuiſſem factus quid rei ageretur (quod certè & abſentiæ meæ tam favorabili, & ordini, & rei magnitudini, videtur debuiſſe tribui, non quidem per publicas, ſed certè per privatas ad me literas) puto me rationem inventurum fuiſſe, ut ejuſmodi mandatis nihil fuiſſet opus.

In magna expectatione ſumus, quidnam tandem Germania nobis apportabit. Speramus autem, Deo auxiliante, victoriam, ut vel tandem ad pacem & tranquillitatem optima Patria deducatur.

Rex adhuc abeſt in monaſterio ſuo; podagra nonnihil tentatur. Regina certè putatur gravida. Archidux Carolus ſub Novembrem dicitur affuturus. Dominus Joannes ab Auſtria e mari rediit. Omnia hic tranquilla; niſi quod noſtrates mirificè nos ſollicitant, ut dixi. Plura per Cornelium. Bene vale, Reverende Præſul, optime patrone. Madriti 15. Septembris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTO-

EPISTOLA LIX.

Arg. *Œconomica & privata de Nepotibus Viglii. Victoria ad Amaſim. Receptaculum omnium ſectarum Emda. Dux Albanus Oppidi illius expugnationem in aliud tempus diſtuliſſe creditur. Regis Philippi reſponſum, ſermone Hiſpanico, quum Hopperus Belgicam legationem poſtularet. Aliud in cauſſa Viglii. Rumor de toxico Regi Galliæ dato. Preces inde publicæ in Hiſpaniæ. Joannes Auſtriacus e prima expeditione maritima redux, paucis prædonum naviculis captis.*

S. P. Quod ternis ſuperioribus meis literis oſtendi, Reverende Præſul, me per Cornelium meum, qui has perfert, ad literas Amplitudinis veſtræ plenius reſponſurum, ita nunc faciam. Sunt autem de II. V. & IX. Auguſti. Nam ad præcedentes omnes, quarum noviſſimæ erant de XXIV. & XXVI. Julii jam puto me reſpondiſſe; & poſt IX. Auguſti datas nullas accepi.

Literas Schetzii ad Franciſcum Bravo, Vicinum meum & commodum virum, accepi, ſed nondum reddidi; quoniam abeſt Medinæ in nundinis; nec eſt quidquam periculi in mora; quoniam, ut ex præcedentibus meis epiſtolis Amplitudo veſtra potuit intelligere, jam ante ſexcentos florenos noſtrates, iſthic per Amplitudinem veſtram ſolvendos, procuraveram Magiſtro Buchoni adnumerari: quos quo pacto partiti ſint, & quos ſumptus in itinere fecerint, arbitror jam Amplitudinem veſtram ex literis ipſorum, (quas per proximum curſorem miſi) intellexiſſe. Statuet Amplitudo veſtra utrum ex mille ducentis, qui hic ſunt, ſexcentos reſcribi ſibi velit, an totam pecuniam hic manere, ut ſuis temporibus, prout ipſa juſſerit, diſtribuatur. Ego in omnibus & per omnia libentiſſimè officium meum impartiar, quo & Amplitudini veſtræ ſerviam, & illis proſim; & morum & ſtudiorum, & expenſarum, diligens ratio habebitur. Primum per Magiſtrum Buchonem, qui planè frugi mihi videtur, & in ſtudiis bene profeciſſe, majoremque quam unquam putaram, ſpem de ſe præbere; deinde per Gaſtium, qui uti libentiſſimum, ita rigidiſſimum (nam ita convenit) cenſorem ſe fore oſtendit:

tum per me, qui nunquam desinam eos admonere & in oculis gerere, & de singulis, quæ bene aut malè fecerint Amplitudinem vestram facere certiorem : quod jam ipsi sciunt omnino me facturum. Spero Deum omnia prosperaturum.

De victoria ad Amasim plurimum omnes gavisi sumus; & intelligam libenter quinam potissimum ex nostris Frisiis illic occubuerint. Atque utinam verò similem exitum videre possimus rerum Germanicarum, quæ supra modum me sollicitant, dum, quonam tandem sint evasuræ expectamus. Spero tamen Deum nos non derelicturum, & tandem ad pacem ac tranquillitatem rem deducturum.

Ubi primum rex venerit, non omittam, occasione data, quin fratris Rintzii optimum officium intelligat : si receptaculum illud omnium sectarum Emdam in potestatem suæ Majestatis dux redegisset, egregiam, meo judicio, operam navasset : sed credo non sine causa id ab eo omissum, &, ut vulgo dicitur, quod differtur non auferri. Nec fortasse alienum fuisset & id, quod Groningæ factum est, in aliud tempus reservare; sed quot homines tot sententiæ. Suus cuique mos est.

De humanitate Oratori anglico domino Geraldo exhibita magnas etiam atque etiam habeo gratias.

Venio nunc ad res nostras, de quibus paulò plenius me perscripturum superioribus literis, ubi summa earum complexus sum, ostendi. Egi abhinc aliquot mensibus cum Rege, ut si gratia generalis ad nos mittenda esset, me cum ea legare vellet, ut una eademque opera, res quasdam meas procurarem, & uxorem huc adducerem. Censuit deliberandum, donec illustrissimus Dux certiora super ea re perscriberet, quem quidem cum viderem aliis gravissimis rebus impeditum id differre, & tempus procedere, hiememque appropinquare : cepi occasionem, post exequias Principis celebratas, ut denuo per literas suam Majestatem admonerem, rogaremque ut gratiæ ad nos suo tempore portandæ certam spem faceret, vel vocandæ uxoris potestatem daret. Redigens porro illi in memoriam postulationem Amplitudinis vestræ, super Vice-Præside, quo de ante scripseram, deprecando ut importunitati meæ, quam necessitas rerum mearum & debitum officium erga Amplitudinem vestram exprimeret, ignoscere vellet. Super utroque scio, antequam cursor mensis Augusti abiret, tractatum fuisse; sed de industria responsionem Rex distulit, ad tres fere septimanas, quibus exactis ita

mihi sua manu respondit : *No recibo importunidad con cosa vestra, y como yo veo el tiempo tan adelante y las cosas que han passado que como sabris han estorvado my yda a aquellos estados hasta agora, me pareçe que ya non podra sex este anno, y tan poco no os podre embiar alla por la necessidad que tengo aqui de vestra persona para todo lo que se offreçe y puede ofreçer. Visto todo esto os se querido avisar por que no se pierda mas tiempo y entre el ynvierno. Que vos podreis embiar por vestra muger para que pueda venir antes de lo regio del ynvierno.*

Hæc super negotio nostro; secundum quæ feci mox Amplitudinem vestram certiorem, nec non scripsi ad uxorem ut se pararet : venitque is qui has perfert ut eam huc adducat. Super negotio Amplitudinis vestræ hæc est responsio : *Como el Ducque con las otras occupationes que ha tenido no me ha escrito nada desto, no sabria agora que desir os a ello si no que en escriviendo me lo que creo que no podra dexar de ser presto vere en todo esto lo que convendra, y os avisare dello.* Hoc loco utraque res est, nec aliter quidquam fiet quamdiu patria non erit pacata. Sed rebus paulò melioribus, si quidem illustrissimus Dux aliquam partem boni & æqui dicat, tam in negotio vestro quam in gratia generali, puto fore, certis quibusdam indiciis, ut & Amplitudo vestra voti sui compos fiat, & egò fortasse ad vos excurram. Quod nisi unius Amplitudinis vestræ caussa esset, & ob quasdam reculas meas componendas, non optarem; & ideo omnino mihi persuadens id non futurum; nolim adventui uxoris vel unius momenti moram ob id injici. Quare & nullam apud eam ejus mentionem feci. Spero pro viatico conjugis duo aut tria millia me habiturum, accedente pensione trecentorum aut quadringentorum in singulos annos.

Hesselii filius adhuc apud me manet, & post valetudinem bellè recuperatam, iterum in ægritudinem incidit, animi mœrore confectus, quod pater nec respondit quidquam nec misit, ad omnes epistolas quas scripsit. Ego bona spe esse jubeo, & quàm possum liberalissimè tracto. Ultra quæ quia etiam vestitu opus est, & sumptu in medicos. Jussi de quadringentis aut quingentis regalibus nummis ei mea fide prospici, ut pater istic eos reddat. Quid facturus sit nescio; sed qui has tulit, certiora referre poterit. Ingenio bono est, & studuit non indiligenter; & si quando valetudo patitur, do illi meas lucubratiunculas describendas. Scripsi semel de Lamberto meo, ut, si omnino Nico-

lao veſtro ſucceſſor Mechliniæ dandus eſt (non verò aliter) ejus ratio habeatur. Id rogo Amplitudinem veſtram ut in memoria habere velit.

Regi Galliæ venenum datum aiunt, & de vita periclitari; & ob id preces publicæ per omnes Eccleſias indictæ ſunt, quibus & pax univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ & bonus rerum noſtratium ſucceſſus expoſcitur.

Dominus Joannes ab Auſtria e mari rediit, pauculis quibuſdam naviculis prædonum captis. Quid Turca proximo vere moliturus ſit avidè expectatur.

Ego ſolutionem ſtipendiorum meorum, nec non rem Daelhemenſem, qua de ad dominum Ducem etiam nunc ſcribo, Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendo. Ad hæc ut Gregorio meo pro ſtudiis aliquid a Capitulo veſtro poſſit præberi; &, ſi rebus confectis, qui fideliter ſervierunt ſuæ Majeſtati, commendandi, aliquaque liberalitate regia afficiendi ſunt, ut mei etiam aliqua ratio habeatur. Quemadmodum hic pro vobis omne omnino officium faciemus.

Cura, Reverende Præſul ac patrone, ut valeas, & me, quemadmodum facis, ama. Ego me in omnibus & ſervitorem & clientem veſtrum, a quo ſolo poſt Deum pendeo, agnoſco. Quid de Aggæo noſtro fiat valde aveo cognoſcere, iterum vale Madriti 19. Septembris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LX.

ARG. *Rex Philippus duo millia florenorum Hoppero tribuit, viaticum uxoris: ſingulis item filiis ejus ſingulas penſiones promittit. Quid juris habeat Hiſpaniarum Rex in comitatum Emdenſem, inquiritur.*

S. P. Reverende Præſul. A paucis diebus quater ſcripſi ad Amplitudinem veſtram, ac potiſſimum quidem ſuper reſolutione ſuæ Majeſtatis de uxoris mei & liberorum huc adventu; qua de cauſa quendam iſtuc miſi de meis, qui abhinc triduum abiit per quem plenè cognoſcetis de omnibus. Illud poſt acceſſit; quod heri ſua Majeſtas duo millia florenorum dedit in viaticum

uxoris; addens, ſingulis filiis ſingulas ſe velle dare penſiones, ut Compluti, quod quinque miliaribus hinc abeſt, in ſtudiis degant. Puto autem ſingulos quadringentos florenos annuos habituros.

Porro quoniam ſua Majeſtas curioſè quæſivit ecquid juris in Comitatum Emdenſem habeat, conjeci in unam ſummam quæ ex meis ſcriptis colligere, & memoria repetere potui: referens me porro ad ea quæ iſthic in archivis exſtare poſſunt, ac maximè quæ Amplitudo veſtra, quæ rerum omnium peritiſſima eſt, noverit.

Rex venit abhinc biduum. Proxima ſeptimana dicitur iturus in Arenxues. Regina malè valet. In ſumma ſumus expectatione, quidnam tandem Germania apportabit vel jam apportaverit. Speramus autem & expectamus, Deo juvante, omnia bona.

De negotio Amplitudinis veſtræ ſcripſi ſuperioribus literis, & plenè per meum, qui iſthuc eſt profectus. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone. Madriti 24. Septembris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

De nepotibus veſtris, & aliis, ſcripſi latius ſuperioribus literis; & omnia rectè ſe habent. Heſſelius ex ſecundo morbo graviſſimo jam convaleſcit.

EPISTOLA LXI.

ARG. *Principe Hiſpaniarum menſe julio mortuo, moritur Regina die tertiâ Octobris. Obteſtatur illa regem Galliarum, fratrem ſuum, ut hæreticos inſolentiùs agentes magno animo debellet.*

S. P. Literas veſtras, Reverende Præſul, Calend. Septemb. ſcriptas pridie Calend. Octobris accepi. Sed ad eas cras, volente Deo, reſpondebo; nam has furtim ſcribo per nobilem quendam Gallum, qui noſtris epiſtolis non vult gravari.

Poſt Principem noſtrum menſe Julio mortuum, tertiâ hujus optimam Reginam noſtram amiſimus. Itaque in novo luctu ſumus, &, quem tandem exitum Res Germanicæ iſthic habituræ ſint, valde avidè expectamus.

In Gallia peſſimo loco ſunt omnia, & tumultibus plena. Regina noſtra moriens plurimum obteſtata eſt Regem fratrem, per Legatum qui hic eſt, ut vel tandem Regem ſe contra hoſtes fidei oſtendat; cum nonnullis aliis, quorum exemplum proximè mittam.

De Regis voluntate ſuper uxoris adventu ſcripſi ſæpiùs. Poſt, bis mille dedit in viaticum, & filiis penſiones pollicetur ad ſtudia. Noſtri ſcholares Salmanticenſes bene valent; expectoque propediem literas, quas ad Amplitudinem veſtram mittam; nam faſciculum jam miſi per Stellam noſtrum, qui nominis Amplitudinis veſtræ amantiſſimus, omnem quoque operam & officium eſt pollicitus. Plura non patitur tempus; ſed cras, Deo volente, reſarciam; ſcribamque, & tum ad dominum Commiſſarium Van Loo noſtrum, qui ob cauſas ſupradictas me habebit nunc excuſatum. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone. Raptim 14. Octobris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXII.

ARG. *Imperatoris hortatoriæ litteræ ad regem Hiſpaniarum. Gallia tota bello flagrans. Catalogum librorum prohibitorum in Belgio Inquiſitores Hiſpaniæ videre cupiunt.*

S. P. Heri ſcripſi, Reverende Præſul, & paramus curſorem per quem ſcribam latius, & reſpondebo literis veſtris extremo Auguſto ſcriptis. Itaque nunc ero brevior; ſperans Amplitudinem veſtram plurimas meas jam accepiſſe, tam per fabrum meum, quàm alios, quibus de voluntate Regis. De vocanda huc uxore, & negotio Amplitudinis veſtræ, & aliis, prolixè ſcripſi. Nos in novo luctu verſamur de optimæ Reginæ noſtræ morte, quæ tertiâ hujus menſis diem ſuum obibat; ſumuſque in perpetua expectatione, quidnam tandem Germania apportaverit. Quanquam confidimus Deum optimum maximum nos reſpecturum, uti hactenus fecit.

Imperatoris ad illuſtriſſimum Ducem literæ variè hic homines affecerunt; nec ſatis expedimus quidnam ſuam Majeſtatem Cæ-

fueram in eam mentem induxerit, ut ita scriberet, cum nulla appareat causa quæ eum justè potuerit movisse.

Gallia tota ardet bello, profectusque est Castillonius in Angliam ad auxilia a Regina petenda. Quid impetraturus sit, dubitatur.

Hoc puncto temporis accipio literas a Magistro Buchone, & Sixto Dekama, cum fasciculo literarum ad Amplitudinem vestram, quem haud scio an audebo ei, qui has perfert, committere. Qua de re statuam ex sententia Secretarii Cayæ. Sin minus, post triduum aut quatriduum certè mittam. Utriusque studia & literæ mirificè mihi placent; nec dubito quin & Amplitudini vestræ, & cæterorum amicorum expectationi satisfacient. Unum illos sollicitat quod tanti sumptus primo hoc ingressu in Hispaniam fuere subeundi; meque vehementer rogarunt, ut, quod res est, apud Amplitudinem vestram testari velim. Qua in re tametsi apud ipsos difficilem me præstem, tamen, ut sunt mores harum scholarum, & tam per Gastium quàm Lambertum meum cognovi, certè dici nequit, quanta in vestes (nam togati omnes incedere debent) suppellectilem, libros, domum & victum pecunia insumatur. Itaque minus ægrè ferre debêt Amplitudo vestra, si extra modum nonnihil prodiisse videantur; & curabitur ut parcimoniâ in posterum resarciatur.

Rogatus sum ab Ordine Inquisitorum, ut catalogum librorum prohibitorum isthinc adferendum curarem, eumque quàm recentissimum, additis insuper aliis, qui post catalogum impressum visi sunt ut prohiberentur. Qua in rogatum velim Amplitudinem vestram, ut ipsis mihique gratificari velit, &, cum primum commodum erit, transmittere: poteritque ad eam rem uti, si videbitur, opera domini Tiletani nostri.

Habeo hic amicum Doctorem Mylium, Secretarium domini Ducis Albani, qui in Rotulo nominatus est ad præbendas Condenses, ac quum quidem longè abest, si Amplitudo vestra Secretario suo seu Capellano mandaret, ut, cum usus feret, ejus rei ipsam commonefaceret, benefaceret homini optimo & gratissimo, & ad omnia paratissimo. Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone, & te nobis ac reipublicæ etiam atque etiam conserva; utque ita fiat Deum optimum maximum etiam atque etiam oro. Raptim Madriti 15. Octobris 1568.

Literæ his adjunctæ sunt Ducissæ Ferianæ, quæ plurimùm me rogavit ut rectè curentur reddi. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXIII.

ARG. *De gratia generali frustra Regem interpellat Hopperus. Multa privata.*

S. P. Quarta est hæc epistola, Reverende Præsul, quam his diebus sex septem proximis ad Amplitudinem vestram scribo. Cui non possum non maximas habere gratias quod de singulis tam accuratè ad me perscribat. Ac maximè quidem per literas ad XXIV. Augusti Buscoducis datas. De Episcopatibus & Abbatiis nihil adhuc actum est, quoniam triduo postquam literæ vestræ appulissent, quas frater domini Noircarmii adferebat, ultima Septembris, omnium maximo dolore obiit optima Regina nostra; ex quo tempore Rex in Monasterium quoddam secessit, ubi adhuc est. Vacans a negotiis, & vacaturus usque ad funeralia peracta, quæ cras celebrabuntur, ubi Episcopus Cunchensis concionabitur.

Uti domini Dekamani mortem, ita vitam Eysingani, (si fas est) graviter fero; nisi fortè eo loco ille habendus est, ut mors solatium, vita supplicium illi allatura videatur. Et certè quemadmodum Amplitudo vestra dicit, vix video quinam ex nostra Nobilitate in eorum locum sufficí possint. Nam ex tanto numero eorum, qui ad studia e patria nostra mittuntur, perpauci certè ad frugem perveniunt, ac maximè quidem ex illo ordine. Sed non dubito quin Amplitudo vestra diligenter dispiciet quid fieri possit, ut patriæ quam optimè consulatur.

De gratia generali nunquam cessavi Regem interpellare, sed tantum profeci quantum vos isthic. Et scio quod de Pontificis gratia Amplitudo vestra dicit, a quibusdam in Consilio, nobis præsentibus, aliquando fuisse agitatum; sed non puto id moram rei facere. Sed hoc solum, quod non nisi rigore omni peracto, eo censeant perveniendum. Et existimant plerique omnes, nunc esse tempus ut ea de re sua Majestas incipiat tractare, ac maximè quidem si quid læti nuncii de rebus Germanicis adferatur: quod etiam atque etiam speramus.

De literis cambii, & reliquo negotio Nepotum, qui omnes rectè valent, scripsi aliis literis. Cum quibus & fasciculum literarum,

rarum, quem ad me miſerunt, conjunxi. Ego ut omnia quàm optimè ſe habeant, omnibus modis ſtudebo.

De duobus millibus in viaticum uxoris a ſua Majeſtate datis, & penſionibus in ſtudia filiorum promiſſis, me memini ſcripſiſſe. Plura non patitur brevitas temporis, quod vigiliæ mihi exemerunt. Nec verò eſt quidquam amplius hoc tempore ſcriptione dignum. Itaque curabit Amplitudo veſtra, Reverende Præſul ac Patrone, ut valeat; & ſe nobis, Eccleſiæ & Reipublicæ conſervabit. Raptim Madriti 18. Octobris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Gaudeo dominum Mepſchium a Duce Regi commendari; qua occaſione & ipſe quantum potero res illius juvabo : nam ita planè meretur.

EPISTOLA LXIV.

ARG. *Orangii exercitus ultra Moſam progreſſus. Duo millia rebellium fuſa. De exſpectato Archiducis Caroli adventu. Regem Philippum in Belgicam iturum tenuis ſpes affulget.*

S. P. Dici non poteſt, Reverende Præſul, quanta me afficiat moleſtia, quod jam ab neſcio quot menſibus, neque literarum quidquam ab Amplitudine veſtra habeam (nam poſtremæ ad me perlatæ Buſcoducis ſcriptæ erant extremo Auguſto, ad quas jam bis reſpondi) neque certi nuntii, & multo minus ab uxore ac liberis. Non quidem quod non ſciam nullam iſthic occaſionem prætermitti qua ad me ſcribatur, aut aliquid certè nuncii mittatur; ſed quod hæc iniquitas temporum, quæ omnes vias obſeſſas tenet, hoc nos privat beneficio. Tum autem patria ipſa mirificè me ſollicitat; nam cum hoſtem, vel potius rebelles, Moſam tranſcendiſſe audiamus, & armato milite omnia complere, non poſſum animo eſſe tranquillo, antequam certi quid de eorum eventu & ſucceſſu adferatur. Ac quanquam quidem bene de rebus ſperemus, & verò eo magis quod paucis abhinc diebus tum rebellium duo millia fuſa intelleximus, tum verò ope & auxilio Principum Germanorum eos deſtitui : cunctatio tamen ipſa & mora (nam ſeptimanæ ſunt ſex plus minus quod nullus

iſthinc curſor advenit) non poteſt non ſcrupulum & metum nobis injicere.

Eunt ad vos quæ de Abbatiis vacantibus ſua Majeſtas decrevit. De quibus cum referremus, juſſerat Rex eodem tempore chartam Weſtphaliæ, quam huc adtuleram, ad parietem ſuſpendi, ut civitatem & agrum Groningenſem, & Emdenſem, & loca, quibus pugnatum fuiſſet, aliaque eodem pertinentia commonſtrarem: quod feci. Eademque occaſione de fratre Amplitudinis veſtræ retuli, quod illi erat gratiſſimum: & ut certiorem utrumque veſtrum ea de re facerem, jubebat.

Salmanticenſes noſtri bene valent, & quotidie ad me ſcribunt, non de pecunia, ſed iis de rebus, quibus libri, veſtes, & alia id genus comparantur. Præter ſexcentos florenos, quos ante menſes tres magiſtro Buchoni procuraram, ut ex ſuperioribus meis literis Amplitudo veſtra jam, ut ſpero, intellexit: miſi his diebus alios ſexcentos, plus minus; hoc eſt argenteos regales nummos quatuor mille; quos per Fukeros, qui hic ſunt, & omnia ſua Amplitudini veſtræ offerunt, hinc Medinam, quæ a Salmantica parum abeſt, tranſcripſi.

Literas ad Franciſcum Bravium integras adhuc ſervo apud me, quia abeſt abhinc aliquot menſibus in Gallicia, nec videtur ante Januarium rediturus. Et ſanè niſi data jam iſthic eſſet pecunia Schetſio, poſſem eas remittere ad Amplitudinem veſtram; quia, dummodo Amplitudo veſtra mihi perſcribat, quantum in ſingulos annos dari velit adoleſcentibus (quod intelligo poſt primum annum, qui longè difficilior eſt ſequentibus, ob cauſas nuper perſcriptas) ego per mercatores noſtrates qui hic ſunt, nec aliud optant quam ut Amplitudini veſtræ ſerviant, & pecuniam mihi cum velim, ſubminiſtrent, facilè curabo ut omnia, & ſine moleſtia veſtra, & ſine ſumptu procurentur. Sine moleſtia, quia nihil amplius opus erit, quàm ut quæ hic prius numerata erit pecunia iſthic, viſo chirographo meo (& non aliter) renumeretur. Sine ſumptu; quia cum mercatores qui iſthic ſunt, non tranſcribunt pecuniam niſi *real por real*, noſtri hic perſcribunt *florin por florin*, in quo nos lucramur nummum triceſimum quartum. Sic ut pro XXXV. regalibus ſic acceptis Amplitudo veſtra non amplius debeat iſthic remunerare quàm XXXIIII. Itaque quidnam velit fieri, cùm commodum erit perſcribet. Ego in omnibus id faciam quod oportet.

Retuli ad Regiam Majeſtatem de Philippo de Auxy ſuper

Ammania Tenremondensi. Placet ut literæ super ea re expediantur. Qua de re per proximum cursorem literæ dabuntur regiæ ad Amplitudinem vestram.

De feudo Lindano relatum quoque est, contenta est sua Majestas ut si pater domini Lindani emptum id sibi velit, mille floreni dono illi dentur in gratiam filii, qui de pretio decedent; & hac de re proximè perscribitur.

Scripserat ad me anno superiore Præses Nitzenus noster de laboribus suis annorum quadringenta, quos in servitio suæ Majestatis exantlavit. Retuli ea de re ad suam Majestatem. Dedit ei pensionis nomine, ultra eam quam habet, centum quinquaginta annua. Scribam ad ipsum brevi ea de re, & mittam unà literas.

Concessit mihi sua Maj. pro Gregorio Tegnagel locum in Rotulo. Spero, ubi proximè misero literas regias, Amplitudinem vestram aliquid inventurum boni, & ubi spes sit, brevi fore ut ei prospiciatur. Nam certè non minus illi, & liberis magistri Reineri, cupio atque meis.

Rex dedit Magistro Capellæ, qui hic est, viro bono imprimis & amico meo, Decanatum Insulensem : is memoriale, quod his adjunxi, ad me attulit. Quicquid ejus ei rectè fieri poterit perinde habebo, atque si mihi factum esset.

Expectamus proximo mense Archiducem Carolum. Quid allaturus sit nescimus : aliquid tamen moliturum boni, quod ad pacem ac tranquillitatem attinet, speramus. Atque utinam verum sit, quod nonnulli augurantur, venire huc ut rebus Hispanicis præsit, absente Rege in Belgio. Sed nos nihil signi ea de re videmus. Quanquam dominus Cardinalis scribit a multis hinc sibi affirmari certò Regem novo vere iturum. Nullam ejus rei significationem, ut dico, hic video; nisi quod aliquantulum me commovet, quod gratiam generalem, & remunerationem eorum qui bene meriti sunt, hactenus sua Majestas distulit quasi id ipse coram velit facere; sed nihil est certi aut solidi argumenti. Et nuper cum de Locum-tenente curiæ feudalis Brabantiæ ad suam Majestatem referrem, super supplicatione domini Tysnaci pro filio : dicebat se omnibus illis de rebus uno & eodem tempore velle tractare, & proinde dicerem domino Tysnaco ne mora illi esset molesta.

Plura scriberem, si haberem; sed nihil isthinc subministratis argumenti. Spero tamen, volente Deo, fore aliquando ut

quàm plurima & lætiſſima accipiamus. Interim velim Amplitudinem veſtram uxori addere bonum animum, ut quàm primùm huc veniat, cum omni prole ac familia; quod Deus etiam atque etiam fortunet. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, & me, ut facis, ama. Madriti 21. Novembris 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXV.

ARG. *Libelli apologetici Principis Orangiæ. Eos Rex ad Hopperum mittit confutandos. Cætera minora.*

S. P. Literas veſtras, Reverende Præſul, ad XXVIII. Septembris ſcriptas, abhinc quatriduum accepi; quæ mihi longè gratiſſimæ fuerunt.

Libellos Principis Orangiæ nunc primùm hic videre contingit. Et cum abhinc quatuor menſibus, & ante, Regem ſemel atque iterum admonuerim, de juſtificatione ſcribenda, & quanti ea res momenti eſſet ad Germanorum & aliorum animos conciliandos, ſemper res dilata fuit; niſi quod jam, cum fortaſſe ſerum erit, ſua Majeſtas ſponte libellos illos ad me miſit, ut diſpiciam quid poſſit reſponderi. Quicquid erit, communicabo Amplitudini veſtræ; quæ tacitam rem ſervare dignabitur: nam & hic ſilentio tractatur.

De Franciſco Bravio ſcripſi proximis ſuperioribus literis, eum abeſſe in Gallicia, nec ante Natalem, aut fortaſſe Februarium, reverſurum. Quare viſum mihi eſt poſſe Amplitudinem veſtram pecuniam a Schetzio repetere; cujus literas proximo curſu ordinario (nam hic curſor paucas privatas portabit literas) ad Amplitudinem veſtram remittam, ita, uti ſunt, conſignatas. Et quod ad ſcholares noſtros attinet, miſi illis ſuperioribus diebus quatuor mille regales argenteos, quos per Fukeros Medinam tranſcribendos curaram. Quibus ut ſatisfaciam, accepi ab noſtrate quodam mercatore, tantum nummorum, quantum per Schetzium Amplitudo veſtra tranſcripſerat: hoc eſt, mille ducentos florenos. Quod & minus ſumptuoſum, & minus moleſtum erit, ſemper facere, ut aliis meis literis latiùs oſtendi. Ne

liberalius pecunia illis adminiſtretur, quàm oportet, curæ habebo; nec omnino, quod reliquum eſt apud me pecuniæ, mittam, niſi rationes ſuas ad me dederint, quomodo & in quos uſus tum quidem primi ſexcenti aurei, tum autem iſti (nam ferè ad eam ſummam aſcendunt quatuor mille regales) ſint conſumpti. Nec eſt quod Amplitudo veſtra cogitet de nova pecunia mittenda, antequam eam admonuero; quod non faciam, niſi juſtam videam eſſe neceſſitatem.

Valde ſollicitos nos habent res noſtræ, quod Principem Moſam tranſiiſſe cognovimus. Precor Deum ut aliquid boni audire poſſimus.

De generi mei fratribus malè admodum me habet quod Amplitudo veſtra ſcribit, nec non dominus Loïus. Ab ipſo autem nihil adhuc accepi. Diſpicio autem diligenter an quam illis operam navare queam. Qua de re ſtatuam quàm primùm Rex redierit.

Perſcripſi ad ſuam Majeſtatem de domino Janſenio, nec non de cæteris Epiſcopis, quorum literæ Amplitudinis veſtræ faciunt mentionem. Quæ mihi reſpondit, gaudere ſe plurimum res eo eſſe perductas: juſſitque ut proximâ occaſione ad literas domini Janſenii reſpondeatur; quod curæ habebo. Nec omittam quin, quod nunc omittere cogor, tunc reſarciam, & ad literas ipſius quàm prolixiſſimè reſpondeam.

Quod vos iſthic facitis, nec nos unquam hic omittimus, ut gratiam generalem urgeamus: ſed hactenus nihil effectum eſt. Vult Cardinalis hic noſter Spinoſa ut ſe viſam: contracta aliqua familiaritate videbo quid ei communicandum aut non communicandum cenſeam. Quanquam cum nemine, quàm cum ipſo Rege, facilius nos agimus.

De privata petitione Amplitudinis veſtræ jam perſcripſi ſæpius; nec dubito quin aliquid ſim effecturus, ſi quid boni ſucceſſus Deus largiatur. Nam ſentio Regi non videri quidquam de Amplitudine veſtra eſſe ſtatuendum, niſi rebus, ſi non in totum conſtitutis, certè ad meliora converſis.

Archidux Carolus Barcinonam veniſſe dicitur vigeſimâ ſecundâ hujus menſis, hicque adfuturus proximâ ſeptimanâ. Cujus adventus ut boni nobis aliquid adferre poſſit, Deum etiam atque etiam precor.

De nova prorogatione ſuper negotio Daelhemenſi magnas habeo gratias; ſperoque quæ ſuper ea re miſeram jam iſthic eſſe perlata.

Bene vale, Reverende Præſul, unice Patrone, & te nobis ac reipublicæ diligenter conſerva. Audio Amplitudinem veſtram Zuichemi, ubi ſi quo in angulo mea arma eſſe patietur, magno me beneficio affectum putabo. Raptim Madriti 27. Novembris 1568.

Quid Aggæus noſter agat, valde cupio cognoſcere; gratulaborque brevi Crypio de dignitate aucta, nec non Folcardo de diſputatione tam celebri, qualem nunquam Lovanii me memini videre. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXVI.

ARG. *Metus ab exercitu Orangii. Card. Spinoſæ erga Viglium bene affectus animus.*

S. P. Quoniam abhinc diebus ſex ſeptem bis ſcripſi, Reverende Præſul, & quidem omnibus de rebus quibus potui : hæ non alio pertinebunt, quàm ut debiti officii cauſa me Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendem. Verſamur autem in maxima expectatione rerum novarum; quoniam ex quo Moſam tranſgreſſus eſt Princeps Orangius, nihil iſthinc accepimus, eſtque nobis hæc mora diuturna non ſolùm moleſta, ſed & ſuſpecta, quanquam tamen non deſinimus bene ſperare.

Fui heri cum Cardinale hoc noſtro. Is Amplitudinem veſtram quàm officioſiſſimè ac amiciſſimè ſalutari juſſit, ultroque pollicitus eſt, ſe omnem daturum operam, ut voti ſui compos fieri poſſit, ubi res noſtræ eo fuerint deductæ ut ad ſalutem converti & melius habere ſe cœperint.

Omiſeram nuper Doctorem Haringhum Andringha ſcripſiſſe ad me, ut ſe apud Amplitudinem veſtram haberem commendatum, quo in Dekamani aut Euſinghani locum ſuffici poſſit. Quod equidem eo feci lubentius, quia præterquam quod meus olim convictor fuit, & a probitate perbellè mihi eſt cognitus; eſt enim totus rectus & integer. Tum novercæ meæ ex Hyddamano filiam habet uxorem, quæ patris mei piæ memoriæ fert nomen. Quicquid rectè fieri poterit, ſat ſcio Amplitudinem veſtram nequaquam omiſſuram.

Rex nondum rediit, ſed brevi putatur adfuturus, ut Archiducem, quem in dies expectamus, accipiat. Fac, Reverende Præſul ac Patrone, ut valeas.

De Salmanticenſibus noſtris ſcripſi ſuperioribus literis nec non de pecuniis; itaque hic non repeto. Madriti Calendis Decembribus 1568. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXVII.

ARG. *Orangii e Belgicis provinciis diſceſſus; tum quoque ex vicina Gallia. Res ab Albano bene geſtæ. Imperatoris querelæ, & ad Hiſpaniarum regem poſtulata. Quid ei reſponſi datum. Litterarum commercium Ducem Albanum inter & Hopperum. Accuſationis capita plura adverſus Monteniacum in Hiſpania detentum. An & quo jure Belgica connexa ſit cum Imperio, cum Gallia; quid circulus Burgundicus, aliaque id genus ab Hoppero & Granvellano diſcuſſa. De regiis & illuſtribus Bibliothecis in Belgio & Hiſpania, Granvellani conſilium quidquid in iis rarum & occultum eſt, conquirendi. Mauri Granatæ tumultuantur.*

S. P. Reverende Præſul. Ad literas Amplitudinis veſtræ, ad XXVIII. Septembris ſcriptas, jam bis, ut puto, reſpondi. Ab eo tempore nihil accepi; niſi quod Cortevillius mihi ſcripſit Amplitudinem veſtram rectè eſſe, & miſiſſe faſciculum literarum; quem, quia tum curſor ad manum non erat, remiſerat ad Amplitudinem veſtram; quod vehementer doleo. Nam nihil in omni vita mihi poteſt accidere gratius quàm a vobis quàm frequentiſſimas habere literas. Quod ea re proximis his menſibus impeditum fuit, quia curſores non iſthinc, ſed e caſtris mittebantur. Verum quia Dux Bruxellam, ut putamus, nunc rediit, frequentiores expectabimus epiſtolas.

Magna lætitia nos affecit Orangii e provinciis noſtris diſceſſus, rebus tam proſperè ac prudenter per illuſtriſſimum Ducem geſtis. Nec multò poſt ſupervenere nova e Gallia, quod & inde,

relictis impedimentis, inedia compulsus discessisset. Sed neque a vobis, neque ab Oratore nostro in Gallia, id adhuc audimus confirmari.

De Archiducis adventu scripsi superioribus literis. Post communicavit nobis Rex mandata & instructionem ipsius, jussitque responsionem concipere; quod fecimus. Summa huc redit, quod Imperator tantam offensionem animorum esse ait per totam Germaniam, tam Electorum ac Principum, quam privatorum hominum, ut, nisi celere remedium adhibeatur, extrema nobis expectanda sint. Et si Electores & Principes imperii ipsum Cæsarem officii sui admoneant, de libertate Germanica tuenda, satis videre Regiam Majestatem quid ipsi sit faciendum: Quare postulare, primum ut induciæ fiant inter Ducem Albanum & Orangium; tum ut nova forma gubernandi mutetur, & miles Hispanus amoveatur, & rigor justitiæ cesset: ostendens, non alienum sibi videri ut secundum fœdus Imperii de Religione apud Belgas vivatur. Post ut reconciliationem Orangii bonis conditionibus Rex admittat, eamque in manibus Imperatoris ponat, qui curabit ne existimationi Regis quidquam decedat: his, & non aliis conditionibus, ad tranquillitatem rem posse deduci.

In responsione nostra primum docemus, suam Majestatem Cæsaream malè informatam esse tam de facto quam de jure, quod provinciis inferioribus cum Imperio est. Deinde respondemus ad singulos articulos, & ostendimus quænam rei sit veritas; post, ad postulata venientes, dicimus ex suprascriptis, suam Majestatem Cæsaream satis intelligere, quàm ea cum ratione & jure non sunt consentanea; & ideo sperare daturam ipsam operam, ut omnis offensio & vis cesset. Et si quid secus fiat, id non juris fore sed facti. Responsio jam est in manibus Regis, & puto brevi fore, ut in Consilio Status Secreto (nam hic diversum est ab altero) nobis præsentibus, ea de re tractetur. Et suspicor fore ut etiam illustrissimus Dux ea de re consulatur, nisi jam sit factum: nam Rex ostendit se properare ut respondeat. Nec satis queo intelligere seriòne hæc proponat Cæsar, an ut Electoribus & aliis satisfaciat. Nam si quid (quod Deus prohibeat) inter Regem & ipsum offensionis oriretur, jam de illo, & toto splendore Domus Austriacæ in Germania, esset actum. Quod multi optant, & ob id fortasse Cæsarem ad hæc protrudunt.

Sunt hebdomadæ quinque aut sex, plus minus, quod sua Majestas

Majeſtas ex Arenxues mittebat ad me duos Libellos Orangii, jubens ut Apologiam ad eos conſcriberem; quod feci. Ubi Amplitudinis veſtræ mentio meritò contra calumnias debuit fieri, laboravi quantum potui. Sed ſi Rex edendam cenſeat, idque ſupreſſo nomine authoris, ſuaſi ut ante ad vos limandam mittat. Nam plus vident oculi quàm oculus, & plura certioraque habetis quàm ego. Nec præter Amplitudinem veſtram opus eſt ut quiſquam ſciat me authorem eſſe; nam nec hic præter Regem & Cayam quiſquam id novit. Si non mittat ſua Majeſtas, ego ad dominum Cardinalem & Amplitudinem veſtram ſingula exempla dabo.

Scribit ad me illuſtriſſimus Dux aliquoties Hiſpanicè, & jubet ut eâdem linguâ ad ſe ſcribam: quod facio. Addens, ut ſi quid vel hic occurrat, vel iſthinc ad me perferatur, quod ſuam Excellentiam intereſt ſcire, ad rem melius, uti deſiderat, gerendam ejus ipſam liberè faciam certiorem: ſummi enim beneficii loco id habituram. Quâ occaſione motus, ſcripſi olim quàm modeſtiſſimè, multis optimis videri, ſummam pacificandæ ac ordinandæ reipublicæ in hoc conſiſtere, ut gratia generalis quàm primum concedatur. Et jam quia nonnullos noſtrates, ſummos viros, eſſe video, qui non in eam partem negociorum, qua deberent, ſe admitti dolent, eaque de re in literis ad Regem non obſcurè conqueruntur: cogitavi an ea de re ſuam Excellentiam deberem commonefacere. Sed poſt viſum eſt nonnihil expectare, &, quid rebus bellicis jam nonnihil compoſitis, futurum ſit, diſpicere, & pro re conſilium capere.

Dies ſunt quinque aut ſex quod Rex ad nos miſit poſitiones & articulos domini Monteniaci, quem Deus juvet. Miſſus eſt ad eum Alcaldus quidam, ut ſuper iis eum examinet; viſique ſunt valde graves, & multi ex iis capitales.

Sunt aliquot ſeptimanæ, quod Rex mihi imperabat, ut, quid juris noſtris ditionibus cum Gallia eſſet, cum Imperio; quid circulus Burgundicus, quid Imperator Carolus circa Religionem Germanis conceſſerit, & ſi quæ ſunt alia ejuſmodi, conſcriberem: quod feci. Nec multo poſt ſupervenit ſcriptum Cardinalis ſuper jure Imperii, quod cum meis ſcriptis prorſus conſentiebat. Et quia inter cætera etiam juſſerat, ut de Bibliothecis, quas ſua Majeſtas iſtic habet, & aliis nonnihil conſcriberem; viſo ſcripto meo reſpondit, optare ſe catalogos Bibliothecæ ſuæ, quæ apud Amplitudinem veſtram eſt, nec non ejus

quæ eſt in Curia & Hollandia, & item Abbatiæ Tongerlenſis. Non quidem ut ex illis Bibliothecis quidquam transferat; ſed ut, ſi quid ſit rarum, quod alubi non invenitur, deſcribendum curet; addens Amplitudinem veſtram rem gratam ipſi facturam, ſi id procuret, & ad me mittat.

Dicit mihi Cayas, dominum Ducem in laudem & prædicationem Amplitudinis veſtræ ſcripſiſſe nuper ad ſuam Majeſtatem, & alium adjeciſſe articulum de me, commendans me & meos majorem in modum eidem ſuæ Majeſtati. Quod quidem tametſi promeritus non ſum, ſtudebo tamen quantum poſſum per Dei gratiam promereri; nam omnium harum rerum Amplitudinem veſtram ſcio eſſe authorem ac promotorem. Ac quia Archiepiſcopatus Hiſpalenſis nunc penſionibus quibuſdam onerandus eſt, certè puto aliquam partem ad filios meos venturam.

Conceſſit mihi Rex locum in Rotulo pro filio D. Reineri Tegnagel, Gregorio. Rogatam velim Amplitudinem veſtram ut diſpiciat ubinam commodiſſimè poni poſſit, ut quàm primum aliquid boni obtineat.

De Salmanticenſibus noſtris diu eſt quod nihil audierim, quod ſignum eſt eos non egere. Literas ad Bravium, quæ integræ apud me ſunt, diſpiciam utrum hoc curſu an alio ad Amplitudinem veſtram ſum tranſmiſſurus. Nam de pecunia, ob illius abſentiam aliundè ſumpta, jam bis, niſi fallor, ſcripſi. Gratulor Amplitudini veſtræ de Folcardo quod ea facit in ſtudiis, quæ alii ante eum nunquam tentaverunt.

Omnino velim Amplitudinem veſtram rogatam, ut uxorem cum liberis quàm primum huc pertrudat, bonumque animum addat. Nam tametſi quidem de itione ſua iterum dictitare incipiat ſua Majeſtas, nihil puto futurum; ſed de gratia generali extremo Februario, aut certè toto Martio, aliquid fortaſſe audietis. Nec puto aliud reſtare, quàm ut civitas una aut altera, quæ rebellavit, nonnihil caſtigetur.

Dies ſunt octo aut decem, quod Granata media luce, quadringenti Moriſci (nam ſic vocantur qui ex Mauris facti ſunt Chriſtiani) in publicum proruperint, & ad arma pro fide Mahometana conclamarint. Quibus vix tandem e civitate ejectis adjunxere ſe ejuſdem generis quinque aut ſex armatorum millia, dicunturque expectare auxiliares copias ex Aphrica. Tota Betica ſive Andaluzia jam in armis eſt adverſum eos; aiuntque gaudere ſe hanc occaſionem oblatam eſſe, qua Rex de toto hoc

genere hominum ſemel ſtatuat, Hiſpaniamque ab hac fæce purget. Vulgo nihil hic metuitur. Non deſunt tamen qui haud abſque periculo rem eſſe aiunt.

De negocio Amplitudinis veſtræ ſcripſi antea non videri nec domino Duci, nec domino Cardinali, neque adeo Regi ipſi, ut quidquam ſtatuatur, antequam reſpublica ordinata, & in priſtinum ſtatum quoquo modo deducta ſit. Ego tamen ſi quid potero, non deſinam omnes occaſiones captare ut debitum officium faciam.

De Nicolao veſtro nihil minus unquam ſomniavimus quàm ut eum, quem omnibus rebus adjuvare cuperemus, aliquo vel minimo incommodo afficeremus. Et quod ad reſignationem attinet, ſi ab ea non eſſet alienus, certè curabo ut tantum ab Lamberto, quantum a quolibet alio, accipiat; agoque Amplitudini veſtræ ingentes gratias quod eum cæteris præferre cupit.

Bene vale, Reverende Præſul, optime patrone, & me, ut facis, ama, omnibuſque modis eum cenſe, qui Amplitudini veſtræ, & placere cupiat & ſervire ſine exceptione. Madriti 8. Januarii 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

S. P. ſcriptis literis noſtris, mandatum fuit ab Rege, ne amplius quàm binas aut ternas literas ſinguli huic curſori traderemus: ſubſecuturum alium, qui alias perferat. Itaque duos feci faſciculos, unum minorem, in quo literæ ad Amplitudinem veſtram, uxorem, & alios nonnullos inſunt: alterum hunc majorem, in quo reliquæ; ut experiar an uterque nunc mitti poſſit. Sin minus, ut minor ſaltem eat; quod cenſui Amplitudini veſtræ ſignificandum.

Eſt quædam epiſtola Regis ad Ducem, pro paupere quodam Doctore Anglo, Store nomine, ut in dorſo Amplitudo veſtra videbit. Hanc placebit reddendam curari. Credo eum habitare Lovanii; & eſt vir bonus, ac dignus cui bene fiat.

EPISTOLA LXVIII.

ARG. *Archiduci responsio Hispanicè data. Alia ad Principis Orangiæ Apologeticum. Mauri in arctum coacti.*

S. P. Reverende Præsul, hæc scribo raptim & in incertum, tantum ut intelligat Amplitudo vestra apud nos, Deo adjuvante, omnia rectè esse; summis votis literas vestras expectari, quas nullas a quatuor mensibus plus minus accepimus: non culpa quidem vestra, sed quod indicia habemus quosdam cursores interceptos esse. Pauci sunt dies quod latissimè omnibus de rebus ad Amplitudinem vestram scripsi. Post id, responsum est Archiduci non Latinè sed Hispanicè; qui continuò replicavit. Nescio an duplicabitur.

Responsio ad Principis Orangiæ calumnias, ad vos, ut puto, mittetur.

Mauri magno numero sunt; sed quotidie magis ac magis coguntur in arctum, ita ut intra montes suos, quos occuparunt, se contineant. Exitus adversum eos non modò lætus, Deo approbante, speratur; sed & utilis Regi ac Hispaniæ, ut fæci illi hominum lex tandem ponatur, aut radicitus extirpetur.

Uti de vobis, ita nec de Gallis, Italis, Germanis, quidquam habemus: nisi quod quidam suspicantur iterum pacem inter Gallos tractari. Id vos rectius scire puto quàm nos. Uxori omnem operam Amplitudinem vestram laturam, ut quàm primum rectè poterit, huc accurrat, nihil dubito. Bene vale, Reverende Præsul, & nos, ut facis, ama.

Habeo hic fasciculum literarum a Buchone qui huic aëri nondum planè assuevit; sed huic dare nec volui, propter periculum; nec potui, quia vel has vix recepit. Madriti 28. Januarii 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXIX.

ARG. *Cardinalis Guiſianus in Hiſpania legatus.*

S. P. Reverende Præſul. Quoniam denunciatum eſt mihi abhinc una hora, profecturum curſorem quemdam ſecreto, hæc curſim ſcribo, ne ullam occaſionem omittam, qua officium debitum erga Amplitudinem veſtram faciam. In magna ſumus expectatione ecquid tandem à vobis adferetur. Nam totâ hac hieme ne unam quidem literam accepimus; niſi quod abhinc quatuor diebus.

Neſcio quid literarum a Duce venit, quæ initio Januarii ſcriptæ erant. Sed video ſecreto illum inde miſſum fuiſſe.

Ad Archiducis replicationem duplicatum eſt.

Adeſt Cardinalis Guiſianus, qui inter cætera petit, ut, quæ iſtic ſunt bona Gallorum, tam Eccleſiaſtica quàm prophana, bona Regis voluntate impignorari poſſint, ad ſumptus, quos Rex Franciæ habet maximos, tolerandos, ſuper quo Adviſum noſtrum Rex petit: promittitque Rex Franciæ ſe intra quinquennium ea repignoraturum.

Moriſci rebelles in dies magis ac magis coguntur in anguſtum, ita ut brevi felicem exitum belli, Deo adjuvante, ſperemus. Salmanticenſes rectè valent; accepique heri ab iis literas cum faſciculis ad Amplitudinem veſtram. Sed huic curſori non poſſum tradere, qui vel has vix videtur perlaturus. Dies ſunt ſeptem plus minus quod per mercatorem quemdam noſtratem quoque ſcripſi, neſcio an perferentur literæ: ita omnia plena ſunt tumultibus ac periculis; a quibus Deum oro ut uxorem & liberos, dum huc veniunt, etiam atque etiam velit cuſtodire. Bene vale, Reverende Præſul. Raptim Madriti 6. Februarii 1569.

Magiſter Bucho convaluit, & optimè ſe gerit. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXX.

ARG. *Litteræ ab Cardinale Granvellano, qui tandem in id quoque consentit ut ad gratiam generalem perveniatur.*

S. P. Hodie scripsi, Reverende Præsul; & quia cursor, qui nostras est, aliquid nactus est spatii, has addidi ad superiores. Non quidem quod amplius quidquam habeam, quod in hac festinatione (nam alioqui aliquid esset fortasse) addere possem: sed ut domini Tysnaci nomine, qui hoc me rogavit, dicam, petere ipsum ut Amplitudo vestra excusatum eum habeat, quod propter temporis brevitatem scribere non potuerit.

Illustrissimus dominus Cardinalis Granvellanus bene valet; accepique ab eo his diebus binas literas, omnibus de rebus: velletque tandem, post multam moram, ad gratiam generalem perveniri. Id vos urgetis, & nos. Deus velit, in cujus manu cor Regis est, ut tandem aliquid impetretur. Bene vale, Reverende Præsul, optime Patrone. Raptim Madriti 6. Februarii 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

S. P. Tertia hæc est epistola, Reverende Præsul, quam hodie scribo. Videns enim cursorem nostratem esse, & hominem voluntarium, dedi illi fasciculos istos tres nostrorum Salmanticensium, quibus has junxi. Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone. Madriti 6. Februarii 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXI.

ARG. *De Missione Præsidis Viglii certiora ac præsentiora. Ipsius Regis Philippi sententia de Belgicarum turbarum memoria abolenda. Caroli Archiducis proximus ex Hispania discessus. Nunciatum a Principe Orangio dimissum exercitum, sed incerto rumore.*

S. P. Reverende Præsul. Accepi literas Amplitudinis vestræ, Calendis & XVII. Novembris, pridie Natalis Domini, item pri-

die Calendas, XIV. XVIII. & XXVIII. Januarii ſcriptas : quæ omnes quam gratæ mihi fuerint, per ſe Amplitudo veſtra æſtimare poteſt. Sed has nunc non reſpondebo, quia hic curſor ſubitò hac nocte in Galliam proficiſcitur; & nos poſt triduum aut quatriduum noſtrum mittimus, per quem de omnibus latè, volente Deo, ſcribemus.

De negotio Amplitudinis veſtræ ago quam diligentiſſimè, & ſpero aut proximis, aut certè ſecundis abhinc literis, læti aliquid nuntii perſcripturum, ut ad miſſionem quàm honorificentiſſimam, & regiis donis egregiè cumulatam, poſſit pervenire. Jam enim Prior Antonius, & aliquot alii, qui diverſum hactenus ſenſere, mecum ſtare incipiunt.

De gratia generali nihil aliud expectatur, quàm adviſum illuſtriſſimi Ducis, qui brevi ſe id miſſurum, ubi cum Amplitudine veſtra latiùs communicaverit, literis Hiſpanicis pollicetur. Jamque tempus eſſe retur ſua Majeſtas, ut a rigore ad clementiam ſe convertat; quod tum quidem ipſa mihi dixit, abhinc paucis diebus; tum verò Prior Antonius latiùs commemoravit.

De Anglicis & Germanicis, aliiſque nonnullis negotiis, hodie tractavimus in Conſilio; cras aut perendie de Abbatiis, & aliis, ad ſuam Majeſtatem referemus; ut, ſi fieri queat, cum proximo curſore ad vos perferantur.

Archidux poſt triduum abit, magnis muneribus a Rege affectus; eſtque de rebus Belgicis illi plenè ſatisfactum, ut, qui illi ſunt a conſiliis, nobis ipſi fatentur.

Salmanticenſes bene valent. Moriſci adhuc in armis ſunt, ſed magis locorum oportunitate, quàm ſuis viribus ſe defendunt. Uxorem jam iſthuc rediiſſe, & ad iter ſe accingere ſpero, ni Angli nos impediant; quod non puto; nam legatus ab Regina nullus huc venit : quod ſignum pacati animi putamus, quanquam etiam in diverſam partem accipi poſſit.

Cardinalis Guiſianus quandiu manſurus, aut quando abiturus ſit, neſcimus. Orangium jam dimiſſe copias audimus; ſed non bene cum eo conveniunt quæ ex Germania perſcribuntur.

Scripta quæ Amplitudo veſtra mihi miſit, gratiſſima fuerunt; ſed, uno domino Tyſnaco excepto, nemo eſt qui ea viderit, aut hic eſſe norit. Quædam hinc fortaſſe brevi mittam, quæ non diſplicebunt. Plura tempus non patitur; itaque cætera in proximas literas rejicio, quæ has brevi, ut dixi, conſequentur. Interim etiam atque etiam valeat Amplitudo veſtra, & ſit animo

bono ac forti. Nam omnia bona Deo propitio ſperamus. Raptim, Madriti 2. Martii 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXII.

ARG. *Viglii nepotum res pecuniariæ. Rurſum de tantopere expetito à Viglio receſſu à negotiis. Albanus e Belgio creditus futurus redux. Aggæi, Hopperi amici & conterranei, privatus ac fatidicus ſpiritus. Janſenio, Gandavenſi Epiſcopo, oblata Abbatia S. Petri, jure commendatitio poſſidenda. Inquiſitores Hiſpaniæ gratos habent librorum prohibitorum catalogos a Viglio miſſos. De ſcripto ad Belgas miſſo, (reſponſionem, credo, intelligit pro Rege Hiſpaniæ ad librum apologeticum Principis Orangiæ); nihil eo nudius aut frigidius. Cenſet Hopperus non niſi bene limatum in lucem dandum eſſe, ne fortè bona cauſſa malè tractando prodatur. De Tolenſibus in Conſilio Turbarum actum. De Regis matrimonio rumor. Reliqua minora aut privata.*

S. P. Reverende Præſul ac Patrone. Tametſi ad nonnullas jam ſemel atque iterum reſpondi, reſpondebo nunc ad literas Amplitudinis veſtræ, partim Calend. & XVII. Novembris, partim pridie Natalis Domini, & pridie Calend. Januarii, partim XIV. XVIII. & XXVIII. Januarii, partim XVIII. XXVI. & ultimâ Februarii, partim VII. & VIII. Martii datas; agens inprimis atque habens ſummas gratias Amplitudini veſtræ, de ſua ſumma diligentia, & amore erga me ſuo.

Salmanticenſes noſtri omnes bene valent, ut ex eorum literis his junctis Amplitudo veſtra intelliget. Rationes eorum ad hunc modum ſe habent. Poſt primos ſexcentos aureos, quos ſuperiore æſtate acceperant, conſumptos, quibus ſanè ſatis frugaliter uſi ſunt, cum nondum rediiſſet Bravius, viſum eſt mihi neceſſarium, ut, loco mille ducentorum, qui ab illo recipiendi erant,

erant, ab alio quopiam tantundem acciperetur; quod feci: & quidem minore impendio, quàm cùm Schetſio Amplitudo veſtra contraxit, ut aliis literis meis latè perſcripſi. Ac quoniam non convenire videbatur, ut totam ſummam Salmanticam mitterem, miſi dimidium, paulò amplius; hoc eſt, quater mille argenteos regales, unde hactenus ſe commodè ſuſtentarunt; niſi quod Dekemanus aliquid extra ordinem ſibi dare petiit, quod ne facerem, Magiſter Bucho diſſuadebat. Ad quem cum ſuperiori menſe ſcripſiſſem, ſi vellet, pecuniam me miſſurum: reſpondit, nondum eſſe opus. Sed quoniam animadvertere mihi videbar, pudore id eum magis facere, quàm quod non indigeat: replicavi, ut liberè mecum agat; tametſi enim meâ fide ſumpta ſit pecunia mutua, certum me tamen habere Amplitudinem veſtram aut jam perſolviſſe, aut brevi perſoluturam. Itaque nunc expecto ab illo, utrum totum reliquum, an partem ejus ſibi mitti velit. Et quantum ad literas Cambii ad Bravium attinet, tametſi ille poſt reditum ultro mihi pecunias obtulit, eſt enim vir bonus & amicus, vicinus noſter: nolui tamen quidquam accipere; nam puto reliquum illud ſupradictum ſuffecturum, pro hoc anno primo, ex quo venerunt in Hiſpaniam; & pro ſequentibus exiſtimo Amplitudinem veſtram rectè facturam, ſi certam ſummam in ſingula capita ſtatuat, quæ mihi videtur eſſe poſſe octoginta aut ad ſummum centum ducatorum. Niſi Magiſter Bucho aliud ſentiat, ad quem ea de re ſcripſi, cujus Amplitudinem veſtram faciam certiorem. Literas illas Cambii his adjunxi quidem, ut ſi velit Amplitudo veſtra pecuniam à Theſaurario repetat. Sed ſatius mihi factura videtur, ſi eas remittat, ut in anni ſequentis expenſas ea ſumma cedat: quod minus habebit moleſtiæ ſi ita fiat; quanquam illud quoque certum eſt, Fukeros omne officium libentiſſimè facturos. Nam præeſt eorum rebus is ipſe Chriſtophorus Hermannus, de quo Amplitudo veſtra quærebat, omni officio & amicitiâ nobis conjunctus. Qui quidem ſi unquam, nunc certè deditiſſimus eſt ſervitio Amplitudinis veſtræ, mirèque gaviſus eſt de mentione ſui in literis ad me facta: dixitque ſe ad Amplitudinem veſtram ſcripturum, omniaque officia pro ſua humanitate, quæ eſt ſumma, oblaturum. Dekamanus in eandem ferè ſententiam ad me quam ad Amplitudinem veſtram ſcripſerat; ſed adhortatus ſum ut linguam hanc ante diſcat, quàm abeat, ita enim convenire: cui conſilio ſe acquieturum reſpondit, agoque cum illo & reli-

quis, ut ſtudiorum ſuorum rationem mihi reddant : quod faciunt.

Uxorem ſpero jam paratam eſſe, ut cum liberis & reliquo comitatu, quàm primum huc veniat. Sed vereor ne quid res Anglicæ nobis adferant moræ aut impedimenti; quanquam putamus ad meliorem mentem Reginam ſe converſuram; & pacem potius, quàm bellum electuram, maximè Condeio nunc occiſo. Omnino autem quâcumque ratione rectè poterit, velim uxorem venire; in qua re non dubito quin Amplitudo veſtra omnem illi operam impartiet, quo magis eam placet : mihi certè nihil in vita poterit accidere gratius.

Quantumcumque negotium miſſionis Amplitudinis veſtræ deſperatum ſæpe viſum eſt, nunquam tamen ceſſavi nec ceſſo, omnem quam queam operam navare. Itaque Priorem Antonium, & Conchenſem compellans; poſt ipſum etiam Regem adiens, tantum effeci, ut ad illuſtriſſimum Ducem ſua Majeſtas ſuper ea re denuo cenſuerit ſcribendum : addens, ſi in totum nondum videatur Amplitudo veſtra poſſe dimitti, anne ſaltem ſubſtitutus ei dari debeat, qui ſigilli & Secreti Conſilii onera ſuſtineat. Et ſanè quoties Amplitudinis veſtræ apud ſuam Majeſtatem mentionem facio (facio autem frequenter) perlibenter auſcultat, & ſummam animi affectionem oſtendit; eſtque jam in hoc ut ad Collegii Amplitudinis veſtræ decus & ornamentum aliquid conſtituat : qua de re Dux ſuâ manu ſcripſit ad eam luculenter, & Cayas (qui ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendat) rem illam ſe curæ habiturum, omneque amici hominis officium facturum ultro pollicitus eſt.

Si rerum ordinem, qui inſtituitur, ſatis perſpicio, puto dominum Ducem omnibns viribus in hoc incubiturum ut hac æſtate, dummodo per bellum liceat, totam rem componat, hucque ſub Octobrem menſem accurrat. Succeſſor autem, qui fortaſſe hinc mittetur, dominum Tyſnacum ſecum ducat, ut Amplitudini veſtræ in toto vel in parte ſuccedat; Amplitudoque veſtra, meritis præmiis ab ſua Majeſtate affecta, optato tandem otio potiatur. Interim velim illam rogatam, ne, cùm jam portum videat, abrumpat, ſed ad finem uſque perſeveret.

De Heſſelii filio, ex quo hinc abiit (ſunt autem quatuor menſes plus minus) nihil audivi. Neſcio quid debeam ſuſpicari.

Quantum ad Capitulum Sancti Bavonis atinet, nolim ſanè novi quidquam mea cauſa fieri; itaque mori antiquo nos accommodabimus.

Ab Aggæo literas proximè accepi Frisicas. Dicit enim se studiis & cæteris rebus humanis valedixisse, & cum spiritu frequenter loqui; qui nondum finem malorum adesse, sed alia haud leviora impendere, denunciat. Cum Hollandi vicini nostri, Reges suos, Prophetas & Semideos habuerint : sperandum erit, quantum rem ire video, ne & nos Divinis nostris careamus.

Reformationem Judiciorum Groningensium libenter vidi; satisque puto fore actum, si tantum obtineri possit : licèt non omnia suæ Excellentiæ aliisque bonis placeant. Nam ut quimus aiunt, quando volumus non licet.

De Sancti Petri Gandavensis negotio quid actum sit, ex suæ Majestatis literis Amplitudo vestra intelliget; itaque hic omittetur. Etenim si dominus Jansenius adhuc velit, integrum est, ut, dummodo Pontifex consentiat, in Commendam eam Abbatiam accipiat.

De reproborum librorum catalogis, & alio Francorfordiæ edito, maximas habeo gratias. Omnino enim Inquisitores gaudent huc eos esse perlatos.

Justificationem meam Rex Velascio dedit, cui idem fortasse accidet quod responso nostro ad Archiducis propositiones; nimirum ut lingua Latina in Hispaniam, & pauculis quibusdam rebus mutatis, authorem mutet : nam id ingenium est quorumdam hominum. Mihi Regi meo operam navasse, qui eam sibi perplacere ostendit, sufficit; reliqua Deo committo. Et fortasse ne Cycadam alis carpentes, magis obganniendi occasionem demus adversariis, satius erit in posterum tacere; quando, cùm tempus esset, nihil est actum. Scripto illo, quod isthinc missum est, nihil vidi unquam frigidius aut nudius; nec suaserim nisi bene limatum in lucem dari : nisi bonam causam malè tractando prodere velimus.

De gratiæ generalis formula quam Amplitudo vestra misit, ita feci ut jusserat; alteram nondum vidimus; sed Rex ait habere, & fore ut post instans Pascha nobis communicetur, deque tota re plenè statuatur. Suspicor autem quidem Cardinalis Spinosæ, qui ad Episcopatum suum profectus est, reditum Regem expectare : tum alia quædam isthinc; ut omnibus simul extrema manus imponatur. Quanquam satius mihi videretur, jam rebus tranquillis gratiam concedi, antequam Germani fortè quidquam moveant; ne metu fieri videatur, aut iterum, quod absit differatur.

Domini Barlemontii caufam quantum poffum, ago, ut ad ipfum jam fæpiufculè perfcripfi. Et quantum ad nepotes Amplitudinis veftræ attinet, jam femel atque iterum eorum apud fuam Majeftatem feci honorificam, ut debui, mentionem, quæ curam fe eorum habituram, & omnibus rebus (dummodo oportuno tempore, quod curæ habebo, admoneatur) refpondit.

De præpofitura autem Trajectenfi ad Mofam nihil ftatuere voluit, antequam negotium epifcopale Romæ totum fit tranfactum. De Vibrandi egregiis ftudiis vehementer lætor; proboque quod Dolam Amplitudo veftra eum mittit, ut & linguam difcat, & jura profiteatur. Inde huc eum venire nequaquam abs re videretur: eo enim loco jam funt res noftræ, ut hæc lingua penitus fit cognofcenda.

Quod Nicolaus Adriano officium ceffit, bene me hercule factum. Nec fuaferim ut facilè ab fe amittat. Si tamen ita velit aliquando, Amplitudo veftra Lambertum meum commendatum habiturum magnas habeo gratias.

Mortem Vaftelii, & Chriftiani de Waert, doleo; optoque ut quàm optimos fucceffores habere poffint, tam ipfi, quàm dominus Driutius. Et fanè fi ita res tuliffet, voluiffem dominum Haringum Andringha in Confilium Frifiæ noftræ cooptari. Sed quod differtur non aufertur.

Miratus fum aliquando apud me, in tanta rerum omnium perturbatione, quidnam Tolenfes agerent, & anne & ipfi aliquid molirentur. Sed bene habet quod hominum turbulentiffimorum caufam Confilio Turbarum intelligo effe commiffam.

Libros domini Janfenii aveo videre, ac maximè quidem Paraphrafim in Pfalmos Davidicos, fi fortè per curforem mitti poffet.

De Præpofitura Gandavenfi retuli ad fuam Majeftatem, cui res valde probatur. Ut tamen eft in omnibus fcrupulofus, domini Ducis fententiam voluit exquirere, qua de re funt literæ ad eum his junctæ cum exemplo earum. Spero autem tantilli temporis moram Amplitudini veftræ non fore moleftam. Ubi ille refcripferit, ut quàm primum omnia rectè fiant, & Romam fcribatur, diligenter curabo.

De Gerbrandi fratris filio jam cœpi difpicere. Ut apud Principes Bohemiæ fit, difficile videtur poffe impetrari. Dominus Joannes ab Auftria Granatam cum Ludovico Quexada eft profectus contra Moros, qui pauculo majorem, quàm fperabatur, moleftiam exhibent. Sed quia mari omnia fic dicuntur provifa,

ut ex Aphrica nihil illis ſit ſperandum, breve putamus bellum finiturum. Cogitavi an apud Ferianum fratris filium rectè poſſemus collocare, an alium aliquem de primoribus horum Regnorum. Omnino autem quid actum erit, proximis literis perſcribam, ſi fortè Amplitudini veſtræ videatur ut ita faciamus.

Archiduci Carolo in eam ſententiam reſponſum eſt, qua conſulueramus; videoque Amplitudinem veſtram, dominum Cardinalem Granvellanum, & nos, in eandem ſententiam conveniſſe; unde poſtea ſic Hiſpanicè reſponſum eſt, quod deinde ferunt in Latinum converſum : ſed ego nondum vidi. Sed videbo cùm volam, & ut Amplitudini veſtræ copia ejus fiat curabo. Si jure res tractanda eſt, nihil eſt ſanè quod Germani conquerantur. De facto, ſpero illos non proceſſuros, quanquam egregiè, ut videtur, minentur.

Muſſitatur de matrimonio Regis. Cardinalis Guiſianus adhuc adeſt. Quid futurum ſit, brevi, ut puto, ſcietur.

De ſcriptionibus iſtinc ad Cardinalem qui hic eſt, nihil eſt quod Amplitudo veſtra vereatur; jam dudum enim ſuæ Majeſtati & fides Amplitudinis veſtræ, & virtus, & ſumma denique rerum omnium peritia ſpectata eſt, ſic ut meo nihil ſit opus patrocinio. Sed ſi res fortaſſe meum ſervitium (quod nequaquam puto) poſtularet, certò ſibi perſuadebit Amplitudo veſtra nequaquam defuturum.

De domini Nopeni morte plurimum doleo; fuit enim mihi præceptor optimè meritus.

Inventaria librorum ſuæ Majeſtati pergrata ſunt; ſed petit ut, qui libri Latini, qui Gallici ſint, nominatim annotetur : idque uti ad Amplitudinem veſtram perſcriberem, mandavit.

Circa domini Blondelii negotium faciam perlubenter quidquid potero officii, cùm tempus erit : dixit enim his diebus Rex, ſe brevi de recompenſandis illis qui bene meriti ſunt tractaturum.

Ut conventus generales bene cedant, & Regis Patriæque utilitates procurentur, etiam atque etiam opto.

Reſtat, Reverende Præſul ac Patrone, ut Amplitudo veſtra bene valeat, ſeque nobis ac patriæ per Dei optimi maximi gratiam diligenter conſervet. Madriti 6. Aprilis 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

His ſcriptis ad hunc uſque diem tardavit curſor, ob id quod

Rex ſuâ manu volebat ſcribere. Interim re nepotis Amplitudinis veſtræ, Gerbrandi filii, cum amico quodam, harum rerum peritiſſimo, deliberata; viſum nobis eſt eum huc evocare, ut domi meæ ad aliquot ſeptimanas ſit, & rebus aulicis paulatim aſſueſcat : daboque illi unum e famulis meis qui eum comitetur, & ſubinde equum conſcendere jubebo. Nec opus erit magno ſumptu ad veſtes, quoniam luctus adhuc durat. Interim tamen conſilium fuit literas Cambii ad Bravium, quas ſupra ſcripſi me mittere, hic retinere, ut ſi quid majoris rei incurreret, iis uti poſſimus, quod tamen non puto; nam omnino operam dabo ut id fiat, quod ſupra ſcripſi. Nec eſt quod Amplitudo veſtra de pecunia laboret, antequam eam faciam certiorem. Porro cogitavimus anne fortaſſe ſatius eſſet adlaborare, ut nepos de Regis ipſius ſit domo, quod & honoratius eſſet & fructuoſius, & factu erit facile; maximè ſi Amplitudo veſtra vel unum verbum ſuper ea re cum domino Duce loquatur : qua de re ſententiam Amplitudinis veſtræ expectabo.

Philippus Baudequin, Graphiarius *du Bureau de ſa Majeſté*, vir bonus & honeſtus, petit officium Magiſtri Rationum Inſulis, vel ſi res ita fert, in Brabantia. Is majorem in modum me rogavit, ut apud Amplitudinem veſtram per meas literas poſſit eſſe commendatus. Quod ut ita ſit, & fructum aliquem meæ commendationis ſentire poſſit, etiam atque etiam oro. Eſt enim amicus, & planè dignus cui bene fiat.

Nihil hic novi interim accidit, niſi quod de nuptiis Regis cum filia Imperatoris certo conſtitutum aiunt, & Cardinalem Guiſianum brevi abiturum, quam mox ſua Majeſtas redierit, quod poſt triduum futurum ſperamus. Iterum vale, Reverende Præſul 14. Aprilis anno ut ſupra.

EPISTOLA LXXIII.

Arg. *De nepotibus Viglii, & desiderato ejus secessu. Quas laudes ferat ille ab Albano. Veniæ formula exhibita in Consilio Hispaniæ, nimium restricta; tùm cætera ejus incommoda. De ampliori itaque deliberatum. Pontificis quoque in eumdem finem petita indulgentia. De illata Hispanis ab Regina Angliæ injuria. Decreta, Lovaniensi academiæ profutura, atque eam in rem P. Laurentii Villavicentii cogitata. Mauri rebelles; timendumque ne eorum ausus exemplo magis quàm re ipsa noceant. Pax Gallos inter & Britannos. Comitatui Burgundiæ metus à Principe Orangiæ.*

S. P. Accepi, Reverende Præsul, literas Amplitudinis vestræ XXVIII. Martii & Calend. Aprilis datas, & paulò post V. ac XII. Decembris scriptas, unà cum exemplo aliarum XVII. Novembris datarum; ad quas singulas, quatenus opus erit, respondebo.

De Salmanticensibus nostris & re pecuniaria, perscripsi superioribus literis quàm maximè potui accuratè. Post id excurrit huc Magister Bucho, cum Sixto Dekamano: dedique illis quod restabat apud me pecuniæ ex mille ducentis illis, quos a mercatore quodam Thoma (propter absentiam Bravii) hic sumpseram: quos jam existimo isthic exolutos; ex quo usque ad finem primi anni, hoc est ad Augustum, vivent. Sic ut primo hoc anno consumpti erunt mille octingenti floreni, inter octo divisi. Quo exacto, sequenti anno dabitur illis per duas portiones (nam omnem simul dari non expedit) pecunia Bravii, quam, ob caussam superiori epistolio perscriptam, jam recepi; quæ ad id integra apud me est. Nisi quod ad Dekamanorum æs dissolvendum (quod emendis libris & vestibus præ cæteris contraxerant) quadringentos argenteos necessarium fuit prærogare. Interim expectabimus ab Amplitudine vestra quantum velit singulos quotannis expendere. Mihi nuper centum vel nonaginta ducati videbantur sufficere. Magister Bucho centum dandos censet or-

dinarios, & viginti quinque extraordinarios pro veſtibus ac libris. Amplitudo veſtra ſtatuet quod e re videbitur.

Puto Gerbrandi filium, quem optimè jam Hiſpanicè ſcire aiunt, brevi huc venturum, Amplitudinemque veſtram proximis literis perſcripturam ecquid conſilium noſtrum placeat nec ne. Dekamanus meo ſuaſu animum abeundi hinc jam depoſuit; ſed vellet proximo autumno Complutum commigrare: quod mihi minimè videtur alienum. Studet autem diligenter, & bene proficit, quemadmodum & alii faciunt.

Malè ſit bellis iſtis ac tumultibus, quod uxoris & liberorum chariſſimorum adventum tamdiu differunt. Heri tamen neſcio quæ bona nova de rebus Gallicis & Anglicis allata ſunt; quæ ſi vera ſunt, non deſpero omnino quin hac æſtate illos hic, Deo adjuvante, ſim viſurus.

De re Amplitudinis veſtræ bonam ſpem habemus; unàque mecum laborant Prior Antonius, Epiſcopus Conchenſis, Dux Ferianus, & Secretarius Cayas, quo amiciſſimo & Ampl. veſtræ ſtudioſiſſimo, utor. Cardinalem brevi, ut ſpero, noſtrum quoque faciemus; habetque a me Cayas memoriale juſſu Regis, tum quidem de miſſione, quam Amplitudo veſtra petit, tùm verò de Collegio, quod Lovanii extruit, de quo accuratè illuſtriſſimus Dux perſcripſit; addens incredibilem eſſe operam quam Amplitudo veſtra navat Regi ac Reipublicæ: & abſque illa neque principium neque finem rerum agendarum tractandarumque ſe unquam potuiſſe reperire: itaque omnia ei ſumma deberi.

Veniæ formulam vidimus, & in Conſilio Statûs cum Cardidali & aliis quàm diligentiſſimè tractavimus. Omnibus nimis reſtricta, atque adeo captioſa, ſi dicere licet, videtur. Et ſi bene inſpiciatur, primùm nullis omnino, qui his tumultibus vel in minimo ſe immiſcuerunt, gratiam facit; ſed iis dumtaxat qui Placitis contravenere. Deinde ii ipſi, quibus gratia impartitur, per exceptiones ad pauciſſimos rediguntur, eoſque viliſſimos ac infimos homines; fieretque etiam ut peſſimi quique Anabaptiſtæ, Sacramentarii, Davidici, ac ſimiles, gratia Principis gauderent; & qui vel minimam offenſam in tumultibus commiſiſſent, ab ea excluderentur.

Tum autem ultima clauſula de redditibus ſuper bonis ſuæ Majeſtatis ac damnatorum, præterquam quod per ſe non valde honeſta eſt, tum ejuſmodi videtur ut totam gratiam prope exhauriat; cùm veriſimile ſit paucos futuros, qui ſe ipſos velint prodere.

dere. Itaque communis omnium hic ſententia eſt (certè quantum præ ſe ferunt) Regem beneficium ſuum quàm ampliſſimè debere extendere in omnes qui tumultuati ſunt, & Placitis contravenerunt: ſolis capitibus utriuſque generis exemptis. Sua Majeſtas reſolutionem adhuc differt, neſcio quàm ob rem; niſi quod illuſtriſſimo Duci ſupradictas & alias difficultates puto communicari, ut ſuper iis ſententia ejus audiatur. Et mittitur jam Romam, ut & ſummus Pontifex ſuam gratiam velit impartiri; de qua nonnulli dubitant utrum Regiam præcedere debeat nec ne.

Quid de Anglicano negotio factum ſit, & quo pacto ſua Majeſtas Reginæ Angliæ reſpondeat, videbit Amplitudo veſtra. Omnibus diligenter excuſſis, reperimus graviſſimam quidem nobis injuriam fieri ab Regina. Sed utrum ante arreſtum per vos factum Regina legitimè admonita fuerit ſuper relaxatione pecuniæ detentæ, ipſaque eam denegaverit aut diſtulerit, haud ſatis reperimus.

Sommonis noſtri caſum graviter doleo; vellemque ſi qua poſſem opem illi ferre, dummodo innocens ſit, ſed quo pacto id fieri queat, non video. Suſpicor non aliud quàm linguæ libertatem in hoc malum eum conjeciſſe; cui, ut Bontius ſcribit, aliquid etiam fortaſſe omiſſionis acceſſerit. Omnino autem quid de eo fiat, ſuo tempore aveo cognoſcere. Inventaria proximè miſſa mirificè placent Regi, habuitque apud ſe ad multos dies; poſtea remiſit ad me, ut ſervem, donec alia allata fuerint, & unà omnia ſuo tempore tradam.

Reſponſum Univerſitatis Lovanienſis ſua Majeſtas non ſolùm legit, ſed & exemplum ſibi fieri voluit. Id vidit Pater Laurentius Villavicentius, Prædicator ille olim Brugenſis Auguſtinianus, qui eâ occaſione multa in favorem & incrementum illius ſcholæ, ſcripto quodam Hiſpanico, comprehendit. Quod Rex primum mihi communicari, poſt ad illuſtriſſimum Ducem mitti juſſit. Credo ſuam Excellentiam id Amplitudini veſtræ communicaturam. Sed quoniam de quibuſdam nominatim tractat, vellet nomen ſuum non aliis quàm uni Amplitudini veſtræ innoteſcere. Quid per nos ſua Majeſtas reſpondeat, Amplitudo veſtra videbit. Putarim dummodo in poſterum, & bene diligenterque, & id, quod oportet, legatur, ſuffecturum. Quod ex domini Tiletani epiſtola Amplitudo veſtra ad me miſerat, Rex vidit.

Secretarii Vander Aa, & Berti, omnem favorem merentur; nec unquam prætermitto quin per occasionem suæ Majestati eos commendem, & quantos labores sustinuerint ex literis Amplitudinis vestræ commemorem; quæ quam optimè se illis facturam respondet. Sed velle de iis, qui bene his tumultibus & aliter servierint, remunerandis, omnibus simul agere, idque brevì futurum.

Morisci plus negotii facessunt, quàm sperabatur. Tum autem classis perdita, magnum ei rei attulit detrimentum. Omnia tamen bona prope diem expectamus. Multi metuunt, ne exemplo magis quàm re ipsâ, factum hoc Moriscorum noceat.

Heri allatum est pacem inter Gallos & Anglos confectam esse; Andelotium morbo interiisse; Ducissam Vendomiensem, ejusque filium, & quendam Principis Condaïci, gratiam petere; Duci Bipontino aureum pontem strui, quo in Germaniam redeat; & si quæ sunt alia his similia, bona pleraque omnia : nisi quod Comitatui Burgundiæ nonnulli vehementer metuunt; maximè si Princeps Orangiæ illic est, ut fertur.

Scriptum Vergasii, & Del Rio, Rex multo tempore habuit. Tandem edi quidem posse censuit, sed sine suo Ducisve nomine aut mentione. Si nostram sententiam exquisisset, dixissem quid videretur. Si non malum, bonum certè ex ejus editione non spero.

Quid de Cancellariatu Geldriæ & Præsidatu Trajectensi (ubi Dimeni nullam miror fieri mentionem, nisi fortasse mortuus sit) factum sit, Amplitudo vestra videbit. Et quia uxor in suis literis ab Idzardo Sickinghano nostro me salutat, suspicatus sum ecquid ille quid ambiat, quandoquidem Amplitudo vestra Præsidem Frisiæ graviter ægrotare scribit.

Hesselium nostrum a molestissima illa commissione velim absolutum; & haud scio an de filio isthic audieritis. Nam me haud parum sollicitum habet, quod neque literas, neque nuncium, ab eo ex quo abiit, acceperim.

Cura, Reverende Præsul ac Patrone, ut valeas, & te nobis ac reipublicæ quàm diutissimè, conserves; quod ut ita fiat, Deum etiam atque etiam oro. Madriti 15. Maii 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Doctor Mylius summas Amplitudini vestræ agit gratias atque habet, offerens omne obsequium ac servitium. Sua Majestas dedit mihi locum in Rotulo pro filio Doctoris Tegnagel Grego-

rio ad Præbendas Hagenſes, nam alium locum commodiorem non invenimus.

Ac quoniam Caſtellanus mihi ſcribit exhiberi nobis neſcio quid novæ moleſtiæ ſuper juriſdictione Daelhemenſi; velim Amplitudinem veſtram majorem in modum rogatam ut diſpicere velit, utrum conveniat literas Regias exhibere illuſtriſſimo Duci nec ne.

EPISTOLA LXXIV.

ARG. *Formula Gratiæ Generalis, Albani verbis concepta, neque ampla ſatis, neque perſpicua. Aliam promittit Rex Philippus, non abſimilem illi quam Pater ejus Carolus Caſtellanis olim conceſſerat. Hopperus credit Angliæ reginam, quam inter & Belgas lis exarſerat, magno mercatorum noſtratium diſpendio, ab incepto deſtituram: quod quidem non niſi aliquo poſt tempore factum eſt. De otio Præſidi Viglio faciendo, iterum. Ejus laudes à Duce Feriano prædicatæ. Rumor de Cardinali Granvellano in Belgium mittendo, & novis illi decretis congiariis. Mauri Granatenſes ex clade maritima ferociores.*

S. P. Dies ſunt decem, plus minus, Reverende Præſul, quod ad omnes literas veſtras reſpondens, de cunctis quàm potui accuratiſſimè perſcripſi. Nunc quoniam ſuæ Majeſtati viſum eſt duplicatum dare illi qui Romam proficiſcitur, ut ex itinere ad vos mittat, ea breviter perſtringam quæ poſt accidêre.

De Salmanticenſium negotiis, & re pecuniaria, binas literas dedi ſuperiori curſori, cum faſciculo ipſorum, reditque res eo, quod ipſi, octo numero, hoc primo anno, qui primâ Auguſti abſolvetur, conſumpſerint mille octingentos florenos. Nam eſt apud me integra (quadringentis regalibus, exceptis) tota pecunia Braviana; ex qua tum vivere incipient, niſi Amplitudo veſtra prius illis dare jubeat: qua de re non malè erunt contenti, quanquam promiſerint ex eo, quod habent, vivere uſque ad dictam diem; quod non incommodè poterunt quantum ſcribit magiſter Bucho.

Formula Gratiæ Generalis isthinc missa, non solùm nimis stricta, sed & captiosa ab omnibus de Consilio Statûs hic judicatur. Itaque authores sunt suæ Majestati ut quàm largissimè poterit, beneficium suum extendat; quod omnino videtur factura. Jussitque ea de causa ex Simanca, ubi Archivum Hispaniæ est, ad se adferri Gratiam Generalem, quam quondam Imperator sanctæ memoriæ Castellanis dedit, cùm adversum eum tumultuati essent. Dicitque Cayas amplissimam eam esse, & Regem iisdem vestigiis instituturum.

Quid Reginæ Angliæ sua Majestas respondeat, Amplitudo vestra videbit. Et credo sanè, nisi quid cum Germanis & Hugenotis fœderis habeat, ab incepto destituram.

Bipuntinus Dux Galliam intrasse dicitur, & cum eo esse Orangius. Fitque hac re, ut omnibus reliquis viis interceptis & obsessis, non nisi per Italiam hinc ad vos pateat aditus. Quod tantò ægriùs mihi est, quod uxoris charissimæ adventum cum liberis summo desiderio expecto. Ubi ad summum malum adductum fuerit spero ac planè confido tandem Deum nos respecturum.

Dies sunt septem, plus minus, quod Dux Ferianus, ad Regem iturus, summo manè me vocabat, dicens sub confidentia quibusdam de rebus velle se mecum tractare. Primum erat, ut sciret quid rei esset de utroque Præsidatu Statûs & arcani Consilii; uter dignior & fructuosior sit, ex quo sua Majestas utrique possit prospicere; sic tùm ut Amplitudo vestra de Consilio Statûs maneat, & qui Præsidatum gesturus est, cum ea majora quæque communicare teneatur. Percurri & exposui illi breviter rem omnem; addens suam Majestatem posse dispicere unumne velit Præsidem, uti ferè semper consuetum est, an duos, quo res melius geratur: Sic tamen ne Amplitudo vestra, (nam eo tendere videbatur) ullo præsidatu maneat gravata; sed de Consilio Statûs tantùm sit, ibique, cum aderit, sententiam dicat. Ille, post multas laudes Amplitudinis vestræ, & celeritatem in negotiis prædicatam, quæ à successore designato, minimè aiebat expectari, & ob idnon convenire ut omninò Amplitudo vestra absit a curia, verùm necesse esse ut successor de majoribus quibusdam ad eam referat; tandem amplissimè pollicitus est se daturum operam, ut, quo ad ejus fieri queat, omnimodam missionem Amplitudo vestra habeat; idque brevì admodum, etiam antequam Rex redeat;

quod mox poſt feſtum Venerabilis Sacramenti putamus futurum.

Alterum erat, quia pro Gratia Generali ad Papam mittitur, quiſnam potiſſimum Commiſſarius generalis poſſit deſignari. Dixi Illuſtriſſimo Domino Cardinali Granvellano, Archiepiſcopo Mechlinienſi, qui primus eſt, præ cæteris eam rem maximè videri deberi. Quod ſtatim ille conſenſit; addens, non forè nec authoritati Regis, nec honori Domini Cardinalis ſatisfactum, niſi Rex in antiquam poſſeſſionem eum reſtituat: qua de re hoc curſu ad ipſum aliquid ſcriptum iri putabat. Cayas poſteà mihi dixit novas penſiones amplas hic illi decerni.

Tertium erat de ſupradicta Gratia Generali, de qua admirari ſe aiebat, quis formulæ tam ſtrictæ & captioſæ (nam ſic dicebat) fuerit author. Itaque omnibus modis hoc agi, ut quàm pleniſſima & nobiliſſima gratia detur, & quidem brevi.

Moriſci Granatenſes nondum deſiſtunt de incepto; & fecit eos ferociores detrimentum mari acceptum, haud ſanè leve. Sed omnes ſumus bono animo, ſperamuſque Dominum Joannem ab Auſtria brevì exercitum inſtructum habiturum, inque campum producturum, reliquaque Deum in cauſa tam juſta fortunaturum.

Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, & bene ſpera; nam adeſſe mihi dies videtur quo Amplitudo veſtra voti ſui compos tandem efficiatur. Quod ut & mihi de dulciſſima uxore & liberis contingere poſſit etiam atque etiam oro, atque opto. Madriti 26. Maii 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS. HOPPERUS.

EPISTOLA LXXV.

ARG. *Rurſus de Gratia Generali. De negotio Sommonis, qui cauſſæ capitalis reus agebatur. Imperatum Belgis à Duce Albano Vectigal, decimi ſcilicet, vigeſimi, & centeſimi Denarii, quem exitum habiturum ſit, avidè exſpectatum. De Viglii propinquis, Salmanticæ degentibus, & de Folcardo Gerbrandi filio. Maurorum IV. millia deleta; neque tamen hinc tumultuandi finis. Proſcriptiones in Belgio finem non habi-*

turæ. De profligato Duce Bipontino rumor varius & incertus.

S. P. Reverende Præſul, binas veſtras literas XXV. Aprilis & VIII. Maii ſcriptas, accepi, quæ mihi gratiſſimæ fuerunt; ſperoque ſuperiores noſtras, quas per Galliam & Italiam miſimus, jam eſſe redditas.

Sommonis noſtri vicem doleo; vidique accuſationis articulos, ad quos egregiè mihi videtur reſponſum. Nec ſum abſque ſpe aliquam me etiam hic illi operam poſſe navare; quod mox ubi Rex rure redierit, nam per literas fieri non poteſt, tentabo. Et fortaſſe antequam cauſa Sommonis peragatur, perferetur ad vos Gratia Generalis, & ut ſpero in ampliſſima forma. Hoc enim ſe expetere omnes hic præ ſe ferunt; & confirmavit mihi nudiùs-tertius Cardinalis, cum quo amicitia mihi eſt nonnulla, nihil aliud expectari quam ſuæ Majeſtatis reditum. Quanquam etiam iſthinc aliquid ut puto recipiendum erit, antequam ex toto res abſolvatur.

In magna ſumus expectatione, ut de contributione ab illuſtriſſimo Duce petita aliquid boni perſcribatis, & ſi reliqui conſenſerint, non puto Geldros & Friſios noſtros, reliquoſque extraordinarios populos, os in cœlum poſituros, maximè cum Groningenſes, à quibus minus ſperabatur, tam obſequentes ſe præbeant. Quia in re ſyndici fortaſſe urbis & agri aliquid boni fecerunt.

Quonam tandem Ducis Bipuntini furor evadet, avidè expectamus; Reginam enim Angliæ mitiorem eſſe paululò, intelligimus; quanquam rumore incerto, & in Germania parata eſſe omnia, perſcribit ad me Dominus Chantoneius.

Gregorii ab Ayala negotium diligenter procurabo, prima audientia noſtra. Optimè enim memini quantum operæ & ſervitii jam à plurimis annis ſuæ Majeſtati exhibuerit. Ad priores literas hactenùs reſponſum eſt.

Salmanticenſes bellè valent omnes; ac quoniam de re pecuniaria jam ſæpè perſcripſi, hic omitti poteſt. Nam ſumma eſt, Bravianam pecuniam apud me eſſe integram, quadrigentis argentei dumtaxat demptis, quos Dekamanis dedi. Dictum erat ut ad Auguſtum ex eo, quod acceperunt, viverent; ſed quantum video ex literis quas Gaſtius heri ad me attulit, proro-

gandum erit aliquid. Annuum dimensum quod Amplitudo vestra constituit, sufficere mihi videtur. Quanquam quid ad literas Magistri Buchonis, & meas super ea re Amplitudo vestra respondebit, expectabimus.

Quando quidem non videtur Amplitudini vestræ convenire, ut in Regis servitio sit Folcardus, Gerbrandi filius, de principibus Bohemiæ agam quod potero. Nam quantum ad Ducem Ferianum attinet, is jam ultro suam domum obtulit, in qua cum tria genera sint servitorum: officiales, qui certum munus obeunt; nobiles, qui eum comitantur, & perhonestè habentur, & pueri ministeriales, quos Pagios vocamus, (reliquos enim inferiores non nomino) ex nobilium numero posset esse Folcardus, inter quos sunt quidam Angli bene instituti. Omnino tamen quid cum Principibus agi possit dispiciam. Nam tametsi quidem Dux Ferianus longè optimus vir est, & Ampl. vestræ amantissimus, attamen ob æs alienum, & uxoris parsimoniam, audio familiam satis tenuiter ali, & haud paulò honorificentiùs esset in familia esse Principum.

De illustrissimi Ducis Albani huc reditu, nihil adhuc certi habeo. Sed si fortè successor ei dabitur, ut cum eo sit Folcardus, operam dabo.

De negotio Amplitudinis vestræ perscripsi latè quid cum Duce Feriano mihi intercesserit. Eo mane quo ad Regem proficiscebatur, reversus, bonam spem dedit fore, ut ubi Rex redierit, totum conficiatur. Eâ re non contentus, Cardinalem nudiustertius, ut dixi, adii, & quàm potui officiosissimè nomine Amplitudinis vestræ salutavi. Repetitis antiquis postulatis, is longè liberalissimè respondit, Amplitudinem vestram brevissimè intellecturam quid ejus nomine ipse fecerit, additis aliis encomiis uberrimis ac luculentissimis. Nec abs re mihi videretur si Amplitudo vestra ad eum scriberet, oratione sumptâ ab iis quæ per literas meas intellexit. Scio enim hujusmodi officiis eum delectari; & est Cayas ejusdem mecum sententiæ.

Cum Moriscis proximis diebus bis velitatum est. Primo congressu mille quingenti ex illis interfecti sunt; secundo bis mille & amplius. Ex nostris trecenti plus minus dicuntur desiderari, quoniam ob loci naturam justo prælio cum iis congredi non licet, paulatim vires eorum accidendæ sunt. Verendum est ut in longum res trahatur, quoniam quotidie alia atque alia oppidula & vici arma sumunt. Quia tamen ex Aphrica nullæ veniunt co-

piæ auxiliares, nihil admodum putatur esse timendum. Scribit mihi uxor denuo de re Daelhemensi; additis mandatis quibusdam Curiæ Hollandiæ, quam ego rem totam, ut omnia, Amplitudini vestræ commendo atque committo. Nam nihil dubito quin id factura sit, quod conveniet, quo minus præter bonum & æquum adversum nos quid fiat.

Accepi his diebus literas ab illustrissimo domino Cardinali Granvellano, qui de Gratia Generali, & aliis omnibus, ejusdem nobiscum est sententiæ. Atque utinam id fiat quod proximè scripsi ad Amplitudinem vestram, nimirum agi hic ut isthuc redeat, & non modò in pristinum, sed & ampliorem locum restituatur.

Cura, Reverende Præsul ac Patrone unice, ut valeas, & te reipublicæ nobisque quàm diutissimè conserves. Madriti 23. Junii 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

His scriptis quinæ Amplitudinis vestræ supervenêre literæ XIX. XXVI. Maii & III. Junii datæ; & cum his libri domini Jansenii, qui mihi gratissimi sunt, & quantum cursim videre potui, eruditissimi videntur. Scribamque ad ipsum ea de re proximâ occasione, nam nunc tempus non patitur.

De Gerbrandi fratris filio supra scripsi; & faciam omne officium, ac si meus esset. Et de pecunia Braviana, ita uti Amplitudo vestra jubet faciam. Nam commodum est hic nunc Gastius, per quem rectè potero. Ad Aggæi literas rescripsi superiore cursu breviùs; respondebo autem prolixiùs; vel nunc, si potero, vel certè proximâ occasione.

Proscriptiones vestræ nunquam mihi videntur finem habituræ, nisi Gratia Generalis hinc veniens omnia amputet. Ac quantum ad Sommonem attinet, quàm primum Rex redierit, tentabo quid potero. Et quod supra scripsi de Syndico Groningensi, video planè contra se habere; quod sanè doleo.

Uxor ut est timida, & res etiam per se periculosa, haud satis video quomodo aut per *Nantes*, aut Genuam, venire possit; cum ab una parte Angli & Hugenothi, ab altera Mauri mare infestent. Si vera sunt quæ heri de Bipuntino profligato, incerto tamen rumore, accepimus, sperarem brevì per Galliam illam posse venire. Oro Deum ut aliquod iter, sive terra sive mari, aperiat, quo quàm primùm eam cum liberis videre possim.

Catalo-

Catalogum librorum accepi, & cum aliis jungam. Refcriptum illuftriffimi Ducis fuper præpofitura Sancti Bavonis &c. venit, & eft perquàm favorabile; ideoque prima audientia res expedietur. Literas Amplitudinis veftræ ad Regem reddam ipfe, ubi venerit.

De epifcopatibus quod Amplitudo veftra mihi perfcribit, curæ habebo, & fimul ut, five Cayas, five Antonius Perez, negotium Amplitudinis veftræ fit tractaturus, de bona nota commendetur. Uterque enim amicus eft; excufatione ut aliqua Amplitudo veftra apud me utatur, de literis, ut ait, rarioribus, nihil fanè eft opus; quia, cùm omnia, tum illud vel maximè Amplitudini veftræ debeo, quod tam diligenter de omnibus ad me fcribere dignetur.

Uxorem & liberos, generumque cum uxore, bene valere gaudeo, & ex ipforum etiam literis cognovi, de Barbafanii morte, vel ipfius tam honorati Collegii caufa doleo, quod non video quomodo nunc ftare amplius poffit. Capite in ipfo & pedibus, in Mamerano & aliis, aliquot notabilibus membris putridis amiffis. Bene vale, Reverende Præful ac Patrone 26. Junii fupradicti.

Accepi literas dominorum Confilii noftri fecreti fuper negotio Michaëlis de Cametrica, ad quas nunc per temporis brevitatem non poffum refpondere; fed faciam diligenter per proximum curforem. Nec reftat nunc aliud in eo negotio, poft Alcaldorum magnas moras, quàm ut rem concludamus, & ad fuam Majeftatem de ea referamus. Nam lectura vix tandem abfoluta eft.

EPISTOLA LXXVI.

Arg. *In limine Epiftolæ privata aliqua. Gratiæ Generalis conceffio dilata tantifper, dum refponfum è Belgio exfpectatur. Controverfia Anglicana necdum fopita. Vires Regiæ in Gallia accifæ, & Calviniani Hæretici jam Tolofanis imminentes, Navarris Arrogonenfibufque minaces. Mauri in Hifpania perduelles. Joannes ab Auftria, & cum eo non contemnenda militum manus, ipfis obviam miffi. Regis nuptiæ certò fu-*

turæ; quæ ut apud Belgas fiant, non desunt qui Regi autores sint.

S. P. Quæ apud me Amplitudinis vestræ sunt literæ, Reverende Præsul, ad XXV. & XXVI. Aprilis, VIII. XIX. & XXVI. Maii, III. & XII. Junii sunt datæ. Ad quas quidem tametsi majori ex parte jam responderim, de singulis tamen attingam aliquid, ne, quantum in me est, quidquam omittam quod quidem dignum scriptione videatur. Nam aliquam partem hujus solitudinis & absentiæ lenire mihi videor, quum cum Amplitudine vestra ago.

De Tzommonis negotio quid hìc actum sit, ex iis quæ hisce junximus Amplitudo vestra cognoscet; & certè plus hoc tempore efficere non potuimus. Putoque, si dexterè iis utantur, non parvum ad prosperum rei successum nuntium esse constitutum; ipsorumque erit dispicere, an & quomodo uti velint. Censuique ad Amplitudinem vestram schedas mittendas, ut si fortè Urdius, qui mihi optimè causam agere videtur, absit, sint tamen ad manum, si fortè in rem videatur ut exhibeantur; quod vestri est Consilii.

Gregorii Ayalæ causam egi quàm potui diligentissimè. Rex primâ occasione summam illius rationem se habiturum affirmavit, & ut in memoriam redigamus, jussit.

De libris Proverbiorum & Psalmorum Jansenii maximas etiam atque etiam habeo gratias. Et sanè & authore & patrono dignissimi mihi videntur; nec omittam quin ad ipsum ea de re scribam, ut superioribus literis significavi.

Salmanticenses nostri bene valent, ut ex literis ipsorum Amplitudo vestra intelliget. Misi illis quatuor millia argenteorum; sic ut ex omni pecunia adhuc apud me sint duo millia paulò amplius, ex quibus sumam quod in Folcardi Gerbrandi filii vestimenta, & alia necessaria, fortasse conferendum erit. Nam evocavi eum hìc, ut ad aliquot dies apud me sit, & deinde apud Ferianum, qui jam annuit, ut superioribus literis perscripsi: aut, si quâ fieri queat, apud Principes Bohemiæ collocetur. Magister Bucho & Folcardus Montzemanus ex peregrinatione Lusitana Salmanticam superioribus diebus redierunt; aiuntque, præterquam quod peregrinatio ipsa pars studiorum est, si quid omissum videri queat, omni diligentiâ se recnperaturos, si me ante

profectionem consuluissent, author ipsis non fuissem. Ad migrationem Complutensem omnes aspirant; sed expectabimus mandata vestra, & quid magis in rem sit, ipsi etiam dispiciemus.

Quoniam de Feriano facta est mentio, is & uxor vehementissimè optarent ut cuidam servitori aviæ ipsius, dominæ de Dormer, prospiceretur. Ac cum nescio quod officium receptionis vacet de parte aliqua bonorum Principis Orangiæ in Brabantia, majorem in modum me rogarunt, ut, si qua per leges Brabanticas fieri possit, id illi Amplitudo vestra procurare velit, ostendentes nihil omnino sibi posse fieri gratius. Quin imo si ullâ ratione effici possit ut exterus id habeat, petunt ut Amplitudo vestra id mihi significet: se reliqua hic apud Regem procuraturos. Ac quia quidem Ducissa ea de re ad aviam scribit per literas his junctas, non dubito quin & ipsi Amplitudinem vestram ea de re interpellabunt.

De negotio Amplitudinis vestræ, omnes omnia bona dicere ac polliceri, ac nominatim Conchensis, qui abhinc paucis diebus suam Majestatem ea de re compellavit, optimumque responsum retulit. Nec aliud expectamus quàm ut tandem fiat declaratio, vel hic vel isthic.

Gratiam Generalem amplissimam se darurum Rex semper affirmat, sed quod nuper conjiciebam, nunc scio. Expectatur isthinc responsum ad difficultates hic motas, tractaturque interim causa Monteniaci; & fortasse civitatibus, qui minus obsequentes fuêre, aliquid imponetur, sive jugi, sive pænitentiæ.

De Episcopatibus ita, uti illustrissimus Dux perscripsit, factum est. Fecique obiter mentionem Verlenii, ecquid illius fortasse suo tempore ratio haberi possit, ut per literas regias Amplitudo vestra videbit.

Negotium præposituræ vestræ actum ac transactum est, ita ut voluistis. Addebatque Rex, & perlubenter se facere, & rem sibi videri æquissimam, sumque nunc in hoc, ut, quæ reliqua sunt, quàm optimè ac favorabilissimè fiant.

Formam circa rem Anglicanam hinc transmissam, isthic non placuisse, multos hic malè habuit. Quos tamen placavimus, quantum potuimus; tantumque effecimus ut omne omnino quod petitur, mittatur. Aiunt autem non esse nunc tempus, ut propter reputationem res tantæ tamdiu differantur. Sed ego non dubito quin illustrissimus Dux summo consilio omnia agat.

De rebus Gallicis aiunt, Huguenotarum vires haud paulò

majores esse regiis, ipsosque, capto Cadurco, jam Tolosanis imminere, & Navarris Aragonensibusque minari. Sed Deus, ut spero, tanta mala avertet; semelque viam aperiet qua, sive terrâ sive mari, uxorem charissimam cum liberis videre possim.

Morisci à solita ferocitate nondum quidquam remittunt; sed procedit illis obviam dominus Joannes ab Austria, cum peditum duodecim, equitum quatuor aut quinque millibus bene armatis, qui aliquid, ut spero, efficient.

De Regis matrimonio nihil hìc dubitatur, sed publicatio ejus in finem usque anni luctus differtur; & ni bello hoc Granatensi impediremur, non desunt qui suæ Majestati multis modis authores sunt, ut isthic nuptias celebret, sed puto vanam eam esse spem.

Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone, & te nobis reipublicæ quam diutissimè conserva. Madriti 16. Julii 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Catalogum Bibliothecæ Regis accepi, ut superioribus literis me puto significasse.

Scribit ad me magister Vilhelmus Veen, se bis ad extraordinarium Consiliaratum Brabantiæ esse nominatum; rogavitque me majorem in modum ut Amplitudini vestræ de bona nota possit esse commendatus. Ego illi respondi me ea de re ad Amplitudinem vestram scripturam; quod non volui omittere.

Post has scriptas accepi literas Amplitudinis vestræ XXVI. Junii datas, ad quas nunc non est otium ut respondeam. Sed multa continent optima, & quæ magno hìc erunt usui. Cogitavi autem anne per salvum ductum, sivè Gallicum, sivè Anglicum, huc posset venire uxor; quâ de re velim Amplitudo vestra deliberet, & quod optimum videtur, illi suadeat, XXV. Julii, anno ut suprà.

EPISTOLA LXXVII.

ARG. *De negotiis Viglii, privata. Principes Bohemiæ brevì in Germaniam ituri.*

S. P. Tametsi abhinc diebus quinque, plus minus, per Cursorem ordinarium latè omnibus de rebus scripserim, Reve-

rende Præſul, quia tamen hic curſor germanicus etiam duplicatam pro vobis portat, has ipſi dare volui, non quidem quod novi quidquam ſit ſcriptione dignum, ſed ne officio deſim. Non reſpondebo nunc ad literas Amplitudinis veſtræ noviſſimè allatas, quia Rex brevì alium ſe curſorem recta ad vos miſſurum ait. Statuique interim diſpicere, ecquid boni novi de Gratia Generali, & collegio Amplitudinis veſtræ, & miſſione perſcribere poſſim. De quibus omnes omnia ſemper promittunt; ſed hactenùs nihil eſt præſtitum. Ac quanquam quidem ſperem ſuperiorem tabellarium ſalvum ad vos perventurum; volui tamen duplicatum mittere.

Negotium Tzommonis noſtri, curo ne, quoad ejus fieri poteſt, quidquam omittatur; ſperoque hâc nocte negotium ſancti Bavonis iturum Romam. Nam ne quid moræ eſſet, & quàm favolabiliſſimè poſſit, res tractaretur, ipſe concepi literas Regis ad Papam & Oratorem, quas ad Antonium Peres (cui expeditio mandata eſt) miſi, ut ſignaturam procuret. Quod ſi fiat, jungam his exempla utriuſque Epiſtolæ. Ac licet exiſtimem omnia iſthinc jam Romam ad procuratores per vos eſſe miſſa, ne qua tamen fortaſſe accidat mora, mittam inſtrumentum meum & reliquas ſchedas ad ipſos, quia mihi amplius non ſunt uſui. Et diſpiciet Amplitudo veſtra, utrùm actam concenſus Regii confici velit, an contenta erit literis ad Summum Pontificem & Oratorem ſcriptis.

Quoniam literæ Regis ad Ducem de Varlenio relictæ erant nuper extrà ſarcinam publicam, impoſui tum meæ; & credo etiam nunc cum his ituram duplicatam. Folcardus nondum venit; Principes Bohemiæ proximo Septembri in Germaniam ituros rumor eſt, ſed incertus. Quod ſi fiat, haud ſcio an voluntas Amplitudinis veſtræ eſt, ut cum illis collocetur.

Junctis his faſciculis literarum ad Luys Mender, Doctoris Paccii noſtri eſt, qui in rure ſuo octo abhinc milliaribus latitans, nunquam huc commeat. De libris ait ſe ſcribere, in quibus comparandis ſi quis ex familia Amplitudinis veſtræ Luyſium, qui miles eſt, aliquantulum juvare poſſet, dicit ſibi forè pergratum. Bene vale, Reverende Præſul ac patrone, & te, Deo adjutore, quàm diutiſſimè ſalvum conſerva & incolumem. Madriti, 30. Julii 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Idem curſor qui has portat, ſimul etiam negotium veſtrum

portat Sancti Bavonis, quod totum misi ad illustrissimum dominum Cardinalem Granvellanum, junxique his exempla literarum ad Pontificem & Oratorem per suam Majestatem scriptarum, hoc vespere convenimus dominus Tysnacus, Alcaldus Zalazar, & ego, & conclusimus negotium Camatricense; nec aliud restat quam ut ad suam Majestatem ea de re referatur; quod fortassè hâc fiet septimanâ. Discedetque hinc, ut putamus brevì alius cursor recta ad vos. Calendis Augusti anno ut suprà. Literas hic junctas ad illustrissimum Ducem quæso ut Amplitudo vestra curare velit reddendas.

EPISTOLA LXXVIII.

ARG. *Rex promittit se in illustris Viglii gratiam Collegium ejus, quod Lovanii instituerat, cumulatè aucturum: Pollicetur etiam Gratiæ Generalis Diploma se brevì in Belgium missurum, aliaque his similia:* omnia optima, *inquit Hopperus*, & optimo Principe dignissima. *De Gallis, Anglis, Granatensibus, auditum nihil.*

S. P. Reverende Domine Præsul, his decem aut duodecim diebus, jam tertium scribo, quare brevis ero, tum quidem quia subitò & extrà ordinem hic cursor proficiscitur; tum verò quia brevì ut putamus alium mittemus

Hodie huc venit Folcardus Gerbrandi filius, egregia forma juvenis & bene moratus; eritque apud me donec intellexerimus, utrum apud Ferianum, qui omnia amicissimè offert, eum collocari velit Amplitudo vestra, an apud Principes Bohemiæ, de quorum discessu mussitatur certè proximo vere, interim ut meum eum habebo.

Regem hodiè multis de rebus conveni. Perbenignè respondit de omnibus, brevì forè ut Amplitudo vestra liberetur: Collegium vestrum suâ liberalitate se auctorum cumulatè; non aliud agere quàm ut Gratia Generalis quàm primùm mittatur, & si qua sunt his similia, omnia optima, & optimo Principe dignissima.

Allatæ sunt hoc die literæ ab illustrissimo domino Cardinali Granvellano, prolixæ omnibus de rebus; sed nihil est quod scriptione indigere videatur. Misique ad illum his diebus negotium Sancti Bavonis, cum literis suæ Majestatis ad Summum Pontificem, & Oratorem, prout proximè latiùs perscripsi.

De Gallis & Granatensibus nihil audimus, & de vobis & Anglis nihil magis; omnino autem brevì aliquid boni expectamus. Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone, & te nobis ac reipublicæ quàm diutissimè conserva. Quod ut ita fiat, Deum optimum maximum etiam atque etiam oro. Raptim Madriti 6. Augusti 1569. Fasciculum literarum Salmanticensium his junxi. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXIX.

ARG. *Scribit Hopperus sibi jam dudum suboluisse consilium de exteris hominibus in Belgarum Senatorum ordinem cooptandis; cui quidem proposito se perpetuum adversarium profitetur. Maurorum Granatensium sex millia interfecta, arce eorum occupatâ.*

S. P. Nudiustertiùs scripsi ad Amplitudinem vestram, Reverende Præsul. Hoc mane accepi literas vestras XIII. Julii datas, ad quas nunc non respondebo, quoniam alium, ut per superiores dixi, paramus cursorem. Quomodo Decamanis mortem matris (quam vehementer doleo) significare potero, dispiciam. De Gratia quid actum sit, literæ meæ, quæ per eumdum hunc perferentur, significabunt, & item de Amplitudine vestra. Jamque à multo tempore subolfeci, quod de hujus nationis hominibus nobis collegis dandis Amplitudo vestra dicit; sed non relinquam intentatum, si quid pro Dei, Regis, & Patriæ servitio aliter queam efficere.

Quæ hâc nocte venêre optima ac lætissima nova de Moriscis sex mille trucidatis, & arce eorum occupatâ, non volui omittere quin his jungerem. Cura, Reverende Præsul, ut valeas, quemadmodum omnes optamus, & Deum etiam atque etiam rogamus.

Tres ſunt dies quod mecum Ferianus tractavit, quonam modo potiſſimum dominus Tyſnacus dimitti poſſit. Inclinare videntur in hoc, ut Privati, non Status, Conſilii Præſes creetur. Neſcio an ob titulum alterum, quem hactenus geſſit, ſatis erit contentus, videbimus quo ſua Majeſtas ſe inclinabit. Raptim Madriti, 8. Auguſti 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Adjunctæ ſunt his literæ domini Stellæ noſtri ad Amplitudinem veſtram. Heri definivit ſua Majeſtas negotium Camatricenſe ſecundùm primum membrum adviſi veſtri. Remittentur iſthuc omnia ut ſententiam vos pronuncietis.

EPISTOLA LXXX.

ARG. *Epiſtola domeſtici ferè argumenti. Rex Barcinonam, ut dicitur, iturus. Quæ priori epiſtolâ de Mauris interfectis nunciata fuerant, incerta.*

S. P. Quoniam hic curſor tranſit dumtaxat, Reverende Præſul, & brevì ipſi aliquem miſſuri fortaſſe ſumus, nihil nunc ſcribam aliud, quàm accepiſſe literas Amplitudinis veſtræ XXVIII. Julii, Calendis & VI. Auguſti datas; ad quas tum, Deo volente, particulatim reſpondebo.

De Dekumanis, & aliis, omnia procurabo diligenter, jamque ante ex prioribus literis Amplitudinis veſtræ ſcripſeram ad magiſtrum Buchonem, ut videret an conveniret tum illis quidquam ſignificare.

De Folcardo brevì aliquid ſtatuemus, ut vel cum Bohemiæ Principibus ſit, vel cum Duce Feriano.

Literas ad Cardinalem Siguntinum hìc noſtrum, ipſe cras, approbrante Deo, reddam. Non dubito quin erunt gratiſſimæ.

De Gratia Generali omnia ferè concluſa ſunt; ſed neſcio quid domino Monteniaco metuam, antequam promulgentur. Nihil tamen præter ſuſpicionem habeo.

Sunt dies quatuor quod de omnibus Ferianus mecum egit, quæ ad Amplitudinem veſtram pertinent, & miſſionem domini Tyſnaci, quem ea de cauſa Toletum venire juſſit, ubi negotium illi erat, ut mentem ſuæ Majeſtatis ei declaret, & poteſta-

tem

tem proficiſcendi ad vos faciat. Poſt triduum aut quatriduum ſciemus quid factum erit.

Muſſitatur de profectione Barcinonenſi; ſed nihil adhuc certi habemus.

Matrimonium filiæ Gerbrandi cum Petro Buygers mirificè mihi placet. Oro Deum Optimum Maximum ut felix fauſtumque eſſe poſſit, & habeo gratias Amplitudini veſtræ, quod hanc noſtram affinitatem non gravatè admittit, quæ occaſionem dabit ut tantò magìs Amplitudini veſtræ ac ſuis ſerviamus; quanquam jam à multo tempore obligatio tam magna eſt, ut nulla ad eam acceſſio fieri poſſit. Folcardus rem ſibi valde gratam eſſe oſtendit; & ego illum, ſi non majore affectu, (nam veſtros omnes pro meis duco) ſaltem ut magìs conjunctum diligenter etiam atque etiam curabo. Plura tempus non patitur; itaque cætera in proximum curſum reſervabo. Cura, Reverende Præſul ac Patrone, ut valeas, & nos, ut facis, ama. Raptim Madriti 11. Septembris 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Nova Granatenſia quæ nuper mittebam ut acceperam, ab aliis velim me poſſe confirmare.

Eſt hic Tartaceus communis amicus noſter nobilis Burgundus. Is majorem in modum me rogavit ut meâ interceſſione Amplitudo veſtra commendatum habere velit dominum Dagay, ſororium ſuum, ut auditor rationum Dolæ creari poſſit. Ipſum dominum Dagay non novi; ſed Tartaceus planè dignus eſt, cui bene fiat.

EPISTOLA LXXXI.

ARG. *Majoris molis negotia cum Hoppero Rex communicat. Ille ſenſa ſua ſcripto conſignare juſtus.*

S. P. Scriptis ſuperioribus literis, Reverende Præſul, quas idem hic curſor perfert, redditæ ſunt mihi hoc momento binæ Tzommonis noſtri literæ reſignatæ menſe Martio, poſt comprehenſionem ſcriptæ. Quod ideo volui ſignificare, ne per me ſtetiſſe videatur, quo minus reſponderem.

Heri vocavit me ſua Majeſtas, & communicavit quædam mag-

ni momenti, ſuper quibus conſiderationes me juſſit in utramque partem, & opinionem meam ſcribere. Per primas literas omnia ad Amplitudinem veſtram perſcribam.

Hunc faſciculum plurimum mihi commendavit Paccius noſter, ut bene ad Luys Mendes deſtinetur; & ſi qua opera in quibuſdam indigeat, eam noſtri illi non gravatè præſtare velint.

Scripſit ad me prius Ferdinandus, qui iſthic eſt, peramicè; non omittam cum omni reverentia illi reſpondere. Bene vale, Reverendiſſime Præſul, raptim, Madriti 4. Septembris 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXXII.

ARG. *Carolus Tyſnacus, novus Conſilii Privati in Belgio Præſes, itineri Bruxellenſi ſeſe accingit. Viglius Præſidis in Conſilio Statûs titulum ac munus retinet. Hopperus ſigilli Regii Cuſtos.*

S. P. Tametſi ſperem, Reverende Præſul, ſæpiùs ad Amplitudinem veſtram ſcribere, antequam hæ literæ perferantur; tamen non potui omittere, quin proficiſcenti huic, qui Horologiarius eſt Regis, aliquid literarum darem.

Dominus Tyſnacus conceſſu ſuæ Majeſtatis ſe parat ad profectionem, proximâ ſeptimanâ, Præſes Conſilii Privati deſignatus, & juratus proximo Sabbatho ſuperiore, quo & ego de Cuſtodia Sigilli Regii juramentum conſuetum in manibus ſuæ Majeſtatis præſtabam. Amplitudinem autem veſtram optat in Conſilio Statûs Præſidatum gerere, qua de re (utì & de ſupradictis) tam ad illuſtriſſimum dominum Ducem, quàm ad Amplitudinem veſtram jam ſunt ſcriptæ literæ, quas dominus Tyſnacus perferet. Ego quantum potui pro abſoluta liberatione Amplitudinis veſtræ pugnavi: ſed reſpondit Rex itidem abſolutè, non convenire rebus, ut alius quàm Amplitudo veſtra id munus ſuſtineat. Cæterùm, ut quàm minimè Amplitudo veſtra fatigetur, Dominum Tyſnacum omnem operam ſubſidiariam ei exhibituram. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, & me, ut facis, ama. Raptim Madriti ipſo Matthei 21. Septembris

1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXXIII.

ARG. *Novarum rerum nihil esse, quod Litteris mandare libeat. Missus à Margarita Parmensi qui Dominæ suæ multa à Rege flagitet.*

S. P. Reverende Præsul. Cum his junctæ sunt aliæ binæ literæ meæ ad Amplitudinem vestram, quas quoque occasione scripsi: sed antequam ad magistrum cursus perferrentur, jam abierant cursores. Dominus Tysnacus procinctus est ut abeat; nec aliud expectat quàm sciat Carthaginemne an ad Barcinonam illi sit proficiscendum. Sigilla & reliqua mihi tradidit. Expectamus in horas nova à vobis, ex Germania, & Italia; nam multi sunt dies quod nihil acceperimus.

Novarum rerum hìc nihil est scriptione dignum, aut certè quod libeat scribere: ita nos undique circumvallant mala. Atque utinam diem illum videre tandem possimus, quo uxor & liberi huc adveniant.

Ni per temporis brevitatem esset, mitterem exemplum literarum quas sua Majestas ad Amplitudinem vestram scribit, & domino Tysnaco perferendas tradidit: sed per proximum cursorem, volente Deo, id sum facturus. Cupit autem omnibus modis, ut Amplitudo vestra in Consilio Statûs maneat, cum titulo Præsidatus illius Consilii.

Dies sunt duo aut tres quod cum Duce Feriano egi de honesta missione Amplitudinis vestræ, quam ait suam Majestatem (ut & ipsa mihi dixit) quàm amplissimam facturam. Post dies quindecim aut tres jussit idem Dux, ut Folcardum ad ipsum deducam, quod sum facturus. Salmanticenses nostri consilium cœperunt, è re sibi videri, ut Salmanticæ hâc hyeme maneant, quod valde probo. Restant apud me mille quadringenti argentei, quos proximè ad illos sum missurus. Bene vale, Reverende Præsul, optime patrone, & me, ut facis, ama. Raptim, ultimâ Septembris 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Comes Prosper Oeconomus dominæ Ducissæ Parmensis his diebus huc venit, salutavique eum hodie. Credo magna pro Domina illum petiturum.

Videtur tacitè per quosdam agi, ut Ludovicum Wyts, Amanuensem Domini Tysnaci rogem, ut hìc maneat, donec dominus Cortevilius, aut alius ejus nomine venerit. Sed quantum à quibusdam intelligo, non foret gratum suæ Majestati; additurque causa, nescio an vera; spero autem esse falsam. Itaque operam dabo ut per Varnerum satisfaciam, donec videro quid suæ Majestati placeat.

EPISTOLA LXXXIV.

Arg. *Carolus Tysnacus ex Hispania in Belgium proficiscitur.*

S. P. Tametsi sæpius me puto scripturum, Reverende Præsul, antequam hæ perferantur, non potui tamen omittere quin, abeunte hodie domino Tysnaco, has illi literas darem, solitumque salutationis officium præstarem. Quid hìc rerum agatur, & quo loco omnia sint, non dicam, quoniam proximo cursu id faciam quàm potero diligentissimè; & quæ scriptis rectè committi non possunt, ab ipso domino Tysnaco coram Amplitudo vestra cognoscet. Ex successu quem habebit in itinere, velim vos istic statuere, utrum è re videatur, ut, si alia via non pateat, eâdem & uxor mea cum liberis veniat. Nam ut eorum absentiam molestissimè semper tuli, ita nunc hâc tam amicâ domini Tysnaci & uxoris liberorumque societate privatus, multò etiam feram molestiùs. Bene vale, Reverende Præsul, & te quàm diutissimè nobis ac reipublicæ conserva. Madriti, 17. Octobris 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA LXXXV.

ARG. *Hopperus CC. Ducatos annuos filio suo à Rege impetrat, ab Archiepiscopo Hispalensi persolvendos. Belgicæ negotia gravissima à Rege tractari cœpta, quæ quidem scripto committere Hoppero intutum visum.*

S. P. Quod nunc scribo, Reverende Præsul, nihil aliud est, quàm totos nunc esse nos occupatos ut quàm copiosissimè omnibus de rebus ad vos scribamus per cursorem, qui brevì est iturus. Abiit hinc dominus Tysnacus XVII. mensis superioris, credoque illum nunc navigare inter Carthaginem & Genuam; &, si omnia secunda sint, ante Natalem Domini vobis posse adesse.

Rex abhinc paucis diebus dedit uni ex filiis meis ducentos ducatos annuos super Archiepiscopatu Hispalensi, plura cum tempore pollicens.

Magnum hìc bellum paratur contra Mauros Granatenses; quod ante fecisse melius fuisset: sed præstat sero quàm nunquam.

Ex quo dominus Tysnacus abiit, placuit suæ Majestati de gravissimis negociis, ad regiones nostras pertinentibus, incipere tractare, quas his literis non audeo committere. Acciditque mihi satis incommodè Denneterium nondum planè convaluisse, quod nunquam video futurum. Durat enim semper illi displicentia; sic ut nihil sibi gratiùs fore dicat, idque semper in ore habeat, quàm mori.

Folcardus Gerbrandi adhuc apud me est. Nam ex quo intellexi gratiùs Amplitudini vestræ futurum, si apud Principes Bohemos esset, curavi cum Dietersteyn ea de re tractandum; qui quàm benevolentissimè respondit, tametsi in sua potestate non sit novos servitores accipere sine scitu & voluntate Imperatoris, in gratiam tamen Amplitudinis vestræ se id libentissimè facturum, & ad Imperatorem, quem Amplitudini vestræ cum omnia velle certò compertum habet, ea de re scripturum. Interim Amplitudo vestra suam mihi sententiam perscribere dignabitur; nam ut in ea familia Folcardus sit, & honestè ut Præsidis Viglii nepos degat, opus erit aliquo sumptu, ad minus trecen-

torum ducatorum, ut ſuſpicor (non tamen amplius) in ſingulos annos, ultra ſalaria, quæ ſunt ſatis ampla. Itaque quod Amplitudo veſtra imperabit, mox fiet.

Venerunt hùc è Salamanca Magiſter Bucho & Montſema de pecunia; nam quæ apud me erat jam ferè, quantum mihi dicunt, conſumpta eſt, ut amplius ex eorum literis Amplitudo veſtra cognoſcet: niſi quod quadringenti regales argentei apud me ſunt reliqui, in uſum Folcardi, cùm opus erit. Plura quidem ſunt, ſed ea in proximum ut dixi curſorem reſervo. Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, & uxorem cum liberis inde quæſo quàm primùm extrudatis; maximè ſi vera ſunt quæ de rebus Gallicis feruntur bona nova, aut certè ex Anglia veniat aliquid rei bonæ per novos veſtros legatos. Raptim, Madriti 6. Novembris 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXXVI.

ARG. *Tyſnacus à Carthagine ſolvens, Genuam naviget. Regis conſilium de Feudis conſtituendis, ex bonis in Belgio Fiſco addictis, iiſque Equitibus Aurei Velleris, cæteris, attribuendis. Viglii & Hopperi querela de mora temporis nimia in componendâ pace cum Angliæ Regina. Dubium Hiſpano Regi, an bona Gallorum perduellium, in regno ſuo ſita, ſibi, an Galliarum Regi cedant. De Bulla* in Cœna Domini *actum Madriti in Conſilio Statûs. Pars dotis Hiſpaniarum Reginæ jam futuræ, ut, quod de contributionibus Imperii Rex debet, remittatur. Magnus belli apparatus adverſus Mauros Granatenſes, quibuſcum non pro viribus certatum erat. Friſii à ſua in Regem voluntate, ab Duce Albano egregiè commendati. Dux Ferianus puellam nobilem, Sobrinam uxoris ſuæ, viro alicui Principi apud Belgas nuptui tradere cogitans. Elogium Viglii in Albani Litteris. Nonnulla privata.*

S. P. Tametſi quidem, Reverende Præſul, ut quæque literæ Amplitudinis veſtræ ad manus meas venerunt, ad eas parti-

culatim per curſores extraordinarios reſpondi, quia tamen hic nunc it ordinarius, nolui omittere quin ad univerſas aliquid dicam, tam XIII. ac XXVIII. Julii Calend. & VI. Auguſti, quàm V. & VI. Septembris ſcriptas; agens in primis Amplitudini veſtræ ſummas gratias de tanta diligentia ac favore, quo erga me utitur.

Abiit hinc dominus Tyſnacus, ut jam ante ſcripſi, XVII. Octobris, navemque Carthagini conſcendit, prout mihi ſcripſit III. hujus, viſaque deinde eſt claſſis IX. die in una de Balearibus, unde in Majoricam trajicere debebat, deinde in Minoricam, poſt in Sardiniam, & ad extremum in Corſicam; indeque recta ire Genuam. Nam pro anni tempore omnino neceſſarium eſſe aiunt, ut hoc circuitu utantur ad oſtia fluminum, quæ periculoſa ſunt, vitanda. Conjicimus aut Genuam eum jam appuliſſe, aut non longè inde abeſſe; nam tempus hìc ſemper habuimus valde ſerenum ac tranquillum, quale extremo Maio iſthic eſſe ſolet.

Sua Majeſtas in manus mihi dedit ſummam omnium bonorum confiſcatorum, coramque communicavit ſuum de iis conſilium, jubens ſuper eo cogitare, & meam ſententiam ſcripto comprehendere; quod factum eſt, re ſæpe cum Feriano tractatâ, ſumma autem eſt, ut magna pars eorum ad certum numerum Feudorum redigatur, quæ Equitibus Aurei Velleris & aliis minorum Ordinum, tam togatis quàm ſagatis, ad vitam dentur, haud aliter atque de Commendis hìc fit; niſi quod Feuda hæc ſecularia, non Eccleſiaſtica, ſunt futura. Diſputavi rem in utramque partem, admonuique ſuam Majeſtatem, multos eſſe ex bene meritis, quibus præſens pecunia aut alia bona neceſſariò danda erunt: quare è re fore, ut tertia vel quarta portio de toto prius detrahatur, antequam ad Feudorum erectionem procedatur, unde iis qui moram tanti temporis ferre non poſſunt, aliquid detur. Placuit ſuæ Majeſtati Conſilium, credoque brevì fore ut amplius ea de re tractetur.

Valde avidè expectamus quid tandem cum Regina Angliæ factum erit. Et certè veriſſimum eſt quod dicit Amplitudo veſtra, plurimum nos temporis, & quidem ſine cauſa perdidiſſe. Miſitque ad me his diebus Chriſtophorus Hermannus epiſtolam quamdam, quam acceperat de Flevo ac Texalia, à neſcio quibus Pyratis captis, & multis navibus direptis; ſed ſpero verum non eſſe. Cæterum ex eo ortam eſſe fabulam, quod de iis quæ in

fratris ſui Gritenia acciderunt, Amplitudo veſtra ad me ſcribit.

Ego Vitellium & Vonckium, homines quidem prudentes, & in rebus agendis dexteros eſſe judico; ſed haud ſcio an rerum noſtratium & Anglicarum ſatis ſunt periti; unde in negotiis tractandis multum ſæpè dependet, licèt nonnunquam non videatur. Quid autem actum erit, brevì ut ſpero reſciſſemus.

Rex Gallorum, partâ hâc tam inſigni victoriâ (de qua multi ob moram certi nuntii jam dubitare cœperant) per quemdam Miniſtrum ſuum, Majeſtatem ſuam ejus fecit certiorem; petens inter cætera ut bona ſuorum rebellium, quæ apud nos ſunt, vendere liceat; & pecuniam ad uſus ſuos exportare. Non dubito quin Rex, quicquid poterit officii, Regi Chriſtianiſſimo præſtabit, quo difficultatibus ipſius opem ferat: ſed interim tamen ſcire cupit utri jure hæc bona rebellium cedant: ſibine, an Regi Chriſtianiſſimo, an aliter. Et quidem quia res permagni momenti eſt, & memini illuſtriſſimum Ducem in ſuis literis aliquid olim tetigiſſe, credo fore ut ejus ſententia ſuper ea re exquiratur.

Quæ de Bulla in Cœna Domini Inquiſitoribus Burgundicis & Comiti de Gatinaire ſua Excellentia perſcripſerat, hic in Conſilio Statûs fuêre tractata, viſumque eſt ſuæ Majeſtati, ut quæ per ipſam Romæ fieri vos cenſebatis, hâc vice per illuſtriſſimum Ducem fiant.

Ac quantum ad Montbeliartenſe negotium attinet, id propter abſentiam Regis debuit differri. Quod tamen de Epiſcopatu Antverpienſi & Buſcoducenſi petieratis, id factum eſt, & huic curſori traditum.

De novæ Reginæ noſtræ adventu brevì aliquid, ut puto, ſtatuetur. Jamque de dote agitur; cujus partem credo futuram, ut, quod de contributionibus Imperii Rex debet, remittatur, & in dotem cedat.

Contra Moros Granatenſes ingens bellum paratur, ut, antequam ver appetat, & auxilia illis ex Aphrica veniant, ſi quâ ratione fieri poteſt, obruantur. Quod ut Deus fortunet etiam atque etiam opto. Hactenus plus mali quàm boni ſucceſſus habuimus; non illorum virtute, ſed noſtrâ negligentiâ, quod malum contemneremus, aut certè non quanti erat faceremus.

Quid de Contributionis negotio iſthic factum erit, proximis literis expectamus; quanquam ſecundùm ea quæ ſcripſiſtis totum jam actum ac tranſactum putamus, nec aliud quàm executionis

tionis formam reſtare : in qua magis fortaſſe, quàm initio exiſtimatum eſt, laborabitur.

Illuſtriſſimus Dux in ſuis ad me literis ea de re nonnihil tangens, miris laudibus noſtros homines extollit; addens, nullos ex omnibus populis, Regiæ Majeſtati ſubditis, tam egregiâ erga illum eſſe voluntate : idque ſe toti mundo teſtatum facturum.

Literas Amplitudinis veſtræ ad Cardinalem hic noſtrum Spinoſam reddidi; accipienſque illas quàm benigniſſimè, ut ſanè omnem mihi ſemper favorem amicitiamque exhibet, juſſit Amplitudini veſtræ quàm maximas eo nomine gratias agi; ſeque eum eſſe, qui omnibus modis ſe putat obligatum, ut omnia Amplitudini veſtræ officia ac ſervitia exhibeat.

Dux Ferianus valde amicè & confidenter quoddam ſuum negotium mihi heri communicavit, ut ad Amplitudinem veſtram id perſcriberem; ut, ſi quam poſſit, ſive re, ſive conſilio, operam ea in re navare, pro antiquo ſuo amore non gravatè præſtare velit. Id autem eſt, quod ſe erga noſtrates ita affectum eſſe ait, ut ſperet ſe filium ſuum, quem habet unicum, non alubi quàm illic ſuo tempore collocaturum. Nunc autem domi ſe habere Sobrinam quandam Duciſſæ uxoris ſuæ, quam non minùs, quàm ſi filia eſſet, charam habet. Eam, ſi quâ ratione poſſet, cupere iſthic nuptum dari alicui ex primaria nobilitate, utì & ipſa eſt : puella ſpecioſa, octodecim annorum, mediocriter dotata. Rogat Amplitudinem veſtram ut ſuper ea re nonnihil cogitare velit, addens nihil ſibi fore gratiùs quàm ſi quid boni excogitetur. Sic tamen, ut ſi quid ejuſmodi futurum eſt, non aliter fiat, quàm libentibus iis cum quibus eſt agendum, & minimè per metum aut extorſionem. Ego poſtquam ab eo diſceſſi, cogitavi ecquid fratri Comitis Hoochſtratani hæc conditio fortaſſe non malè conveniret. Sed nihil Duci dixi, nec cenſeo dicendum, quia juvenem planè non novi; niſi quod valde bonæ ſpei ipſum eſſe audio.

Hactenus de publicis & alienis negotiis actum eſt; nunc ad noſtra privata venio. De collegio Amplitudinis dicit mihi Prior Antonius, jam illuſtriſſimum Ducem ampliùs quàm quater ad ſuam Majeſtatem ſcripſiſſe; & quidem ita, ut non ſolùm Patris, ſed Patris Patriæ negotium agere videatur. Itaque nihil eſſe dubitandum quin quàm luculentiſſimè Rex id ſit dotaturus. Et quo res magis acceleretur, convenit inter nos, ut iterato (nam

id jam aliàs feci, optimumque responsum retuli, ut ad Amplitudinem vestram perscripsi) suam Majestatem super ea re interpellem. Quo facto, mox idem ipse officium faciet, nec non Ferianus; & non ante se quieturos aiunt, quàm totum sit perfectum. Et sanè quid illustrissimus Dux ad suam Majestatem de Amplitudine vestra scripserit, ex ejusdem ad me literis intelligi potest, quarum verba subscripsi: *Al Presidente procurare de honriar, como lo merece su persona, y larga exsperiencia de los negocios, del qual me aprovecho para todas las cosas que aqui se hazen. Y me da gran luz en todos los negocios. Y cierto su Mag^ad tiene enel un gran Ministro; y es justo le haga mucha merced.*

De nuptiis Petri Buygers, sobrini mei, cum filia Gerbrandi fratris, plurimùm gaudeo, omniaque felicia ac fausta esse jubeo. Folcardus adhuc apud me est, dum operam do ut apud Principes Bohemiæ (quod vos optare video, & mihi perplacet) collocetur. Ostenditque dominus à Dieterstein se valde promptum, ut Amplitudini vestræ gratificetur; nec dubitat quin Imperator, qui consulendus est, assensum suum confestim sit præbiturus. Quare nihil restat, nisi ut Amplitudo vestra (prout ante quoque significavi) uno verbo mihi significet, quantum in singulos annos eum velit expendere. Nam trecentis ducatis plus minus, ultra salaria, quæ satis sunt ampla, videtur esse opus. Et pertinet aliquo modo ad honorem Amplitudinis vestræ, ut honestè habeatur. Ipse autem sua natura valde frugi est, modestus, taciturnus, & prudentissimus suo tempore vir futurus, mihique ob præclaram indolem valde charus.

Fuêre hìc nuper Magister Bucho & Montzema de pecunia, qua de re ex ipsorum literis Amplitudo vestra ampliùs cognoscet. Et sanè frugaliter & bene videntur mihi vitam instituere, planèque digni esse, quos suo favore Amplitudo vestra complectatur; celebrâruntque mecum natalem meum, cùm priùs vestrum Folcardus, Denneterius, & ego, soli celebrassemus. Nam dominus Tysnacus biduo ante abierat; & qui eum deducebant officii causa usque in Arenxues, Pfinsingus, & alii, nondum redierant. Non minùs tamen hilariter vobis adbibimus, omniaque felicia ac fausta precati sumus.

Dekamanos quantum potui sum consolatus. Et sanè quamdiu hic una erimus, efficiam ut neque matris neque fratris officium iis desit. Et sanè digni sunt quibus bene fiat; ita honestè ac

modeſtè vitam inſtituunt. Ac quod in ſingulos annos ab amicis illis eſt conſtitutum, ſufficere mihi videtur; reſpondeoque nunc ad eorum literas quas ad me ſcripſerunt.

Super negotio Præpoſituræ Sancti Bavonis ſcribit mihi illuſtriſſimus dominus Cardinalis, ſe omnia, quæ miſeram, accepiſſe, omneque officium facturum: cæterùm cùm ſcriberet, (quod erat XXII. Septembris) ſe nondum quidquam ab Amplitudine veſtra tum accepiſſe. Et quod de Coadjutoria Amplitudo veſtra quærit, prout magiſtrum Buchonem novi, equidem planè dignum judico, qui Amplitudini veſtræ hac in parte ſuccedat. Nec omnino omittendum quin, mox ubi Romæ res fuerit confecta, id hìc agere Amplitudo veſtra incipiat, in quo debitum officium libentiſſimè ac quàm diligentiſſimè faciemus. Reverendiſſimi domini Janſenii librum *in Eccleſiaſticum* perlubenter videbo; ſperoque Tzommonis noſtri cauſam ad optatum finem aliquando venturam, quando tam fidelem operam Wadius illi navat; & Blaſerio cum negocio Tolnenſi omnia felicia ac fauſta eſſe jubeo.

Jam ſuperioribus literis perſcripſi ad Amplitudinem veſtram, Regem his diebus uni ex filiis meis ducentos ducatos penſionis dediſſe ſuper Archiepiſcopatu Hiſpalenſi. Et cum redeunti gratias ea de re agerem, dicebat, cum tempore plura ſe facturum. Vos uxorem dulciſſimam ac liberos iſtinc velim extrudere, ut quàm primùm huc veniant, ſive terrâ ſive mari, quâ primùm via patebit, ſive etiam per Italiam; nam à domino Tyſnaco facilè intelligetis quidnam rei ſit, & an conſultum videatur ut iter id arripiat.

Quod de novis Conſiliariis hinc mittendis Amplitudo veſtra ſcribit: aderit cum domino Tyſnaco Licenciatus quidam, Rueda nomine, Conſiliarius Valiſſeletenſis, qui ſe totum noſtratibus velle accommodare ait: in quo autem Conſilio futurus ſit, negat ſe ſcire.

Ac quanquam quidem dominus Tyſnacus, antequam hæ perferantur, vobis fortaſſe aderit, aut non multò poſt, ipſaſque literas adferet, quas ad Amplitudinem veſtram ſua Majeſtas ſcribit. Junxi tamen his exemplum, ut quàm primùm quidnam rei ſit Amplitudo veſtra cognoſcat.

Cura, Reverende Præſul, optime Pater ac Patrone obſervantiſſime, ut bene valeas, teque nobis ac reipublicæ quàm diutiſſimè conſerves; rogavitque me majorem in modum Cayas noſ-

ter, quo unà cum Velasco familiarissimè utor, nam sic tempus exigere videtur & ipsorum virtus meretur, ut Amplitudinem vestram quàm officiosissimè suo nomine salutem. Madriti, 20. Novembris 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Denneterius paulò rectiùs valet, ac maximè quidem, cùm aliquid habet negotii. Sed ut planè confirmetur, vix est sperandum.

De gratia generali aliquid fortasse boni brevì audietis, scribamque suo tempore de omni re latissimè.

Quoniam illustrissimum Ducem classem adornare aiunt, quam huc mittant, cogitavi ecquid cùm ea uxor venire posset. Quod utrum conveniat nec ne, velim vos isthic dispicere.

Hâc horâ accipio literas à domino Tysnaco è mari, ante Barcinonam XIV. hujus scriptas.

Doctor Mylius Amplitudini vestræ summas agit gratias; & si quis esset qui sibi honestis conditionibus præbendam Condeiensem, qui illi obtigit, resignari vellet, contentus esset id facere.

EPISTOLA LXXXVII.

ARG. *Querela Ducis Albani de arcanis propalatis.*

S. P. Ego Reverende Præsul, heri & nudius-tertius latissimè de omnibus rebus scripsi ad Amplitudinem vestram, quare hæc pro recepta tantùm erunt. Et unde querela illa domini Ducis, de secretis manifestatis, venit, valde bene scio; & nisi pro honore domûs fuisset factum, non abivisset hinc impunè cum suo domino, ut proximis literis scribam latiùs. Bene valeat Amplitudo vestra, & se nobis quàm diutissimè conservet. Raptim, Madriti 22. Novembris 1569. Reverendæ Amplitudinis vestræ addictissimus ac paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Aggæum solum sibi defuisse, verissimum scribit Amplitudo vestra.

EPISTOLA LXXXVIII.

ARG. *Littora Belgica ab Anglis infesta. Placet Regi, quod decimi ac vigesimi denarii indictio in aliam formam cœpta sit mutari. Optat Hopperus, ut quæ nova plurima, eaque optima, procudi ait, brevi ad Belgas perferantur. Multa per ironiam de Hispanis ac Italis Doctoribus & Consiliariis in Belgium missis. Collegii Vigliani in Academia Lovaniensi dedicatio. Denneterius ex morbo animi peræquè & corporis convalescens. Hopperus cum Rege Cordubam proficisci jussus. Consiliarius Boone Hopperi filiam sibi conjugem expetit; Boëtius Epo Regii Historiographi titulum ac munus. De juramento à Prælatis præstando, controversia Regi proposita.*

S. P. Reverende Præsul. Literas Amplitudinis vestræ II. XXIII. & XXVI. Octobris, item X. ac XVII. Novembris scriptas accepi, unà cum aliis ad XX. & XXVII. Julii datis; cum quibus catalogus Hagensis Bibliothecæ, & Ecclesiasticus Jansenii perferebantur. Ad singulas ordine respondebo; deinde ad alia veniam, agens in primis Amplitudini vestræ summas gratias de suo summo in me amore, & in rebus perscribendis diligentia.

De cognati mei Petri Buygers, & neptis vestræ nuptiis, vehementer gaudeo; oroque ut omnia fausta ac felicia esse possint. Scripsitque jam ad me dominus Meghanus, se in gratiam Amplitudinis vestræ & meam in translationem Gritaniæ perlibenter consensisse.

Ad successionem in Præsidatum Nitzenii, utinam tam è re Ecclesiæ esset Aggæum nostrum commendare, quàm ille cætera idoneus est, in tanta Amplitudinis vestræ erga illum voluntate. Ipse solus sibi semper defuit, quod vehementer doleo.

De littorum nostrorum inquietatione per publicas literas parciùs scribitis; sed per privatas intelligimus, minimè leve fuisse damnum quod nostri acceperunt. Qua de re cùm in consilio

non possum dicere, apud Regem tamen solus non omitto quin, sine cujusque invidia, id quod res est intelligat.

Allato libello de centesimi denarii collectione, quoniam otium non habebat ad eum perlegendum, summam ejus à me audire voluit : addens, placere sibi quod decimi ac vicesimi denarii indictio in aliam formam cœpta est mutari.

Consilium Amplitudinis vestræ de profectione uxoris per Burgundiam ac Sabaudiam Genuam usque mihi probatur : & quidem eo magìs, quod Regina nostra mense Martio aut Aprilis ibi putatur futura; in cujus Comitatu inde Barcinonam poterit trajicere. Qua de re ad dominum Chantoneïum, qui unà huc venturus fertur, scribo, ut Amplitudini vestræ significare velit, quo tempore uxor mea Genuæ adesse debeat; & ut eo ipse cum Regina veniens, si qua re possit, eam juvare velit. Reliqua impedimenta per Oceanum mittenda censeo, diligenterque procurandum ut quàm optimum ducem itineris ipsa habeat. Qua in re, & in reliquis omnibus, obsecro Amplitudinem vestram ut, quemadmodum semper fecit, suam illi opem & operam impartiri velit.

Folcardus adhuc mecum est, nec quidquam illi perit temporis ad linguam & alia addiscenda, geritque se & honestissimè & modestissimè; ita ut tanquam filium illum mihi videar amare. Scripsit Dieterstein ad Imperatorem, ut in familiam Principum recipi possit; commodèque accidet ut proximâ æstate in Germaniam cum iis proficiscatur. Nam adveniente Reginâ ipsi continuò feruntur abituri.

Novam petitionem, quæ in locum denarii nummi successit, vidi; & sanè velim jam isthuc transmissa & in publicum data esse, quæ nos hìc plurima, & quidem, ut videntur, optima, jam dudum cudimus : de quibus proximè ad Amplitudinem vestram particulatè perscribam. Sunt enim ejusmodi, ut, non apud nostros modò, sed & apud omnes ubique nationes summam gratiam ac laudem suam Majestatem inde consecuturam sperem.

Quod Hispanos ac Italicos Doctores & Consiliarios isthuc mitti scribitis, non abs re fieri scire debetis, nam cum præstantiores inferioribus natura imperent, ut apud Aristotelem est proditum : utique consentaneum est, nobis barbaris & indoctis, & barbaricis legibus assuetis, eos præesse, & novas leges dare, qui sub clementiore cælo nati, ad omnem humanitatem, modestiam, doctrinam sunt enutriti, & ad jura legesque cognos-

cendas, neque linguâ Latinâ neque Græcâ, neque Philosophiâ, neque aliis ejusmodi rebus opus habent; sed quâ nutricem in cunis, eâdem Doctorem in scholis lingua loquentem audiunt, ejusque dictata excipiunt, quibus per totam vitam pro legibus utuntur; sic ut neque Canones neque Leges Romanas intelligere sit necesse. Ex quibus ut quàm optimi eliguntur qui isthuc irent, inventi sunt, qui Ostracismo Senatu moti sunt, quod non nisi optimis ac sanctissimis Viris contingere solere, Amplitudo vestra non ignorat. Occasione autem sumptâ à Sindicatu faciendo in Burgundiam, dixi suæ Majestati non omnino alienum quidem videri, exteros potiùs quàm domesticos ad eam rem desumi; sed tamen unum considerandum videri, sæpè exteris primâ facie mala videri quædam in provincia non cognita, quæ propiùs tamen aspecta, sunt bona: & naturaliter accidere, ut, qui aliundè adveniunt, ad mutandum & animadvertendum sint procliviores, ne nihil fecisse videantur: quare ad illa incommoda vitanda posse dispicere suam Majestatem, anne conveniret aliquos ex ea provincia, unum vel plures iis adjungere ad rem meliùs dirigendam. Quâ re Rex commotus scripsit ad illustrissimum Ducem, quemadmodum Amplitudo vestra videbit.

De Collegii dedicatione plurimùm lætor; & certò persuadebit Amplitudo vestra, haud vulgare fore, quod Regia Majestas ad ejus ornamentum conferet. Jamque ipsa Cayæ dedit negotii, ut suo tempore ejus memoriam speciatim suggerat; qui pro summa sua erga Amplitudinem vestram observantia, & erga me amore, non omittet quin quàm luculentissimè id faciat; nec ego meo officio deero ad quod tantopere sum obligatus. Illud autem Amplitudinem vestram majorem in modum rogo, ut cum ibi denuo (nam sic puto futurum) de iis tractabitur, qui suis bonis servitiis liberalitatem aliquam Regiam promeruerunt, Cayæ quoque ratio, & quidem non exigua habeatur; nam certè minimè exiguum est quod promeretur.

Dominum Tysnacum quintâ hujus mensis Genuam appulisse accepimus, putamusque ante Calendas Februarias isthic futurum, & Amplitudinem vestram sublevaturum; cui exemplum literarum Regiarum cum his mitto, ex quibus, quanti illum sua Majestas faciat, luculenter cognoscet. Et sanè vel meâ causâ non parum gaudeo, Amplitudinem vestram operam suam in Consilio Statûs non denegare; ut sub quo Duce tam feliciter semper militavi, porro militare pergam.

Denneterius bene nunc valet, Deo adjuvante, & in hac mutatione magno mihi eſt uſui. Curabimuſque ut ſuo tempore illius ratio habeatur, ut omnem melancholiam abjiciat. Nondum potuit ab ſe impetrare; ſed id fiet, ut ſpero, cum tempore; maximè creſcente favore Regio, quem in re, parva illa quidem, ſed aliqua tum, jam nunc eſt expertus. Et literæ Amplitudinis veſtræ non parum animi illi dediſſe videntur.

De Tzommone noſtro bona mihi ſpes inde data eſt, & hinc aliquid etiam procuratum eſt haud exiguum, ſi ſuccedat. Brevì ut puto ſciemus quo res evadet. Ac quantum ad Nitzenii filii negotium attinet, rectum mihi videtur ut in id tempus, quod Amplitudo veſtra dicit, expectetur. Mepſchii Epiſtolam libenter vidi, jamque Friſiam noſtram totam repurgatam eſſe, etiam atque etiam ſpero.

Hactenus ad literas Amplitudinis veſtræ reſponſum eſt; nunc ad noſtra venio, quæ non ſunt multa. Rex Cordubam proximo menſe proficiſcitur, meque ſecum ire juſſit. Ibi utriuſque Senecæ, & Lucani antiquam Patriam, & Avicennæ, aliorumque præſtantiſſimorum Arabum ſedem, volente Deo, videbimus, & Granatam ac Hiſpalim per otium excurremus. Et, ſi quod omnino ſperamus bellum Moriſcorum bene cedat (nam jam nunc conditiones pacis offerre dicuntur) non dubitamus, quin in Valentiam vel Arragoniam Rex ſit iturus, ad Reginam excipiendam, & comitia ex more habenda.

Tractans ſua Majeſtas de novo Epiſcopo Palenciano dando, qui Epiſcopis aliquot noſtris penſionem debet, donec de dotibus illis ſit proſpectum, quæſivit à me, anne aliqui ſint ex iis, qui jam dotem ſuam habeant. Reſpondi de ſingulis; nempe de Groningenſi, Daventrienſi, & Ruremundenſi particulatè, quidnam hucuſque cognôrim, nec non de Leuvardienſi noſtro: addens, mihi videri illum, ſimulatque in poſſeſſionem ſui Epiſcopatûs venerit, poſſe apprehendere totam dotem ſuam, ſic ut penſio mille quingentorum ducatorum quam habet, tum ſit ceſſatura, niſi vobis ſecus videatur. Qua de re ſua Majeſtas ſcripſit ad illuſtriſſimum Ducem, & mandavit ut ſpeciatim ea de re ad Amplitudinem veſtram ſcribam; ut cùm dotem ſuam Epiſcopus Leovardienſis habebit, Amplitudo veſtra illuſtriſſimum dominum Cardinalem Granvellanum ejus continuò velit reddere certiorem. Nam quæ illi debetur penſio, jam aliis eſt deſtinata; ſi quidem illi de dote jam ſit, vel quàm primùm erit proſpectum;

tum;

tum; quod mihi ſanè ſecundùm Bullam videtur, ſi ſatis eam intelligam.

Porro cùm ſua Majeſtas Coraulos ſuos in ſtudiis alat, eaque res ſuas quantumvis moleſtias habeat, tam à parte puerorum quàm dominorum de Financiis, propoſitum hìc fuit anne è re videretur, ut aliquot burſas ſua Majeſtas Lovanii ac Duaci in aliquo Collegio fundaret, tam pro ipſis quàm pro præceptore aliquo, qui curam eorum gereret. Sic enim & ſua Majeſtas mala moleſtia liberarerur, & pueris meliùs fieret; qua de re Rex ad illuſtriſſimum Ducem ſcribens, juſſit, ut Amplitudini veſtræ id ſuo nomine communicarem, qua ſuper re cogitare & illuſtriſſimo Duci ſuum conſilium impartiri velit.

Dominus Chantoneius, quod de Comitatu Granvellano ſuperioribus annis ceperat, nunc renovat; poſtulatque ſua Majeſtas ſententiam illuſtriſſimi Ducis, de quo non dubito quin rem omnem Amplitudini veſtræ communicabit. Et certè ille, tum ſuo, tum fratris Cardinalis nomine, dignus eſt, cui, quatenus res patitur, faveatur.

Uxor de domini Conſiliarii Boone deſiderio mihi ſcribit, circa filiam meam Richiſſam; cui, rem in utramque partem diligenter quantum potui expenſa, latè reſpondi, referens me tandem ad id quod Amplitudini veſtræ, quæ & mihi & liberis optimum patronum ſe ſemper præſtitit, videbitur. Quare rogo, ut hoc ipſum continuando, quod maximè è re videbitur, hac in re nobis conſulere dignetur; & cùm tempus erit, ut de iis qui favorem regium promeriti ſunt, huc perſcribatur, rogatam velim Amplitudinem veſtram ut & mei curam gerere velit; quod ipſam & libentiſſimè & diligentiſſimè facturam nihil dubito.

Cura, reverende Præſul ac patrone, ut valeas, ac quoniam de Salmanticenſibus noſtris, qui rectè ſunt, omnia per eorum literas cognoſcet, nihil opus putavi latiùs ea de re ſcribere. Madriti, 26. Decembris 1569. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Prope omiſeram Boëtium noſtrum petere, ut Hiſtoricus Regius eſſe poſſit; qua de re ad Ducem ſcriptum eſt; & velit ſua Majeſtas Amplitudinem veſtram ſuper ea re nonnihil cogitare, item quia de juramento à Prælatis præſtando inde huc ſcripſiſtis, & quædam hinc vobis quæſtio ſuper ea re eſt propoſita, ad quam nondum eſt reſponſum: optaret ſua Majeſtas Amplitudinem veſtram curæ habere, quo id quàm primùm fiat. Sumque

jam totus in hoc ut de re navali propediem referam. Et quidem ſi Oceanus tutò navigari poſſet, malim uxorem illac venire, quàm per Italiam; quia multò commodiùs eſt; ſed nolui ejus facere mentionem, ne novam moram injiciam, committens rem Amplitudini veſtræ, prout ipſa, appetente vere, & pro ratione rerum Anglicarum videbit convenire. Addidi his exemplum litterarum regiarum ad Amplitudinem veſtram.

EPISTOLA LXXXIX.

ARG. *Denneterius morbo melancholico non ſatis levatus. Aſſenſum Viglio de Ducis Albani animo erga Tyſnacum. De Principis Orangii conjuge, jocus. De reditu Card. Granvellani agi credit Hopperus. Comes Montis-Acuti deſtinatus Orator ad Imperatorem. Prolapſa autoritas Regii Sigillorum Cuſtodis in Hiſpania; quod munus ſuſtinebat Hopperus. Illius redintegrandi conſilia expetita à Viglio. Rex in itinere, Cordubam verſus. Eo Hopperus ſubſequi juſſus. Hiſpaniam omnem commovet Franciſcanus quidam Lobos, quem concionantem non plateæ capiunt.*

S. P. Reverende Præſul ac Patrone. Quoniam ad ſuperiores Amplitudinis veſtræ literas ſuperiore curſu reſpondi, nunc ad eas reſpondebo quæ IV. & IX. Decembris datæ, poſt huc ſunt allatæ. Quid de literis illis quæ Pariſiis manſerunt, factum ſit, ex ſuperioribus meis Amplitudo veſtra cognovit. Poſt enim omnes nobis fuêre redditæ, nec puto aliud quam culpam curſoris ſubeſſe; numquam enim auſus eſt ad me venire.

Denneterius ſubinde meliùs valet, & ſanè abſque eo vix me poſſem explicare, ſed imaginationes ſemper durant, nec unquam deſinit mortem optare.

Quod Amplitudo veſtra de Duce erga dominum Tyſnachum ſcribit, jam diù ſubolfeci; ſed omnino ita ſpero futurum utì Amplitudo veſtra dicit.

De Folcardo jam ſcripſit Dieterſtein ad Imperatorem, omniaque optima ſperamus, locumque illi petimus, ut ſit *Gentilhomme*

de la Maison. Proficiscitur mecum Cordubam, emptus equus, vestitus moderatus, &, quantum humano sensu prævideri potest, nihil non boni ab eo est expectandum.

Salmanticenses Hispanicè jam omnes sciunt, venturusque est, quantum scribit, ad me Cordubam magister Bucho; & despiciemus ecquid in rem videatur, ut in Italia, an hic in Hispania, Toleti fortasse, vel alubi, gradum sumant.

Pergratum fuit suæ Majestati, quod de Cunero Amplitudo vestra scribit, cognoscere; jussitque expressim ut cum ejusmodi rerum particularium quid occurrerit, ejus ipsam faciam certiorem: rogoque Amplitudinem vestram majorem in modum, ut & ipsa, cùm sic res feret, me ejusmodi rerum participem facere velit, quemadmodum semper fecit; nam sua Majestas iis mirificè delectatur, ac maximè quidem cùm ab Amplitudine vestra sunt profectæ.

De Principis Auraicensis conjuge suaviter risimus.

Ab illustrissimo domino Cardinali Granvellano heri accepi literas; sed nullam de sua profectione, aut ejus spe, facit mentionem. Verùm hìc procul dubio tale quid tractatur.

De subsidiis, quis exitus futurus sit, avidè expectamus.

Literas Petri Buygers ad Amplitudinem vestram libentissimè vidi, & præter id, quod aliàs feci, non desinam iterùm eum adhortari, ut suo munere quàm diligentissimè fungatur. Et sanè confido hanc affinitatem nostram in dies magìs ac magìs utrimque fore jucundam.

Res Anglicana diligentissimè hìc à nobis in consilio tractata; accipietisque unam de ea epistolam in forma communi, alteram Hispano-Gallicam.

Et circa rem navalem, jussit sua Majestas ut speciatim ad Amplitudinem vestram scriberem, ut ejus curam habere velit.

Comes Montis-Acuti, qui in locum domini de Chantonay Orator it ad Imperatorem, plurimùm se commendat Amplitudini vestræ; aitque se sæpius scripturum, & omnia communicaturum. Et quantum video, pergratum illi esset si Amplitudo vestra primâ quoque occasione aliquid literarum ad eum daret.

Caduceator quidam Span, amicus meus, cum domino Petro Enriques in Galliam est profectus, & fortasse isthuc cum eo venturus. Ac relinquens ducentos ducatos, rogavit me ut si fortè isthic opus haberet pecunia aliqua, Amplitudo vestra

eam dare velit, nepotibus ſuis hìc ex ducentis illis reddendam, quà in re quicquid Amplitudo veſtra fecerit, meâ fide eſſe jubeo.

Quoniam dominus Tyſnacus (ſuſpicans, ut puto, me omnia habere) tractatus Pacis & ſimilia ſecum abſtulit, oro Amplitudinem veſtram, ut eos, ſumptibus Regis deſcribendos, & ad me mittendos, curare velit; deligens ex plurimis quæ habet optima quæque, & quæ mihi maximè putat fore uſui. Quin & ſi universè complecti dignaretur, quo pacto hìc me gerere, & res & homines tractare debeam, nihil planè accidere poſſet gratius; nam authoritas hujus muneris, quod indignus ſuſtineo, ita prolapſa eſt, ut non niſi ſummo labore & arte, & poſt multum demum tempus in integrum reſtitui poterit, ſi tamen unquam poterit; quanquam ab aliquod menſibus haud parva ad eam facta eſt acceſſio. Omninò autem noviſſimum tractatum Pacis cum Rege Gallorum velim proximo curſu habere, ſi quâ ratione fieri poſſet.

Rex Cordubam abhinc aliquot diebus contendere cœpit, ſcripſitque ad me ex itinere, Talaveræ, Purificationem Divæ Virginis apud Aquas Lupias celebraturus. Ego, ubi curſor hìc abierit, mox ſubſequar, Talaveram, volente Deo, ante feſtum Purificationis perventurus.

Ut uxor & liberi quàm primùm in viam ſe dent, ut in Comitatu Reginæ mare tranſeant, non dubito quin Amplitudo veſtra diligenter, ut omnia, procurabit. Bene valeat Amplitudo veſtra etiam atque etiam in multos annos, & nos, ut facit, amet. Madriti 24. Januarii 1570. ſtilo communi. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Si quæ occaſio ſe offeret quâ Amplitudo veſtra Doctorem Mylium apud illuſtriſſimum Ducem dominum ſuum nonnihil commendaret, ac maximè quidem ut cùm liberalitates ſuas Rex exercebit, etiam ipſius Dux memor eſſe velit, longè ſanè gratiſſimum eſſet.

Scripſit ad me dominus Secretarius Langhius noſter (cui nunc propter occupationes non poſſum ſcribere; ſed faciam proximè) dominum Driutium, Epiſcopum Brugenſem, cupere aliquem ex meis promovere in ſua Eccleſia: ac quoniam filii nondum eâ ſunt ætate ut promoveri poſſint, ſi quidem aliquem ipſi nominem idoneum, facturum perlibenter omne officium. Ac, quia de meis neminem habeo, nec ſcio an Amplitudo veſtra ali-

quem de suis ibi velit promoveri, quem censeo omnibus præferendum : cogitavi de Denneterii nostri fratre magistro Francisco, Licentiato Theologiæ, quem dignum omnino esse audio, cui ea in parte bene fiat. Quod si ita est, rogo Amplitudinem vestram majorem in modum, ut cum dicto domino Driutio per Langium id tractare velit & perficere; quod sanè mihi erit gratissimum.

Illud sæpè cogitavi, & semper omisi scribere, ecquid Mamerano aliquis isthic est inventus successor. Hìc certè habemus quendam qui paria propemodum cum illo faciat.

Totam Hispaniam contudit hic Franciscanus quidam Lobos, Concionator vehementissimus, quem vix plateæ capiunt. Tanta eum hominum sequitur multitudo.

EPISTOLA LXXXX.

ARG. *Hopperus in comitatu Regis, apud Aquas lupias, locum Divæ Virginis religione celebrem.*

S. P. Quoniam, reverende Præsul, abhinc paucis diebus omnibus de rebus ad Amplitudinem vestram latissimè perscripsi ex Madrito; nihil nunc habeo aliud quod scribam, quàm huc salvos sanos, adjuvante Deo, nos pervenisse, ubi Monachi Regem, & nos omnes, magnificentissimè tractant; & me sanè speciatim perliberaliter. Peregrinatio hìc est Divæ Virginis, totius castellæ nobilissima; Monasterium luculentissimum, urbis instar. Ordo in omnibus admirabilis. Centum millia annua plus minus in redditu. Bibliotheca minimè contemnenda, ubi Prior Euthimium græcè manu elegantissimè scriptum mihi ostendit, quem Hentenius, Prior Dominicanorum Lovanii, cùm hìc ageret, latinum fecit, cujus nomen gratum & celebre adhuc est apud hos Religiosos.

Donaria non possum nunc mittere, quoniam Curia omnia consumpsit; sed proximis literis id sum facturus : nam cras aliquid paratum fore auri Faber promisit.

Hic cursor rectâ it ad Imperatorem; nec aliud quàm superiorum literarum duplicatum ei dedimus, additis literis de nuptiis suæ Majestatis, ut Amplitudo vestra videbit.

Quid cum Anglis agatur, avidè expectamus; nam jam duo ferè ſunt menſes quod noviſſimè ſcripſiſtis.

Folcardus mecum eſt; repetivitque heri, ipſo præſente, dominus de Dieterſtain ſe brevì reſponſum ab Imperatore expectare.

Rex cras Cordubam rectâ proficiſcitur; putoque me eâdem die, aut certè proximo Sabbatho, ſubſecuturum. Nam die Veneris Principes eunt, de quibus jam decretum eſt, mox ubi Regina venerit, in Germaniam eos abituros.

De uxore & liberis non dubitò quin Amplitudo veſtra curæ habebit ut Genuam eant, ibique in comitatu Reginæ mare tranſeant.

Plura hoc tempore non habeo; itaque non aliud reſtat quàm ut Amplitudinem veſtram etiam atque etiam valere jubeam, cui ex Corduba, Deo volente, de omnibus quàm latiſſimè ſcribam. Guadalupæ 8. Februarii 1570. Reverendiſſimæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Denneterius noſter dubiâ ſemper eſt valetudine, ac maximè quidem cùm quod vel minimum negotii ſe offert; quod ita eum reddit ſollicitum ut vix apud ſe ſit. Multum de authoritate hujus muneris detrahît tam diuturna abſentia Secretarii; & ſanè propter Denneterii tam incertam valetudinem velim Amplitudinem veſtram cogitare anne ex re eſſet aliquem iſthuc mitti, ſi fortè Cortevillius ipſe venire non poteſt.

Quoniam conficienda nobis eſt commiſſio domini Tyſnaci; & jam abſum à ſcedis meis inter quas ea eſt quam dominus Cortevilius mihi miſit, velim Amplitudinem veſtram rogatam ut aliam mihi mittere dignetur.

EPISTOLA LXXXXI.

ARG. *Spes facta Viglio, in diſtributione bonorum fiſco additorum maximam ejus rationem habendam eſſe. Turcæ mare Mediterraneum infeſtum reddunt. Hopperus familiam ſuam omnem non uni navi creditam cupit; ſed filiolos ſuos majores natu à matre ſeparandos. Imperato vectigali in Belgio minus contradictum iri, ſi, quæ de Gratia Generali & Remunerationibus tanto opere*

ibi expetuntur, præcederent. Licentiâ admonendi, quam tribuit Dux Albanus, parcè & moderatè Hopperus utitur. Viglius curis & labore levatus quidem, Rei tamen publicæ gubernaculo ſemper admotus. De dote Epiſcopi Leovardienſis. Diſſimulatum cum Angliæ Reginæ, Belgis mercatoribus ſemper mari infeſta. Quidam ex cantoribus, qui Madriti ſunt, Namurcenſis Eccleſiæ præpoſituram petit. Ad montes & anguſtias redacti mauri Granatenſes. Mors Ludovici Quexadæ, optimi viri, qui eo bello cecidit. Hiſpalim cogitat Rex Philippus, inde Madritum. Denneterii valetudo ſolito melior. Laudes Epiſcopi Cordubenſis. De Lantſpergenſi fœdere. Succenſetur Imperatori quod in id fœdus non pertraxerit Regem. Memoranda Cordubæ. De Univerſitatibus ornandis & augendis actum; quâ occaſione cuperet Hopperus Profeſſores duos Artium Mathematicarum Lovanii inſtitui, duos item Philoſophiæ ac Politiæ, a quibus, *inquit*, magna pars ſtudiorum Theologiæ ac Juris dependet.

S. P. Reverende Præſul; tametſi ad nonnullas ex Guadalupa jam me reſpondiſſe exiſtimem, ne quid tamen omittatur, ad eas Amplitudinis literas reſpondebo, quæ Decembris XVII. & XXIX. Januarii XI. & Februarii VIII. IX. XVIII. XIX. & XXII. fuêre datæ; quibus ea, quæ hìc nunc ſe offerunt, addam.

De Maſio nihil dubito quin eum dolorem Cancellarius, & alii, ceperint, quem Amplitudo veſtra ſcribit. Et velim ſanè Hovelmannum illi ſuccedere. Quod ſi minùs fieri poteſt, plurimùm me rogarunt Veen & Penſionarius Vilvordienſis, qui ſanè dignus eſt cui bene fiat, ut Amplitudini veſtræ poſſint eſſe commendati.

Nihil dum Amplitudini veſtræ ſuper diſtributione bonorum confiſcatorum eſſe communicatum, valdè miror. Reſpondit tamen Dux ad ea quæ hinc erant miſſa; & ubi primum Rex redierit, qui uno miliari hinc abeſt, puto omninò forè, ut

de tota re tractetur, finiſque ei imponatur: ubi jam omnes, & in his Cardinalis, luculentiſſimè mihi promiſerunt, fore, ut Amplitudinis veſtræ maxima ratio habeatur. Nec omittam quin in ipſa tractatione id refricem, quemadmodum & de tribus Secretariis, de quibus Amplitudo veſtra ſcribit, ſum facturus. Et jam ſemel atque iterum dixi ſuæ Majeſtati, minùs eum dare qui ſerò dat.

Ex literis Noircarmii ſubolfacere mihi videor, ipſum harum rerum (uti & Amplitudo veſtra ſcribit) quoquo modo fuiſſe participem. Magnas turbas hic dedit, quod de diſturbandis nuptiis (de quibus Amplitudinem veſtram puto audiſſe) ad Regem & pleroſque omnes ille ſcripſit, & rogatu illius Illuſtriſſimus Dux.

Quod de Nepotum in Italiam profectione, & reditione in Patriam, Amplitudo veſtra ſcribit, Magiſtro Buchoni & Montſemano, qui me hac in urbe viſerunt, ſignificavi: ſeque ita facturos reſponderunt. Nec dubito quin Dekamani idem ſint facturi.

Eccleſiaſticum Janſenii accepi, de quo ad eum ſcribo. Reſponſum eſt ad literas menſis Decembris.

De Tzommone jam binis literis, ex Conſilio ubi ea res agitur, bene ſperare jubeor. Quid tandem futurum ſit, valde avidè expecto.

Ut Regina iſthac ad mare deducatur, illincque huc naviget, jam, puto, decretum eſt. Nam adventus Turcæ Mediterraneum mare infeſtum reddit. De uxore Amplitudinem veſtram manibus & pedibus adniti velim ut omninò veniat unà, & ſi qua fieri poteſt ante, ut & ipſe ei ſuadeo, hortor, moneo. Et ſi ſic Amplitudini veſtræ videtur convenire, velim filiolos duos majores cum Cornelio ſtatim huc accurrere, ne tota familia mea uni navi committatur, omninò illam venire, ſive mari ſive terrâ, etiam atque etiam opto; quanquam mari venire & commodiùs, & minùs ſumptuoſum videtur.

Literas Mepſchii de Pyratis ſuæ Majeſtati legeram, antequam poſtremæ literæ Ducis, cum iis conſentientes, adferrentur; ſimulque dedi operam ut in memoria ſua Majeſtas habeat quæ de optimis officiis; & damnis receptis, olim fuêre perſcripta. Nec omittetur, quin illius ratio, utì par eſt, habeatur.

Veni ad menſem Februarium, ubi primum magiſtri Jacobi negotium ſe offert; de quo primâ occaſione referam. Nam

propter

propter Feſta Paſchalia hactenus non potui; nec dubito quin pergratum Regi futurum ſit, rem eò, quo ſcribit, perductam eſſe.

Maximas etiam atque etiam gratias ago de tractatu pacis Cameracenſis miſſo; oroque Amplitudinem veſtram majorem in modum ut de cæteris ita continuare velit, & ſi quæ ſunt alia, quæ uſui mihi fore arbitrabitur, tantumdem facere dignetur. Nam ad quem, quàm ad Amplitudinem veſtram recurram, alium non habeo nec habere volo.

Gratiſſimæ ſuæ Majeſtati fuêre Amplitudinis veſtræ literæ, ad quas proximo curſu uti reſpondeatur, jam juſſit; & ſi quid mea poterit præſtare opera, minimè vacuæ venient.

Nominatio Conſilii Friſiæ valde mihi placet, nec dubito quin ex ſententia res ſuccedet; de qua proximâ ſeptimanâ cum aliis, Deo volente, referam.

Crediderim ad ſubſidii petiti impetrationem faciliùs perventum iri, ſi quæ de Gratia Generali & Remunerationibus tantopere ibi expetuntur, præcederent. Qua de re Regem admonui, & Ducem admonebo; nam nunquam (pro ſuo erga me favore) intermittit per ſuas literas me hortari ut quàm liberrimè omnibus de rebus ſententiam perſcribam: ab nullo ſe mortalium libentiùs quàm à me audire. Ego de tanta gratia ſummas, utì debeo, gratias ſemper ago; libertate autem quam dat parciſſimè & moderatiſſimè utor.

Quid de his omnibus rebus factum erit, quàm prolixiſſimè ſuo tempore ad Amplitudinem veſtram perſcribam, quam uti labore levatam vehementer gaudeo, ita rebus præfectam manere, & reipublicæ & meâ causâ majorem in modum lætor. Nam ſingulæ literæ ſingulæ mihi ſunt doctrinæ,& ſua Majeſtas earum auditione plurimùm delectatur.

Ruedam & alios placabiliores quàm alterum illum fore ſpero. Et Patavinus ille homo mihi doctus videtur; jamque bis ad me ſcripſit, nec omittam omni officio, quoad potero, ei reſpondere.

Perlibenter intellexit ſua Majeſtas quod de Epiſcopo Leovardienſi Amplitudo veſtra ad me miſit; optatque ut Amplitudo veſtra ſpeciatim curæ habeat ut cum Priore Bergumenſi quàm primùm tranſigatur, ita ut Epiſcopus dotem ſuam habeat, quâ de re heri nominatim ad me ſcripſit. Ipſum autem Epiſcopum aliquid literarum ad Regem dare, non eſſet fortaſſe alienum.

De Choraulis, ita ut Amplitudo veſtra perſcripſit, ex literis

ipſius referam; nec non quod de Boëtii poſtulatis illuſtriſſimus Dux reſpondit. Videturque admodum altè Boëtius rem repetere; quod neſcio an admodum ſit neceſſarium, aut certè tanto molimine dignum. Non deſinam tamen officium facere ut oportet.

De Juramento ſuperioribus menſibus ad Ducem Rex ſcripſit. Ceterum nihil inde adhuc reſponſi eſt datum.

Circa rem Anglicanam primum conſilium illuſtriſſimi Ducis Rex ſequitur, nempè ut ad tempus diſſimuletur, deque omnibus omnino quæſtionibus tractetur. Qua de re procuratoria ad vos eunt, cum aliis, quæ Amplitudo veſtra videbit.

Super iis, quæ proximè perſcripſiſtis, ubi ſua Majeſtas redierit, tractabitur. Et jam multum remiſſum eſt de primo illo impetu.

De Folcardo, Dieterſtein reſponſum ab Imperatore ſe expectare ait. Interim apud me eſt, & perhoneſtè uti ſemper, ſe gerit, nec quidquam inutiliter profundit. Et ſanè nihil mihi poterit accidere gratiùs, quàm ut quàm diutiſſimè apud me ſit; dignumque omninò conſideratione videtur id quod Amplitudo veſtra dicit, ne temere in Germaniam ablegetur. Nam tametſi quidem de curia Imperatoris, & juvenis conſtantia, nihil eſt dubitandum: tamen neſcio quo modo ſuſpecti ſemper ab iſtis hominibus habentur, qui Germaniam viderunt. Itaque Dieterſteynium non urgebo; & ut maximè ultro reſponſum veniat, nihil tamen, niſi Amplitudine veſtrâ prius conſultâ, de illo ſtatuam, ipſumque interim ut meum habebo, & in omnibus rebus honeſtis exerceri curabo.

Quod de filiolis meis Amplitudo veſtra tam benignè offert, non poſſum non ſummas eo nomine agere gratias. Sed quoniam jam Regi dixi huc illos venturos, & ipſe etiam ad aliquot menſes eos inſtituere cupio, è re videtur ut ad annum aut biennium hic ſint; undè mox Lovanium eos, Deo volente, mittam, ut ordinarium curſum ſtudiorum ibi peragant; quo tempore Amplitudini veſtræ eos commendabo.

Quod de Filiæ matrimonio Amplitudo veſtra & uxor feceritis, ratum gratumque habeo, & perlibenter tam ab Amplitudine veſtra quàm ab uxore (ſecundùm quod ſcribit) proximis literis intelligam quænam illa ſit altera conditio. Nam utì in omnibus, ita & in hac re, ad conſilium Amplitudinis veſtræ me accommodare cupio.

Gubernatoris Baupamensis negotium curæ habebo : nec omittam quin proximâ occasione de ea referam.

Hic quidam est ex cantoribus, qui Namurcensem Præpositu-ram petit ; quæ nescio an vacat, & utrum ad Regis an Ducis sit dispositionem.

Bellum contra Moros valde feliciter, gratia Deo, procedit; nisi quod Ludovicum Quexadam, optimum virum, amisimus. Recuperatum ferè est quidquid extra montes occuparant, in quibus nunc se continent; nec diu sustentare se posse plerique omnes locorum & rei militaris periti arbitrantur : quod ita Deus velit.

Videmur proximo mense Hispalim profecturi, indeque Madritum recursuri, sub Idus Junii plus minus. Interim utinam uxor & liberi adessent, ut illic eos reperirem; ad quam rem non dubito quin Amplitudo vestra adjutor nobis erit, ut eam, licet timidissimam, perpellat, quemadmodum & ipse meis literis facio. Et quoniam magna pecunia opus erit, velim operam dari ut ad Januarium usque superiorem de salario meo ei satisfiat.

Valetudo Denneterii confirmatior est solito; speroque hâc occasione nos effecturos ut aliquid illi dignum tot annorum laboribus impetremus. Faxitque Deus ut quod de fratre ejus apud Episcopum Brugensem cœptum est, bene succedat.

De Hesselii filii morte doleo. Et scribit mihi Langius noster jam de filiæ ejus & Hesselii matrimonio fuisse constitutum. Ita homo proponit, Deus disponit.

Cardinalis plurimam salutem Amplitudini vestræ adscribi jussit; nec quidquam sibi antiquiùs fore ait, quàm ut Amplitudini vestræ servire & prodesse possit.

Episcopum hìc habemus Cordubensem, optimum ac doctissimum senem, & jam ex pauca ista consuetudine summa mihi amicitia conjunctum.

Hactenus nullos calores sensimus; sed frigus potius. Verùm mutato vento, qui in Septentrione hactenus est, summâ vi nos invadent.

De Lantspergensi fœdere hìc multum agitur. Succenseturque Imperatori quod suam Majestatem in eam societatem recipiendam non curarit. Ego an isthic res publicè tractata sit, nescio; nec satis adhuc dijudico, utrum ex re sit id tantopere contendere, an non.

Ut de re Anglicana quàm primùm responderetur, semper ur-

ſi; ſed Granatenſe graviſſimum contra Moros negotium, & alia ejus generis, omne ſibi tempus vindicarunt.

Cura, reverende Præſul, ac patrone, ut quàm optimè valeas; & iſthoc tam exoptato otio quàm ſuaviſſimè utare, ut nos omnes clientes & amici deſideramus. Cordubæ, ultimâ Martii 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

Ferunt hìc Senecæ domum extare, qui Cordubenſis erat, & Lucani, qui ex proximo vico, cui adhuc Luca nomen eſt. Sed nondum otium habui ut viderem.

Mahometanum hìc eſt templum antiquiſſimum, plus quàm mille columnarum, ubi nunc Eccleſia eſt Epiſcopalis. Vetus Corduba miliari hinc abeſt, ad fauces montium. Hæc in plano eſt ad Betim fluvium, venimuſque huc per Tagum & Anam, nobiliſſima Hiſpaniæ flumina.

Placebit Amplitudini veſtræ commiſſionem ſuam concipere quâ formâ videbitur convenire; quam ſecuti hìc rem expediemus.

Quoniam de Univerſitatibus ornandis & augendis agitur, propoſui anne ex re fortaſſe videri poſſet, ut Lovanii Profeſſores duo Artium Mathematicarum, quæ ab illa Univerſitate abeſſe videntur (niſi quod Status unum habeant) conſtituerentur; & duo Philoſophiæ ac Politiæ, à quibus, meo judicio, magna pars ſtudiorum Theologiæ ac Juris dependet, & aliorum, qui ad Rempublicam aliquando ſunt acceſſuri.

Mors Tiletani ac Vulmari vehementer mihi ſanè & ex animo dolet. Sed quando ita Deo viſum eſt, ad ejus voluntatem nos accommodemus oportet.

Dum has puto conſignare, ſuperveniunt literæ Cardinalis noſtri Spinoſæ ad Amplitudinem veſtram. Suſpicor aliquid eas bonæ rei aut certè ſpei continere; nam proximo ſuperiore congreſſu omninò ſe dicebat ſcripturum; quod curiale putabam eſſe; ſed gaudeo ex animo dictum fuiſſe. Poſt datum 5. Aprilis anno 1570.

EPISTOLA LXXXXII.

Arg. *Epiſtola domeſtici ferè argumenti Hoppero.*

S. P. Quoniam omnibus de rebus, Reverende Præſul, prolixè ſcribo per eum curſorem qui hinc recta ad vos proficitur, per hunc, qui ad Imperatorem mittitur, & noſtram duplicatam perfert, non aliud quàm hoc ipſum dicam; rogans Amplitudinem veſtram majorem in modum, ut quemadmodum ſemper fecit, uxorem hortari non deſinat, ut-quàm primùm huc ad nos ſe conferat, nec ante deſiſtat quàm id omninò perfecerit.

Illuſtriſſimus Dux peramicè ad me ſcribit, ſe illam omnibus rebus, quibus opus erit, adjuturum; quod non dubito quin ſit facturus. Scribo uxori, conſultiùs mihi videri ut mari quàm terrâ veniat, & ante Reginam potiùs, quàm in ejus comitatu. Quod tamen ita velim accipi, niſi Amplitudini veſtræ aliter videatur. Et ſi tanta ejus eſt timiditas ut ſola venire non audeat, nihil dubito quin adveniente Reginâ facilè illam extrudetis; maximè accedente authoritate Amplitudinis veſtræ, & domini de Chantoney, qui per literas mihi pollicitus eſt ſe libenter omne officium facturum: apud quem difficilem ampliùs ſe præbere, ut ſpero-verebitur; quanquam viſis meis literis planè confido etiam ultro in viam ſe daturam.

Rex hoc veſpere ex agro in urbem revertitur; ſperoque tandem ſeriò manum nos rebus admolituros. Bene vale, reverende Præſul ac patrone, & ſuaviſſimo hoc otio, quod Deus tandem dedit, ſuaviter fruere, Cordubæ 4. Aprilis 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA LXXXXIII.

Arg. *Rex pollicitus ſe acturum Hiſpali de toties expetitis remunerationibus.*

S. P. Quoniam hic Curſor Gallicus it extra ordinem, Reverende Præſul, extraordinariè quoque hoc & breviter ſcribam;

idque eo magìs quod proximo cursu superiore de omnibus perscripsi, quantùm potui accuratè, & quod brevì alius ad vos iturus est cursor noster ordinarius. Nam quicquid est in manu mea negotium jam paratum est.

Nos hâc septimanâ Deo adjuvante, Hispalim cogitamus unà cum Rege, quam ipso die Sancti Philippi sua Majestas, ut putamus, ingredietur. Ibi tandem promisit (nam omnes instamus quantum possumus) de nostrorum hominum & aliorum remuneratione se acturum: quod Deus faxit. Inde recta Madritum videmur reversuri (nisi bellum Mauricum nos detineat) ubi magno velim uxorem & liberos me posse reperire; quod per Dei Gratiam spero.

Literas Amplitudinis vestræ, ad quas respondeam, nullas habeo; nisi quod his diebus, hoc est decimâ hujus mensis, allatæ sunt mihi Amplitudinis vestræ, & aliorum amicorum literæ, anno 1568. mense Novembri, scriptæ. Credo in Anglia tandiù latuisse, exempla tamen earum ante acceperam.

Folcardus bene & valet & se gerit. Cura Reverende Præsul, ut valeas, & te nobis quàm diutissimè conserves. Cardinalis noster Spinosa multam Amplitudini vestræ adscribi jubet salutem Cordubæ 24. 1570. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXXXIV.

ARG. *Aula Hispanica Hispali, tùm Cordubæ, mox Jaënnæ, indè Ubedæ, donec cum Mauris Granatensibus debelletur; extremo denique Junio Madriti. Hopperus semper in comitatu. Sic totus annus peregrinationibus exactus.*

S. P. Quoniam cursor noster brevì est iturus, reverende Præsul, per quem de omnibus & ad omnia prolixè rescribimus; has non alia de causâ dedi, quàm ut mercatoribus quibusdam morem geram, qui Amplitudini vestræ commendari petunt; qui sunt, Antonius Venduvilius, qui hinc ad vos it, & Jacobus de la Faille, qui isthic degens, hic Institorem suum habet, per quem hoc me rogavit.

Dies jam ſunt quindecim quod in hac urbe ſumus, quæ Regiam Majeſtatem luculentiſſimè accepit; & noſtri, qui hìc ſunt mercatores, peramicè me tractant. Hâc nocte (nam die per æſtum non licet) Rex abit, egoque mox, Deo volente, ſubſequar, ut ad Feſtum Venerabilis Sacramenti Cordubæ reduces ſimus, unde mox Jaënnam cogitamus, indeque Ubedam, ubi aliquantulum ſubſiſtemus, donec res Granatenſis, aut abſolvatur, aut ita conſtituatur, ut brevì abſolvi poſſit; quod utinam Deus faxit. Extremo autem Junio Madritum nos redituros ſperamus; &, ſi per Oceanum Regina venit, Valiſſetum, aut Burgos uſque, obviam illi fortaſſe prodibimus. Ita totum hunc annum in continentibus peregrinationibus tranſigemus.

Quanquam ſecundùm ea, quæ nuper ſcripſiſtis, uxorem ac liberos jam in itinere eſſe, vel etiam in Hiſpaniam appuliſſe ſperem, tamen ne quid officii omittatur, dedi ad eam literas his junctas; quas, ſi, quod ſpero, abierit, Amplitudo veſtra aut in ignem conjicere, nam nihil magnæ rei continent, niſi ut omninò veniat: aut huc remittere poterit. Bene valeat Amplitudo veſtra, & ſe nobis quàm diutiſſimè conſervet.

Folcardum ad diem unum aut alterum hæc Betica tentavit; ſed nunc rectiſſimè valet. De Igrammo ſecundùm optata factum eſt. In ejus locum velim Sabinum, Petri Buygerii vitricum, affinem utriuſque noſtrum, ſuccedere. Sive enim vitam & mores, ſive eruditionem ſpectes, dignus ſanè eſt, meo quid judicio, cui bene fiat. Itaque ad hoc adlaborari etiam atque etiam cuperem. Raptim Hiſpali 16. Maii 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA LXXXXV.

Arg. *De decimæ Vectigalis incommodis, cum Rege actum. Mitiora conſilia, ſi unius Regis arbitrio, & non Ducis Albani, res tranſigeretur. Viglius in Collegio ſuo Lovanienſi vitream feneſtram Regis Philippi honori locat. Querela Hopperi quod in reorum cauſſa Hiſpanicis conſiliis omnia regantur; ſubditque*: hic numquam quemquam abſolutum audio; judice honoris ſui, ne quid temerè feciſſe videatur, quàm meritorum

caussæ magis rationem habente. *Diploma gratiæ Regiæ ac Pontificiæ jam à septem mensibus in Belgium missum; qua de re neque ad Viglium, neque ad alium quemquam aliquid privatim scriptum, vetante Rege. De dotibus Episcoporum. Resarcienda pensio Echternacensis Monasterio filio Comitis Berlemontii. Litteræ Card. Seguntini ad Viglium perfrigidæ;* sed, uti sunt homines, *ait Hopperus*, ita iis utendum. *Gratulatum Viglio, quod jus Nominationis Consilii Mechliniensis tam diligenter tueatur, sicque quorumdam hominum, quibus gratæ res novæ, libidini obsistat. De bonis damnatorum Fisco attributis. Novum Equitum Ordinem, ex bonis iis ditandum, Rex instituere meditatur. Mauri ad deditionem acti. Dux Albanus à Rege contendit, ut provincia abire liceat, Belgicæ rebus filio suo tantisper præside relicto, dum alius successor detur.*

S. P. Jam sæculum mihi videtur, Reverende Præsul, quod neque acceperim ab Amplitudine vestra literas, neque ullas ad ipsam dederim; nisi quod Hispali, mense Maio, nescio quid raptim scribebam, quod Mercatoribus isthuc proficiscentibus tradebam: ratus post triduum nostrum cursorem iturum, quod tamen hactenùs factum non est, quantumcumque Regem, & coram, & per schedulas interpellarim, referens semper de iis quæ isthinc sunt allata, & parans responsiones ad ea suo quoque tempore, ut ex datis temporum ac locorum videbitis.

Respondebo nunc ad literas Amplitudinis vestræ, Calendis, XIV. ac XVI. Martii item VII. ac XXVII. Aprilis Bruxellæ, & III. ac V. Maii Antverpiæ datas. Nam quantum ad alias, quas anno sexagesimo octavo mense Novembris scriptas, mense Aprili proximo superiore primùm accepi, idque cum magna cerimonia eorum qui illas adferebant, quibus de fideli traditione ipsarum documentum dandum erat: jam perspicit Amplitudo vestra nihil in iis contineri, de quo non intereà temporis sæpiùs inter nos fuit tractatum.

De

De Tractatibus missis magnas habeo gratias; dispiciamque quibus aliis opus habiturus videbor. Et si schedas suas aliquando lustrando aliquas Amplitudo vestra invenerit, quas mihi usui esse posse censeat, quæso ut earum exempla per oportunitatem ad me mittere dignetur.

Cum Trajectensibus spero fore ut suo tempore mitiùs agatur; mirorque de Valencenis nihil hactenus fuisse constitutum, unde tamen prima mali labes extitit.

De Decimi Denarii incommodis, occasione literarum Amplitudinis vestræ & aliorum latè cum sua Majestate tractavi. Nec dubito quin si illustrissimus Dux ad ipsam rem rejiceret, moderatiùs ageret, & una aliqua summa contenta esset.

Quis Regis erga Amplitudinem vestram sit animus ex ipsius literis, quæ his junctæ sunt, cognoscet. Ac præterquam quod de annuo salario, ita, utì ab Duce perscriptum erat, statuit, tum in distributione mercedum, ut vocamus; se summorum meritorum vestrorum diligentem rationem habiturum jam tertio ultrò dixit, cùm nuper, in itinere, de fenestra vitrea in Collegio Amplitudinis vestræ in honorem ipsius posita referrem; quod pergratum sibi esse utì ad Amplitudinem vestram perscriberem, jubebat.

De Cortevilii adversa valetudine vehementer doleo. Et sanè si est ejusmodi, ut huc redire non possit, è re esset ut de Denneterio in illius locum surrogando, aut certè illi adjungendo, cogitaremus, ad quam rem post illustrissimum Ducem & Amplitudinem vestram, nemo magìs quàm ipse adjuvare apud suam Majestatem posset. Et verò spero perlibenter id eum facturum; quoniam Denneterius omnem operam quam potuit illi semper exhibuit. Nec sanè convenit servitio suæ Majestatis, ut hìc diutiùs sine Secretario simus. Denneterii valetudo ejusmodi est, ut neque omnino desperem, nec tamen certi quidquam promittere audeam. Nam semper ubi quid se offert negotii, quantumcumque parvi, recurrit malum, sed non æquè vehementer.

Reverendissimo domino Brugensi de beneficio in meam gratiam fratri Denneterii oblato, gratias debeo. Illum autem crastina ova pro præsentibus pullis maluisse miror; certè cum juris nostri Brocardicis non convenit, ubi etiam ova præsentia crastinis pullis præferuntur.

De Rintzii fratris morte graviter doleo; nam optimus sanè vir erat, & Regi fidelissimus, utì ad ipsum retuli. Qui uti suo

tempore memoria ejus habeatur, imperavit. Et sanè quod Dodo Sycxma, meus cognatus, in locum ejus successit, ex animo gaudeo.

Tzommonem nostrum laxiùs haberi lætor. Nec miror non absolvi; quoniam cum Hispanicis consiliis in eo consessu omnia regantur, hìc nunquam quemquam absolutum audio, judice honoris sui, ne quid temerè fecisse videatur, quàm meritorum causæ, magìs rationem habente: superaturum autem tandem id quod justius rectius ac melius est, etiam atque etiam spero. Nam ut ad gratiæ generalis beneficium Tzommo recurrat, haud scio an consuli ei debeat, cùm sit innocens, quantum intelligo: aut etiam an fieri possit, propter quandam ipsius gratiæ clausulam. Quomodocunque res cedat, Wrdius certè optimam illi operam navavit.

De utriusque Pontificiæ ac Regiæ gratiæ publicatione utinam aliquid proximis literis audiamus; nam abhinc mense Novembri superiore hinc eam misimus, qua de re Amplitudo vestra mihi ignoscet quod nihil scripserim; nam Rex ipse, & dicto & scripto, ne quisquam mortalium, cujuscumque ordinis is esset, id sciret, interminaverat. Cœpta autem est res tractari postridie quam dominus Tysnacus hinc abierat; & cùm super formis gratiæ, tam isthinc missis, quàm hìc à Doctore Velasco conceptis variæ disputationes moverentur: placuit tandem quatuor diversas formas mitti, ut quam vellet Dux ex iis eligeret: reliquas remitteret. In qua electione utrum Amplitudo vestra intervenerit, & quænam forma electa sit, suo tempore, Deo volente, intelligemus.

De Episcopatûs Leovardiensis bono successu plurimùm gavisa est sua Majestas, cui literas ipsius Episcopi totas legi. Unum autem occasione schedulæ ab illustrissimo Duce super dotibus Episcoporum transmissæ ad Amplitudinem vestram perscribere Rex jussit; nempe quid de Præpositura Bolsvardiensi fiat: ecquid eam Episcopus Leovardiensis, tamquam sibi in dotem assignatam, & jam diu, utì Bulla ipsa dicit, vacantem, habeat nec ne. Ac quoniam inter monasteria non vacantia, quæ Episcopis in dotem dantur, hæc inveniatur differentia, nempè quod de Abbatiis semper dicitur tum demum in dotem eas cessuras, ubi per mortem præsentis Prælati vacaverint; de aliis autem Monasteriis, cujusmodi sunt Bergum pro Leovardiensi Episcopo, Sanctæ Ursulæ vel Agnetis (si satis memini nominis) pro Da-

ventrienſi, & ſic deinceps, abſolutè dicitur, in dotem ea aſſignari, nullâ factâ mentione mortis alicujus: velit ſcire ſua Majeſtas, anne inducto in poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ Epiſcopo, illi continuò cedere debeant ejuſmodi Monaſteria ſive alia Collegia, ſalvâ honeſtâ proviſione Monachorum, utì de Bergumenſibus bene factum eſt. Et ſi ita eſt, videtur Daventrienſis Epiſcopus ſimul ac in poſſeſſione fuerit, ſupradictum Monaſterium Sanctæ Urſulæ vel Agnetis, juſtè poſſe apprehendere, ſtatuendo de Monachis quemadmodum decet.

De Haerlemenſi nihil adhuc paſſum ſummum Pontificem ab ſe impetrari, illuſtriſſimus Cardinalis Granvellanus nuper ad me perſcripſit.

Reverendiſſimum dominum Sonnium tam honorificè in poſſeſſionem Epiſcopatûs Antverpienſis & Abbatiæ Sancti Bernardi inductum, plurimùm ſuam Majeſtatem & nos omnes delectavit. Nec minus de Epiſcopo Buſcoducenſi accidit.

Ut de penſione Echternacenſi perdita filius domini Berlamontii reſarciatur, primâ quâque occaſione, cùm de rebus monaſticis agetur, diligenter curæ habebo, utì ad ipſum dominum Berlamontium ſcribam latiùs.

Quid de Boëtii noſtri poſtulatis factum ſit, ex literis Regiis Amplitudo veſtra cognoſcet. Nec verò ſecundùm illuſtriſſimi Ducis reſcriptionem aliud efficere potui; & cùm poſteriores literæ Bertii ad me venirent, jam res multò ante erat conſtituta.

De commiſſione Amplitudinis veſtræ, ubi eam huc mittere placuerit, omnia diligenter procurabo, & ſi qua queat fieri per otium, ut domini Tyſnaci commiſſionem nunc mittam, faciam; ſin minùs, per primum curſorem id omnino ſum facturus.

Literæ Cardinalis Seguntini ad Amplitudinem veſtram perfrigidæ mihi viſæ ſunt; ſed utì ſunt homines ita iis utendum.

Quod de Folcardo Amplitudo veſtra tam diligenter quærit, is, laus ſuperis, bene valet, quemadmodum toto hoc itinere fecit. Atque uti corpore perpulchro eſt, ita & vitâ ac moribus non minùs pulchris. Me in Eccleſia, menſa, & omni conſuetudine, ut patrem obſervat. Verſatur cum honeſtiſſimis quibuſque, exercitia facit honeſta. Pecuniam diligenter cuſtodit; & ſi quæ ſunt alia ejuſmodi, ad virtutem omnia. Bene ſanè accidit quod Imperator Dieterſteynio nondum quidquam reſpondit. Nam jam illi id mihi referenti, & dilationem ægrè ferenti, dixi non minùs gratum nobis fore, ſi in eorum Principum, qui cum

Regina veniunt, familiam admittatur. Et ſanè rectum mihi viſum eſt conſilium Amplitudinis veſtræ ne in Germaniam Folcardus eat; dabimuſque operam ut in juniorum, quos dico Principum, vel Reginæ, aut etiam ipſius Regis (ſi Amplitudo veſtra patitur) ſervitium recipiatur.

Quantum ad Salmanticenſes, eſt hic nunc Magiſter Bucho, ut de profectione Italica communi conſilio ſtatuamus. Viſum eſt convenire ut, ſi qua fieri queat, proximo autumno eant; eamque ad rem, quantum ſatis eſt, viatici moderatè ſumant, in hujus ipſius ſemeſtris ſumptum. De ſocietate deſpeximus, ecquid in Oratoris Veneti, vel novi Cardinalis, Generalis fratrum Prædicatorum comitatu eſſe poſſint; ſed negant ſe quidquam de profectione ſua habere certi. Itaque reſtat Dominus Ludovicus de Torres, Pontificis de rebus Venetis ac Turcicis legatus Illuſtriſſimo Domino Cardinali Granvellano & per eum magnâ amicitiâ conjunctus, qui propediem fortaſſis Romam eſt rediturus. Sed quia abeſt, certum non ſcimus; verùm quàm primùm venerit, reſciſcemus, & ſecundùm hoc conſilia noſtra dirigemus. Nec abs re videretur, ſi extremo Auguſto noſtri Barcinonam recta contenderent, ibique Dominum Ludovicum, vel quem alium, cui ego illos commendarem, expectarent. Nam cum illi per equos celeres Barcinonam uſque ferè eant, neceſſarium eſt ut noſtri præcedant. Ac quoniam quidem Decamani in hoc magis inclinare videntur, ut cum reliquis ſe conjungant, non mihi videtur voluntati eorum obſiſtendum, quàm tamen ubi venerint propius cognoſcam. Nam Hiſpanicè nondum omnino exactè eos ſcire ſuſpicor; quod tamen apprimè videtur neceſſarium.

Quod circà uxoris ac liberorum profectionem tantùm laboris Amplitudo veſtra ſumit, maximas etiam atque etiam habeo gratias. Et ſanè voluiſſem ipſam Reginæ adventum antevertere; ſed quando Illuſtriſſimo Duci placet ut in ejus comitatu veniat, utì latiſſimè & amiciſſimè ad me ſcribit, ipſe quidem in genere, ſed ſpeciatim ejus juſſu Cortevillius, æquum eſt ut ei pareatur. Nec dubito quin Dominus de Chantonay, pro ſuo ſummo, quem ſemper erga me oſtendit, favore, ſuam quoque operam illi libenter impartietur, maximè intercedente Amplitudine veſtra, cui ipſam & liberos totos commendo ac committo. Et ſanè per bene factum mihi videtur, quod Dominum Oudart ſocium illi adjunxeritis.

Quod de filiis tam amicè ac planè paternè, ut ſemper, Amplitudo veſtra offert, non poſſum non omnibus modis acceptare. Nec ſanè omittam quin quàm primùm Lovanium eos remittam, ubi primùm non nihil indolem eorum cognoro, & præceptis quibuſdam paternis, quorum per totam vitam memores ſint, Deo adjuvante, imbuero. Facietque fortaſſis aliquid ad rem præſentia eorum ut tantò citiùs ab Rege illis proſpiciatur. Ac quantùm ad filias attinet, ſanè velim ipſas jam nunc honeſtè collocatas. Nec ſanè puto defuturam occaſionem de honeſto aliquo munere iis providendi, qui illas peterent aut ducerent, ſive in Friſia id eſſet (ubi ſanè nonnullos de meis degere velim) ſive alubi. Nam quantùm ad Reginam pertinet, haud ſcio an, etiamſi fieri poſſet, ex re ipſarum eſſet apud illam eas collocari.

Bene facit Amplitudo veſtra, quod Jus Nominationis Conſilii Mechlinienſis tam diligenter tuetur. Tanta enim quibuſdam hominibus cupiditas ineſt innovandi omnia, ut, niſi fortiſſimè iis reſiſtantur, ad ſuum arbitrium cuncta videantur mutaturi. Qua de re & Dominus Cardinalis noſter non nihil ad me ſcribit.

Huc uſque ad literas Amplitudinis veſtræ reſpondi: nunc paucula de noſtris ſubjiciam. Nos XVIII. Maii ex Hiſpali profecti, totamque Beticam Hiſpaniam peragrantes, tandem Madritum circà XX. Junii, Dei ope, rediimus, ſani ac ſalvi omnes, niſi quod qui pro Capellano mihi ſerviebat, Hiſpali triduano extinctus eſt, ubi noſtri mercatores perhonorificè me exceperunt.

Rex in reditu pone me ſemper ſequi juſſit, ſæpèque me vocavit de variis rebus communicans, ac maximè quidem de gubernationibus & Bendis, de quibus aliquid nunc fortaſſe ſtatuetur.

De mercedibus accuratè me omnia deſcribere ſua Majeſtas juſſit, quid cui dandum videatur, idque diviſione omnium bonorum confiſcatorum in quatuor partes factâ; ex quibus prima eorum eſt, quæ reſervanda per ſuam Majeſtatem, & ad Domanium ejus perpetuò applicanda videntur. Secunda eorum, quæ Ordini Aurei Velleris debent applicari, ut per modum novorum feudorum ad vitam Equitis, & Officialibus illius ordinis, a Rege conferantur. Tertia eorum, quæ novo cedent Ordini minori, Sancti Andreæ fortaſſe vel Philippi, ut & ipſa per formam novorum Feudorum ad vitam dentur à ſua Majeſtate illius Ordinis Equitibus. Quarta eorum quæ in poſſeſſionibus aut pa-

ratâ pecuniâ, vel redditu perpetuo, bene meritis dabuntur. De quibus omnibus antequam quidquam ſtatuatur, vellet Rex certò ſcire quantum ſit bonorum confiſcatorum, & quid ſibi debeat reſervare. Ad quod reſpondi, quoniam ea res multo indiget tempore, rectè ſuam Majeſtatem facturam ſi quàm primùm, ſi non dare, ſaltem declarare inciperet, quid cuique dare velit, ſalvâ ſpecificatione magìs particulari in futurum.

Ac quantum ad erectionem novi ordinis, admonui bonum Ducem Philippum, ordinem ſuum in nuptiis ſuis cum uxore Luſitana erexiſſe, ſi fortè ſua Majeſtas de ſuo ordine idem in ſuis nuptiis facere vellet.

De loco nuptiarum Regiarum nondum ſcio quidquam conſtitutum. Muſſitatur tamen de Segovia. Alii Valiſſoletum nos ituros autumant; quod puto veriùs. Nam Valiſſoletani maximoperè id contendunt, & uterque Rex & Regina ibi natus eſt. Ubi ex monaſterio ſuo ſua Majeſtas redierit ſciemus.

Bellum Granatenſe per Dei gratiam compoſitum eſt, deduntque ſe Moriſci, & arma, ſalvâ vitâ ac libertate. Non deſunt tamen, & quidem haud pauci, ut fertur, qui in armis manent, & ſe dedere recuſant.

Aiunt illuſtriſſimum dominum Ducem omnibus modis ab ſua Majeſtate contendere, ut cum Regina huc venire, filiumque, donec alius Gubernator detur, ſubſtituere poſſit: utrum verum ſit nec ne haud ſcio. Illud ſcio, ſine noſtrarum rerum periculo fieri non poſſe, nec dubito quin ſua Excellentia id facilè videat, & ſervitium Regis ſuis (tametſi non injuſtis) deſideriis præponat.

Accepi his diebus ab illuſtriſſimo domino Cardinali Bullas penſionis ducatorum filii mei Gregorii ſuper Archiepiſcopatu Hiſpalenſi. Scribo ad uxorem ut procuratorium filii ſuper me fiat de recipiendis nummis (nam jam annua penſio debetur); & certioratio una mittatur de vita ipſius, qua in re oro Amplitudinem veſtram ut illi adjutor eſſe velit.

Referens ad Regem de quibuſdam Eccleſiis iſtic bellè reparatis poſt tumultum Geuſianorum, juſſit ut ſcirem ab Amplitudine veſtra quid de Monaſteriis & Eccleſiis exuſtis factum ſit, & an ſint reſtauratæ.

Bene vale, reverende Præſul, optime patrone, & te reipublicæ ac nobis omnibus quàm diutiſſimè conſerva, quod ut ita fiat Deum optimum maximum omnibus precibus oro. Madriti

6. Julii 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Quoniam neſcio utrum Rotulus apud dominum Tyſnacum ſit, an verò apud Amplitudinem veſtram manſerit, mitto ad ipſam id quod ſua Majeſtas noviſſimè addidit. Ac quia anni jam ſunt ferè duodecim, ut reor, quod hic rotulus durat, haud ſcio an abs re eſſet utì de novo rotulo conficiendo cogitaretur.

Illud oblitus eram: quoniam Igrammum noſtrum Præſidem Friſiæ Rex fecit, anne Amplitudini veſtræ videatur, ut Sabinus, affinis utriuſque noſtrum, nempe Vitricus Petri Buygers, in locum ejus ſuccedat. Nam & vir bonus eſt, & doctus, & credo Amplitudinem veſtram apud illuſtriſſimum Ducem non difficilè id perfecturam. Quare opus non putavi ut ea de re ad ſuam Excellentiam ſcriberem. Cæterum ipſum Sabinum ſum admoniturus ut officium faciat.

Rex ſuper literis Ducis de Decanatu Hagenſi jam reſcripſerat, cùm ad me commodum perferrentur literæ domini Lindani petentis Decanatum illum ſibi adhuc relinqui. Quarum occaſione ſua Majeſtas aliam ad Ducem ſcribit epiſtolam, ut Amplitudo veſtra videbit.

Mylius noſter Canonicatum ſuum Condaïcenſem cuperet reſignare, acceptâ honeſtâ penſione. Si quis iſthic eſſet, qui acceptare vellet, gratiſſimum illi & mihi eſſet ſi Amplitudini veſtræ placeret Capellano dare negotium ſuper ea re inquirendi.

Nudius-tertius certum nuntium accepimus, curſorem veſtrum Bertrandum, qui de X. Maii literas portabat, ab Huguenotis in mari interceptum.

Ante Reginæ ad nos adventum aliquid fortaſſe de quibuſdam liberalitatibus Regiis audietis.

Duos mittimus curſores unum qui pauca fert præcipua, & alterum mari, cui omnes magnæ ſarcinæ tradentur.

EPISTOLA LXXXXVI.

ARG. *Philippi Regis ſponſa iter ſuum maturat. De Gratia Generali, quam conciliandis Belgarum animis vim habitura ſit, Hopperi ſollicitudo. Metus illi, ne multa illic pertineant ad ſtabiliendum quorumdam imperium, magis quàm miſerorum animos curâ levandos. Edictum de Judiciis criminalibus & Typographorum operis. Autoritas omnis in Belgio penes Concilium Turbarum; hinc querela Hopperi Conſilium Privatum verè & ipsâ re privatum effectum eſſe. Piratæ in Friſia. Elberti Leonini, clari apud Lovanienſes Juris Conſulti, de Mathematicis ſcholis habendis reſponſum. De Epiſcoporum, aliorumque penſionibus Eccleſiaſticis. Temperanda aliqua quæ in Edicto de Univerſitatibus.*

S. P. Reverende Præſul literas Amplitudinis veſtræ III. hujus ſcriptas XVIII. ejuſdem accepi, unà cum exemplis aliarum literarum iis junctis.

Uxorem Bruxellâ tandem exceſſiſſe gaudeo. Ac quanquam quidem initio dolebam, quod cum cantoribus non veniſſet, tamen poſt ab iis intelligens in quantis periculis ſint verſati, bene nobiſcum cenſui eſſe actum, quod Goudam tantiſper conceſſit, donec Regina veniat, & claſſis paretur. Quo facto, admoneo illam per literas ut continuò Gandavum recurrat, & de bona navi ſibi proſpiciat, qua in re ſpero Illuſtriſſimum Dominum Ducem ſuum illi favorem non illibenter præſtaturum, uti ſua Excellentia ipſa ad me ſcripſit, & illam denuò nunc rogo per meas literas. Ac quum ſua Majeſtas heri mihi dixit Dominum Chantoneium non venire cum Regina, ſed manere in Comitiis Imperialibus: velim uxorem alii alicui, qui authoritatem habeat, commendari, ad quem, ſi quando opus eſt, recurrat; quod Amplitudini veſtræ totum comitto ac commendo.

Reginam in itinere eſſe, omnes gaudemus; & tamen tam lenti ſumus in omnibus ut ipſam credam adfuturam, antequam de ejus receptione hìc quidquam ſtatuatur.

Regiam

Regiam gratiam, quantum ex literis Ducis intelleximus, jam puto publicatam esse, aveoque cognoscere quid vobis de ea videatur. Nam ne cunctis satisfaceret semper sum veritus; suntque in ea nonnulla, quæ magìs ad quorumdam authoritatem stabiliendam & augendam, quàm ad miseros sublevandos facere videntur. Ac quanquam quidem Amplitudo vestra & alii nonnulli voces illas comminationum, de quibus scribit, facile contemnat: quin tamen multos malè habeant, & alicujus mali causa aliquando esse possent (quod Deus avertat) nihil est dubium.

Ordinationem super Typographis, & Edictum de Judiciis Criminalibus libenter videbo. Ac quoniam quidem per Consilium Turbarum omnia reguntur, Consilium nostrum Privatum verè privatum esse video. Cui rei ut aliquod remedium adferretur, & Regio servitio, ac bono publico, rectè atque ordine prospiciatur, meditatus eram heri quædam ex literis Amplitudinis vestræ, & aliorum, ad suam Majestatem referre, idque occasione suprascripti Edicti, ne id, nisi se consulto, publicari pateretur. Sed (nescio quâ occasione) prævenit me Rex, dicens Ducem ad se scripsisse, se eâdem die, quâ postremas has literas daret, Edictum signasse. Itaque quod meditatus eram in aliam occasionem differendum duxi.

De Piratarum in Frisiam nostram excursionibus, Hindelopia vastata, Reynero Fritsmano capto, & aliis ejusmodi, miror publicis literis nihil unquam perscribi. Ego tamen suam Majestatem ignorare non patior, ne putet omnia tam sedata ac tranquilla esse quàm quidam nobis persuadere conantur.

Sententiam Domini Elberti super Mathematicis lectionibus libenter videbo, ubi literæ ipsæ, quorum nunc exempla tantum vidi, accepero. Retulitque mihi Cayas, Ducem per literas Hispanicas de omnibus Universitatibus perscripsisse, aut certè brevi perscripturum.

Postulatis Reverendissimi Episcopi Buscoducensis perlibenter favebo, quantum potero, ubi ad me literæ fuerint perlatæ, quanquam subduras forè partes jam dudum olfacio. Ac nescio quis bonus gènius geniave Domini Hontzochtii (piæ recordationis) memoriam resuscitarit, nam nullas accipimus literas Cayas & ego quibus non pro se quisque nostrum gravissimè urgetur, ut ob summa ejus merita, & præclaram de filio spem, quadringenta annua, pensionis nomine, super Tongerlo ei assig-

nentur. Ego quid in hac re potero, non ſcio, (nam à vobis reſponſio de voluntate Domini Sonnii expectatur) ſed quin memoriæ & liberis eorum qui bene de Republica meriti ſunt faveam, nunquam omittam.

De Tzommone noſtro ac Trajectenſibus ſpero proximis literis certiora nos cognituros; nempe ut non ſolùm ab omni crimine abſoluti ſint, verùm etiam in priſtinum ſtatum ac conditionem ille ſit reſtitutus. Quod utinam ita faxit Deus!

Multæ cauſæ mihi eſſe videntur ut edictum de Univerſitatibus nonnihil mitigetur; referamque ea de re ſuo tempore ad Regem, ac maximè quidem cum de eo tractabitur, quod iſthinc Regi proponitur; nempe ut ad animos utriuſque nationis noſtræ & hujus conciliandos ac miſcendos, iſthic Collegium Hiſpanorum, hic autem Flandrorum inſtituatur. Quod neſcio an interveniente Amplitudine veſtrâ fuerit tractatum; mihi autem primâ facie nequaquam videtur alienum.

Quem ſucceſſum conatus domini Meghani circa ſubſidium ſit habiturus, avidè expectabo. Cuperem enim noſtros, quatenus poſſent, liberales ſe oſtendere, quanquam ſe, non ut opus, defendi conqueruntur, haud exigui eſt ponderis.

De nepotibus Amplitudinis veſtræ conſtitutum eſſe, ut ſub extremum Auguſtum in Italiam eant, quia ſuperioribus literis latè perſcripſi, nihil opus eſt ut hìc repetatur; redditas enim ſpero.

Bene vale, reverende Præſul etiam atque etiam, & nos, ut facis, ama. Raptim Madriti 26. Julii 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Super novâ petitione domini Chantoney, de ſuſpenſione litis cum Andeloto, viſum eſt Regi ſcribere ad Ducem, Amplitudo veſtra poterit dicere Vironio ut ſollicitet negotium.

Mepſchium noſtrum occaſione legationis ſuæ Majeſtati quantum potui commendavi; & fuit illi pergratum.

Literarum ad dominum de Vergy & Parlamentum Dolanum ſuper religione, quas Amplitudo veſtra videbit, occaſionem dederunt literæ illuſtriſſimi domini Cardinalis Granvellani ad me, qui ita omnino fieri oportere cenſebat: quod Rex etiam me ſuadente ſecutus eſt.

Idem dominus Cardinalis ſcribebat, ut dominum Aſſonnevilium, Blaſerium, Bavium, & Vander Aa, Regi ſuo nomine commendarem: quod feci heri de optima nota. Et ſua Majeſtas omnia optima pollicetur; nec dubito quin faciet.

A ceſt inſtant ay receu lettres de mondit ſeigneur le Cardinal de Granvelle du quinze du paſſé, qui ſe porte bien & eſt deputé par le Roy avecq le Cardinal de Pacheco pour traicter la ligue contre le Turcq.

EPISTOLA LXXXXVII.

ARG. *Querela Ducis Lotharingiæ de Beneficio quodam Eccleſiaſtico. Petit Hopperus* Picturam (*effigiem, credo, intelligit*) *Radbodi Regis.*

S. P. Reverende Præſul, quoniam nudiuſtertius ſcripſi, & particulatè reſpondi ad literas Amplitudinis veſtræ IV. hujus menſis die datas, quibus aliarum plurium exempla juncta erant: nihil nunc ſe offert ſcriptione dignum, niſi ut pro debito officio neminem hinc abire patiar cui non aliquid literarum ad Amplitudinem veſtram tradam.

Venit his diebus neſcio quid querelæ ab Duce Lotharingiæ ſuper Prioratu quodam dependente ab Abbatia quadam ſua, ut ait. Non vidi quidem adhuc omnia; ſed quantum conjicio, niſi vobis conſultis, nihil poterit hic abſolutè ſtatui. Plurimum velim Amplitudinem veſtram rogatam, ut exemplum Picturæ Regis noſtri Radbodi (ut ſuſpicamur) ad me mittere dignetur. Erit enim res ſuæ Majeſtati longè gratiſſima.

Quoniam Dominum Chantoneium Rex ait cum Regina non venturum; non dubito alia ratione iſthic procuratum iri ut uxor & liberi cum familia venire poſſint. Quidam hic eſt Cantor, qui olim ab illuſtriſſima Duciſſa rotulum ſuum ſuper Soignies ſibi præceptum conqueritur cum abſentis cujuſdam ob crimen peſſimum beneficium neſcio cui illa conferret. Fortaſſe non abs re queritur; ſed poſt tantum temporis exactum, non video quo pacto remedium ei rei adferri poterit. Cura, Reverende Præſul, optime Patrone, ut valeas, & te nobis ac Reipublicæ conſerves. Folcardus optimè valet & agit. Salmanticenſes extremo Auguſto expecto, ut Barcinonam recta eant, indeque in Italiam tranſmittant. Raptim Madriti 28. Julii 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS. Si Magiſter Jacobus Deventrius abſolvit ſuum opus, acceptiſſimum erit ſuæ Majeſtati ut quam primum mittatur & poterit, ſi videtur, tradi uxori perferendum.

EPISTOLA LXXXXVIII.

ARG. *Berlaymontii & Noircarmii de Rege & Patria bene merita.*

S. P. Quoniam, Reverende Præſul, antequam hæ adferantur puto me ſæpius ſcripturum, non dicam nunc aliud quam ut rogem amplitudinem veſtram ut has Duciſſæ Ferianæ literas rectè deſtinare velit. Qui has perfert, à Domino Berlaymontio & Noircarmio huc miſſus erat, quibus Rex perbenignè reſpondet, & de officio gratias agit, quæ res ad Amplitudinem veſtram quoque redundat, quæ, ut id facerent, author illis fuit, ut ipſi mihi ſcribunt. Spero autem magni aliquid boni ad Patriam inde rediturum, ut proximè ſignificabo latius. Bene vale, Reverende Præſul, & me ut facis ama. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA LXXXXIX.

ARG. *Duciſſa Albana, relictâ curiâ, domum ſuam offenſa repetit.*

S. P. Quoniam poſt biduum profecturus eſt curſor Duciſſæ Albanæ, quæ, relictâ curiâ, domum concedit, rebus nonnullis neſcio quibus, ut vulgo fertur, offenſa; per quem ad literas Amplitudinis veſtræ XXI. menſis præteriti ſcriptas reſpondebo: per has, Reverende Præſul, nihil aliud ſcribam quàm quod amicus quidam meus majorem in modum me rogavit, ut cauſam Jacobi de la Faille amplitudini veſtræ de bona nota commendem. Quod quidem licet jam ſemel factum ſit, quia tamen iteratam commendationem plus ponderis habituram putavit, nolui deſiderio ejus deeſſe; certo mihi perſuadens amplitudinem veſtram & meâ & negotii ipſius causâ omnem quàm rectè poterit operam libenter navaturam. Cura, Reverende Præſul, ut valeas, meque ut totum tuum, ut facis, ames. Madriti 30. Auguſti 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

De Negotiis Amplitudinis veſtræ aliquid boni Rex conſtituit, quod proximis literis credo indicari poterit.

Has literas ad ſororem meam Tegnagel dignabitur Amplitudo veſtra diligenter mittendas curare nam illius per magni intereſt.

EPISTOLA C.

Arg. *Novæ Ordinationes ſuper juſtitia Criminali. Dux Albanus ſe antiquum in iis morem ſervare velle, ad Hopperum ſcribit. Rex Philippus jam à multis ſeptimanis nullum cum Hoppero ſermonem contulit, aliis negotiis occupatus; quotidie interim per ſcedulas cum eo agit. Quod de gratia generali, effectum eſt, totum id Hopperi operâ & anxiâ curâ effectum eſſe. Regina navigat. Nuptiarum apparatus. Belli necdum Granatenſis finis. Viglius Pergamena ingentis magnitudinis conquirere juſſus, deſcribendis libris liturgicis regalis monaſterii S. Laurentii.*

Reverende Domine Præſul. Debeo reſponſum ad litteras Amplitudinis veſtræ XVIII. Maii, VIII. XIV. ac XXVI. Junii, XX. Julii ac I. die Auguſti datas, ex quibus primæ V. hujus demum fuêre redditæ, & quidem reſignatæ, propterea quod qui eas portabat Curſor ab Hugenotis fuerat interceptus. Attingam hic quidem ſingula; ſed latiùs ſcribam de omnibus per quemdam quem poſt triduum ſecretò juſſu Regis expediam.

Miſit ad me heri cum ſchedula quadam ſua Regia Majeſtas novas ordinationes ſuper Juſtitia Criminali & aliis rebus Civilibus ac politicis iſthic factas, manu ſcriptas, de quibus quam exactiſſimè, quantum ad præcipua capita attinet, me referre juſſit: quod non omittam; addens antiquum in rebus tractandis morem, quem illuſtriſſimus Dux in poſterum obſervare ſe velle ex Gravia X. Auguſti ad me ſcripſit.

De literis Domini Elberti referam proximâ audientiâ; nam tot ſunt ſuæ Majeſtatis occupationes ut jam multis ſeptimanis audientiam mihi dare non potuerit, quanquam per ſchedulas perliberaliter ac quotidie agat. Nec omittam quin de Reve-

rendiſſimi Epiſcopi Buſcoducenſis poſtulatis, quæ minimè iniqua mihi videntur, tum quoque agam, ſcribamque ad ipſum per eum quem modo dixi.

Sabinum Domino Duci per literas nunc quoque commendo, & ab iis quæ Amplitudo veſtra dicit laudo, quanquam res fortaſſe jam erit confecta; quod ſpero. Sed abundans cautela non nocet.

De gratia generali quantum hic laboraverim, incredibile prope dictu eſt; & ni per me factum eſſet, crederem vix quenquam mortalium ejus fructu poſſe gaudere. Ac quantum ad duos articulos per Amplitudinem veſtram notatos attinet, fuere illi, etiam Domino Tyſnaco adhuc præſente, peracriter à nobis oppugnati; ſed neque tunc neque poſt quidquam profici potuit. Non deſinam tamen quin denuo officium faciam, & quam potero operam Patriæ navem.

De Trajectenſium ſententia juſſit Rex ut quàm potero accuratiſſimè referam, & quibus fundamentis nitatur, exponam.

Reginam jam navigare omnes ſperamus, & in ejus comitatu meam quoque uxorem ac familiam, de quo non poſſum non Amplitudini veſtræ etiam atque etiam habere gratias, quod tam ſollicite curam illius geſſerit, Comitique de Boſſu eam commendarit. Miſi illi obviam ad mare uſque famulos & equos, mulaſque cum carpento, ita ut ſperem, ubi advenerit, parata omnia inventuram.

Nepotes Salmanticenſes cum Dekamanis octiduum apud me fuerunt; ſumptaque pecunia à Mercatoribus non multa recta Barcinonam per Valentiam profecti ſunt, acceptis literis commendatitiis à Sagunto noſtro, qui eas perluculentas ſcripſit ad Comitem Beneventanum Vice-Regem, cujus jam reſponſum vidi de illis perhumaniter tractatis, & cum juſto comitatu, ne quid periculi à prædonibus ſit, dimiſſis. Ab ipſis nondum quidquam accepi, ſed expecto indies ex Barcinona, ubi Oratorem Venetum in Italiam redeuntem, invenient, cui eos commendavi: illeque omnia perlibenter promiſit. Ac eſt hic quoque Comes Proſper, Dominæ Duciſſæ Parmenſis Œconomus, quo amiciſſimè utor; qui quam diligentiſſimè Matri & amicis eos commendavit, & Domum, quam Paviæ habet, ipſis dari juſſit.

Elemoſinarius hìc valde me urſit ut mille centum regales argenteos acciperem, iſticque Doctori Montano perſcriberem,

quod ſine neceſſitate mea in illius gratiam facere ſum coactus. Ac quoniam mei iſthic ad manum non ſunt, quæſo ut Amplitudo veſtra eos Montano nomine meo numerandos curare velit. Faxo ut mei continuo reddant; aut ſi ita Amplitudo veſtra juſſerit, hic Folcardo numerem. Quid autem de Folcardo conſtitutum erit proximè perſcribam.

Ad Nuptias Regias multa parantur, videmurque Segoviam ad eas celebrandas excurſuri; unde Valliſſoletum uſque uxori obviam, Deo volente, procedam.

Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Granvellanus valde optaret fratrem ſuum Champaigny in Domini de Toraiſe locum ſuccedere qua in Re Amplitudo veſtra, operam illi navare poterit. Nam ſcribitur ad Ducem pro adviſo. Bellum Granatenſe nondum totum conquieſcit. Sed ſperamus indies boni aliquid, quod finem tandem huic rei tam moleſtæ imponat.

Non dubito quin proximis literis intelligam quid Illuſtriſſimus Dux de liberalitate Regia erga Amplitudinem veſtram declaraverit. Et cum vobis bene erit, etiam nos certo confido vos minimè neglecturos; nam hoc & liberorum multitudo, & ſumptus immenſi omninò expoſtulant.

Aggæo noſtro aliquid inſidiarum ſtrui, certo video, idque à Religione. Certò mihi affirmat Cayas nihil dum ad Regem manaſſe; nec quidquam dicturum, niſi mecum re communicata, neſciens tamen quæ inter nos ſit neceſſitudo.

Magna cum his venit ad Amplitudinem veſtram commiſſio, in qua bene gerenda (uti Amplitudo veſtra optimè faciet) certo ſcio rem gratiorem Regiæ Majeſtati facturam, quàm ſi neſcio quas provincias imperio illius adjiceret. Ne quidquam omitatur quod ad Sancti Laurentii regale Monaſterium ornandum poſſit pertinere, vult Rex libros cantus quàm fieri poſſit elegantiſſime deſcribi, idque Pergameno, non ex duabus pellibus conglutinato. Sed unius pellis, ea formâ ac magnitudine quam cum his in pixide mittitur. Quoniam autem Amplitudo veſtra Ordinis Eccleſiaſtici eſt, & noſtræ nationis Friſiæ, ubi vituli optimi, ac majoris quam alubi magnitudinis naſci creduntur, petit ſua Majeſtas ut eam curam velit ſuſcipere, quo res quoad ejus fieri poteſt, bene geratur, idque ſecundum inſtructionem his junctam, quam interpretatam mitterem, niſi pro famulo hac in re datus eſſet Amplitudini veſtræ Joannes Ferdinandus de Camora Hiſpanus, Galeriſtis olim, niſi fallor, præfectus, ad quem

à Secretario Gaſtello junctæ ſunt hic ea de Re literæ. Et quod ad ſumptus attinet, adſunt quoque literæ ad Ducem, ut eos ſubminiſtret. Dixi iſthic de ſumma diligentia omnia me poſſe promittere; ſed utrum ejuſmodi pelles iſthic inveniri poterunt, planè me neſcire; nam jam Pfinzingo per totos duos annos fuit res commiſſa, ut in Germania eam procuraret, ſed non potuit ſatisfacere. Ut autem id per Amplitudinem veſtram fiat majorem in modum opto, atque ita fore ſpero.

EPISTOLA CI.

ARG. *Dux Medinæ-Cœli novus Belgarum Præfectus. Is egregiè animatus erga Viglium.*

S. P. Reverende Præſul, literas Amplitudinis veſtræ IX. hujus ſcriptas cum præcedentibus accepi, ad quas poſt biduum aut triduum reſpondebo latiùs. Tamen hoc nunc dicam, mirificè me affligere illud Aggæi, de quo jam ante ipſe ſcripſeram, ut ex meis literis Amplitudo veſtra cognoverit. Quid aliud conſilii capi poterit quàm quod Amplitudo veſtra proponit, non video; ſi quid tamen occurret proximis, ut dico, literis ſignificabo.

Gubernatorem habemus novum Ducem Medinæ cœli, qui optimam ac gratiſſimam Amplitudinis veſtræ retinet memoriam, mecumque omnibus de Rebus perfamiliariter communicat, uti ſpeciatim Amplitudo veſtra proximè cognoſcet.

De adventu Reginæ Rex, ut ipſe mihi ſcribit, in magno metu eſt, bonam tamen ſpem præbent Laredani, ubi maximis meis ſumptibus jam ab aliquot ſeptimanis mei ſunt, cum jumentis & carpento. Si tempus tam proſperum iſthic & in mari eſt quàm hic, omnia bona ſperanda ſunt, quæ etiam eſt cauſa quod ad uxorem non ſcribo, nec ad Comitem de Boſſu, qui apud me diverſari ſe velle ſcribit; quod mihi erit gratiſſimum.

Quid circa ordinationem Criminalem & Gratiam generalem moliamur, faxo propediem ut Amplitudo veſtra intelligat. Quid Salmanticenſes noſtri agant Amplitudo veſtra ex eorum literis Barcinone ſcriptis, quas heri veſperi accepi, intelliget. Bene vale, Reverende Præſul, & te etiam atque etiam nobis conſerva. Raptim Madriti ultima Septembris 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA

EPISTOLA CII.

ARG. *De familiaribus & amicis. Tum de Duce Medinæ Cœli. Res pecuniariæ Hopperi.*

S. P. Reverende Præſul, tametſi nudiuſtertius per curſorem ad Imperatorem ſcripſerim, & cras, Deo volente, latiùs ſum ſcripturus: tamen quia hic curſor affectatorum & Candiani, quo familiariter & amicè hic nunc utor, ibat, non potui non aliquid illi literarum dare.

De Reginæ noſtræ adventu nondum quidquam certi accepimus; quod mihi permoleſtum eſt, ob uxoris & liberorum deſiderium. Sed in horas aliquid boni ſperamus.

Literas Magiſtri Buchonis, & aliorum, per ſuperiorem curſorem miſi. Suntque Barcinone, ut primo quoquo tempore in Italiam tranſmittant.

Valde conqueritur Magiſter Bucho de Dekamanis, tum quidem ob ſumptus, quos ſine modo faciunt; tum vero ob junioris (nam major modeſtiſſimus eſt) inſolentiam, quam ego ex pauculo tempore, quo apud me fuerunt, facilè cognovi, admonuique abeuntem ut debui. Sed jam ſcit Amplitudo veſtra quàm ſurdis ſæpe fabulas narramus.

Illud Aggæi noſtri malè admodum me habet, cum illius tum vel maximè Amplitudinis veſtræ causâ atque etiam meâ. Nec video quid conſilii capi aut remedii inveniri poſſit, niſi in viam redire, & quemadmodum virum Catholicum decet, in poſterum vivere velit: quod unicum excogito huic malo remedium. Cui ſi parere nolit, non video quomodo Amplitudo veſtra & ego manum ei rei admovere poſſimus, aut etiam debeamus.

Cum novo Gubernatore noſtro deſignato Duce Medinæ Cœli multus ſum, & quibuſcumque rebus poſſum, eum inſtruo; eſt enim perbenignus. Ac quia ſcire inter cætera voluit, quorum operâ iſthic maximè uti poterit, primo loco Amplitudinem veſtram, ut debui, nominavi, cujus ob antiquam amicitiam vel nomine ipſo recreatur. Liberalitatem Regiam erga Amplitudinem veſtram jam puto declaratam eſſe; in qua re omnem quam potui operam perlibentiſſimè ut debui navavi. Ac quia Amplitudo veſtra non ignorat quantam prolem habeam, & quàm pa-

rum vel nihil hactenus ex laboribus meis perceperim; sed contra quàm ingentes sumptus sustineam: vehementer etiam atque etiam rogatam eam habeo, ut Ducem illustrissimum ea de re commonefacere & causam meam apud ipsum ex animo agere velit, ut me porro Regi commendet. Nam tametsi quidem & Rex hic cum tota Curia, & Dux isthic non malè erga me affecti videantur, magnum tamen pondus, sat scio addetur, si Amplitudinis vestræ commendatio & authoritas accedat. Itaque uti ita facere velit, iterum atque iterum rogo, & perlibenter facturam planè confido. Bene vale, Reverende Præsul & te nobis ac Patriæ diligenter conversa. Madriti 2. Octobris 1570. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CIII.

ARG. *Adventus Hispaniarum Reginæ, & cum ea Hopperi conjugis, & liberorum. De rebus & commodis amicorum, privata. Viglii consilium de erigenda Luxemburgi Episcopali Cathedra. Quæ emendanda in formula Gratiæ Generalis. Rex Philippus peramicè scribit ad Elizabetham Angliæ Reginam, quæ hospitio exceperat Philippi conjugem. De eodem perpulcrum Hopperi elogium. Cogitatum de Consilio Privato apud Belgas, viris aliquot ætate, virtute, gravitate, doctrinâ, & usu rerum præstantibus, augendo* : quod mihi pernecessarium videtur, *inquit Hopperus*, ad antiquam autoritatem recuperandam, & Consilium Turbarum, quo manente sine turba numquam futura videtur Respublica, tollendum. *De re criminali ex Consilii Privati sententia potiùs quàm illius, quod Turbarum, sententiâ transactum. Rex diruta monasteria pecuniâ suâ juvare constituit. Nihil Dux Albanus de vicesimi ac decimi denarii vectigalibus, neque de Inquisitione, & Placitis in Religionis negotio scribit; quod Rex miratur. Querelæ in Comitiis Imperialibus adver-*

sus Magistratus Hispanicos. Dux de Medina Cœli, vir optimus, & miti ingenio, adeoque Albano dissimilis. Hinc Hopperi metus: à Gallis etiam, quorum irrequieta sunt ingenia. *Nuptiæ Hispanicæ Segoviæ celebrandæ. Defunctus Hopperi filius.*

S. P. Reverende Præsul. Ad literas Amplitudinis vestræ VI. Octobris scriptas, & omnes præcedentes responsurus, inde primum omnium incipiam, quod Regina nostra salva, sana, cum omni comitatu, per Dei gratiam appulit, & in eo uxor mea charissima, cum liberis dulcissimis & familia, quos XXVIII. mensis præteriti vespere, ut pompam evitarem, in hanc urbem induximus. Ipsa & plerique alii bene valent, sed Tydemannus periculosissimè laborat, & non leviter Tita; nec Ida satis est adhuc confirmata; sed speramus tamen optima. Nec possum omittere quin Amplitudini vestræ pro suis summis erga uxorem & liberos meritis, quæ mihi infinita narrat, summas gratias habeam atque agam.

De Folcardo primum, quid Rex constituturus sit (cujus rei curam Prior Antonius in se sumpsit) videbimus; quod brevì omnino fiet: indeque judicabimus ecquid cum novo Gubernatore agendum erit nec ne: quod non erit difficile, nam nihil magis optat quàm ut occasionem habeat quâ Amplitudini vestræ gratificetur.

De centum nonaginta duobus florenis & decem stuferis quos Ariæ Montano isthic Amplitudo vestra dedit meo nomine, quicquid statuerit, fiet. Suntque his adjunctæ literæ Magistri Buchonis & aliorum, ex quibus quid ad illud usque tempus, quo ex Barcinone profecti sunt, circa illos factum sit, Amplitudo vestra plenè cognoscet.

Tzommonis negotium jam spero ad bonum finem perductum; & si quemadmodum res ipsa est, ita intelligitis Gratiam Generalem: credo per ipsam omnino eum esse liberum, & sub exceptionibus minimè contineri, ut post dicetur.

De Aggæi tragædia plenè ad me perscripsêre (præter Amplitudinem vestram) dominus Chantoneius, & Mepschius. Et sanè ad tot alias etiam hanc molestiam nobis accessisse vehementer doleo; sed cùm minima de malis eligenda sint, illud rursum

gaudeo quod Spirensem conditionem ultro relinquit, & si proscriptio averti posset, præclarè omnia, pro re subjecta, putarem esse acta. Quanquam illud non possum non gravissimè dolere, hominem tantis dotibus præditum, ad has opiniones falsas se convertere, & in animi pariter & corporis erroribus totam vitam transigere.

Illustrissimum dominum Ducem nepotem Amplitudini vestræ in locum Igrammi suffecisse vehementer gaudeo. Ac quantum ad Sabinum attinet, spero non defuturam brevì occasionem, quâ & illi prosimus; quod ut & Amplitudo vestra curæ habere velit, nam communis est affinis, majorem in modum rogo.

Ac quoniam quidem de Denneterii fratre Jurisconsulto, in Camera Insulensi promovendo, Rex ad Ducem scribit, non dubito quin Amplitudo vestra omnem illi operam libenter sit navatura. Jamque procuratum quoque est per literas ad suam Excellentiam, ut ipsius Denneterii ratio isthic habeatur. Et sanè si huc non est rediturus dominus Cortevilius, non alii quàm illi hic locus debetur. Nec est æquum ut quam hactenus impendit operam, gratis fecerit. De quibus omnibus utì nunc tractare incipiamus, tempus esse videtur.

Dominum Protonotarium du Reux perlibenter quàm commendatissimum habebo; & jam cœpta est inter nos amicitia. Nec minùs faciam de Warenbergii Postulatis, quàm primùm à domino de la Tour ea cognovero.

Absolutis rebus privatis ad publicas tunc transeo; in quibus gratissimum fuit suæ Majestati quod de novo Episcopatu Luxemburgensi, & supplemento dotis Episcopi Iprensis suggessistis.

Circa Gratiam Generalem quid effecerim (ac maximè quidem authoritate Amplitudinis vestræ & domini Cardinalis Granvellani subnixus) ex literis Regiis intelligetis; omnino enim sua Majestas utrumque articulum de Magistratibus, & iis qui redditus habent, tolli cupit, nisi illustrissimo Duci secùs videatur. Declaratque non alios Magistratus esse exceptos, quàm qui revera hæretici vel rebelles fuerint; non autem qui metu, errore, aut quâ aliâ fragilitate humanâ, minus fecerint officium. Et cum eo conveniunt verba si diligenter inspiciantur.

De rebus Anglicis si res ibi moderatè tractentur, non difficile quoque puto posse convenire. Nec dubito quin aliquantulum ad rem facient literæ regiæ, quas peramicas scribit sua Majestas ad Reginam Angliæ, gratias illi agens de uxore tam honorificè

accepta. Sed quæ nos hìc ad otium ac tranquillitatem consulimus, ea vos isthic sæpe vel amittitis, vel in duriorem partem accipitis. Et sanè, quantum Regem novi ac video, si vos vel minimam partem æqui ac boni dicatis, hic in eam partem omnia parata reperietis.

Scribit quoque sua Majestas ad Ducem, ut propter mercedes (quas vocant) speciatim factas, generaliter de reliquis perscribat. Nam quicquid est bonorum confiscatorum, id omne in bene meritos vult erogare, & quidem nostrates; non alienos, ut expressè mihi dixit. Aitque, putare se mercedem Amplitudinis vestræ jam fore declaratam, una cum nonnullis aliis.

Rem Trajectensem plenè à me cognoscere sua Majestas voluit, mirataque est nihil à sua Excellentia ea de re perscriptum. Ac cùm dicerem ex literis Amplitudinis vestræ ex gravaminibus appariturum, præmione an pœna sint digni, perlibenter se id audire ostendit.

Occasione Funckii scribit Rex de Consilio Privato aliquot viris, ætate, virtute, gravitate, doctrinâ, & usu rerum præstantibus, augendo; quod mihi pernecessarium videtur, ad antiquam authoritatem recuperandam, & Consilium Turbarum, quo manente sine turba nunquam futura videtur respublica, tollendum.

Intelligens sua Majestas quàm honorificè Regina isthic fuerit à nostris accepta, omnino gratias ea de re agere, & suum illis favorem ac clementiam à majoribus deductam promittere voluit, utì ex literis ad Ordines ea de re scriptis Amplitudo vestra cognoscet.

Percommodè accidit quod de re criminali Amplitudo vestra ad me perscripsit; nam longè gratissimum Regi fuit, Ducem ad Consilii Privati potiùs quàm Turbarum, advisum se accommodasse; retulique de singulis accuratè ad suam Majestatem ex scriptis per Ducem missis. Sed nescit Rex ad quem finem, hoc est consultandi animo, an aliter, ea miserit.

De Coloniensibus, apud quos vetus nostrorum hominum studium fuisse, bene Amplitudo vestra dicit, distulit adhuc Rex scribere; quoniam expectat ecquid fortasse Dux suâ scriptione eum sit præventurus. Sin minus, iterum faciam officium, si Amplitudini vestræ videatur.

Ut autem diruta superioribus turbis monasteria sua liberalitate juventur, æquum Rex putavit; & ideo ad Ducem ea de re scribit, utì Amplitudo vestra videbit.

Ad magiſtrum Jacobum Daventrienſem & commiſſarium Van den Berch ſcribit Rex ſecundum quod Amplitudini veſtræ videbatur. Junxi his ipſas literas, ut Amplitudo veſtra eas reddendas curare velit.

Quid de viceſimo ac decimo denario tandem factum ſit, cuperem abſolutè cognoſcere. Nam Ducem nihil ea de re ſcribebere Rex miratur; quod & circa Inquiſitionem, & Placita ſuper Religione accidit, quæ neſcit utrum in priſtinum locum ſint reſtituta.

Quod contra ſententias à noſtris hominibus datas in Comitiis Imperialibus querelas fieri Amplitudo veſtra ſcribit, cum eo congruit quod & Reginam ejuſmodi rebus onuſtam venire aiunt. Et certè dum ad ſola acta judicialia nonnulli reſpiciunt ſine reliquis graviſſimis circumſtantiis, vereor non defuturos qui calumniam ſuam ita ſint ornaturi, ut non omnino diſſimilis veri eſſe videatur. Verum haud parum metuendum eſt ne quid aliquando novi tumultus, aut certè difficultatis exiſtat.

De novo gubernatore Duce de Medina Cœli, viro optimo ac humaniſſimo, ſuperioribus literis perſcripſi; utitur enim me perfamiliariter, convenitque illum dominus de Boſſu, qui ſalutandi Regis gratia huc excurrit, plurimumque mecum fuit. Et ſanè quantum eum video, in magnum virum eſt evaſurus, colitque Amplitudinem veſtram ut patrem. Nec omittam quin his pauculis diebus contractam inter nos amicitiam diligenter colam, utì pro bono reipublicæ atque aliter mihi videtur omnino convenire.

Atque ut ad Gubernatorem noſtrum redeam, eſt ille quidem vir, ut dixi, optimus, nec dubito quin noſtris erit gratiſſimus; ſed utrum his temporibus tam difficilibus tantam machinam ſolus ſuſtinere poſſit, vehementer timeo. Nam præterquam quod continuatio Imperii Hiſpanici non omnibus grata fortaſſe futura eſt: tum ſi quid à Gallis, quorum irrequieta ſunt ingenia, tentetur, haud ſcio an facilè ſuſtineri poterit; & domi à duro rigidoque imperio ad mite ac lene repentè deveniri, non ſcio an omnino ſit abſque periculo. Deum optimum maximum oro ut omnia quàm optimè dirigat, & ad ejus honorem cuncta tendant.

De Pergameno, diſpiciam & perſcribam diligenter ad Amplitudinem veſtram, ut ſuæ Majeſtati vel minimis in rebus, quàm poterit fieri accuratiſſimè ſerviamus.

Ob reverendiſſimi Archiepiſcopi Cameracenſis mortem cogitavit Rex, ecquid quod illi deſtinatum erat penſionis ſuper Epiſcopatu Palentino, poſtquam Leovardienſis noſter ſuam dotem habebit integram, Epiſcopo Antverpienſi Sonnio dari poſſit. Nam ne Epiſcopus Buſcoducenſis cujus cauſam perdiligenter ſecundùm literas Amplitudinis veſtræ & ipſius egi, ulla in parte per Antverpienſem (qui ſanè id non petit, ſed apertè recuſat) gravetur, vehementer optat. Itaque ſumma rei in hoc conſiſtit ut planè intelligatur, utrum fructus ſuæ dotis integros Leovardienſis habeat, an non, & quo uſque. Qua de re præterquam quod ad Amplitudinem veſtram ſua Majeſtas me ſcribere juſſit, tum & ad Ducem ipſemet ſcribit. Nam ego dicebam, tametſi ex literis Amplitudinis veſtræ certum ſit, Leovardienſem in dotis ſuæ eſſe poſſeſſione; videri tamen fructus integros, propter penſiones Monachorum eum nondum habere. Omnino autem domini Hontſchii tantum potuit memoria, ut filio ejus quadringentorum florenorum data ſit penſio ſuper Tongerlo; ſed ne quid illi amplius accedat, etiam atque etiam curæ habebo.

Dominus de Montigny abhinc uno ferè menſe, hoc eſt ſeptimo die menſis Octobris, vitâ defunctus eſt; cujus anima requieſcat in pace. Quo autem pacto, non ſcio; alii alia ſuſpicantur. Ad quos ea res pertinet, hii dicunt, ob literas quaſdam latinas apud eum inventas de fuga molienda, compedes illi à Caſtellano de Simancas fuiſſe injectos: id eum tam malè habuiſſe ut in gravem febrem continuò inciderit; unde paulò poſt mortuus eſt, perpiè ac catholicè.

Regina proximâ die Dominicâ Segoviam ventura eſt, ubi Rex eam excipiet, & matrimonium conſummabitur. Ac quoniam quidem non niſi ad biduum ibi eſt manſurus, veniam mihi fecit ſua Majeſtas, per literas hoc mane ad me perlatas, ut cum uxore & liberis hìc maneam; niſi mihi ſecùs videatur, quod mei facit arbitrii.

De rebus familiaribus ad Stinam ſcribit uxor, quæ Amplitudini veſtræ quàm officiociſſimè ſe etiam atque etiam commendat. Itaque hoc tempore nihil aliud reſtat quàm ut Amplitudinem veſtram iterum atque iterum valere jubeam, Deumque omnibus precibus orem ut eam quàm diutiſſimè ſanam ac incolumem conſervare dignetur. Madriti 6. Novembris 1570. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Quoniam Rex ſcribit ad Ducem ſuper viduas Cancellarii Gel-

driæ & Præſidis Friſiæ, non dubito quin Amplitudo veſtra rem habebit commendatam; quemadmodum & de negotio pauperum Religioſorum Anglorum, de quibus ſua Majeſtas quoque facere dignabitur, quos Duciſſa Feriana etiam atque etiam commendat.

Quem periculoſiſſimè laborare ſupra dixi filiolum meum Tydemannum, heri ſepelivimus; quod mœrens refero. Sed ut Dei voluntati nos accommodemus, neceſſe eſt.

De rotulo innovando quid Amplitudo veſtra ſentiat expectabo per primum curſorem; nam niſi fallor proximè ea de re ſcripſi.

Quæcumque iſtic ſunt ad gubernationem generalem pertinentia ea pervelim ad me mitti; nam ſæpè nobis ſunt uſui, 8. Novembris anno ſupradicto.

EPISTOLA CIV.

ARG. *Feſtus Hiſpaniarum Reginæ Madriti introitus.*

S. P. Reverende Præſul. Tametſi in curſore ad vos mittendo occupati ſumus, quia tamen hic adoleſcens ad vos ibat, non potui non aliquid literarum ei dare, quibus veſtras VI. hujus menſis datas XXIV. ejuſdem nobis redditas eſſe ſignificarem, ad quas nunc non reſpondebo. Tantum illud dicam, quod felix fauſtumque ſit, Reginam nudius-tertius in hanc urbem, magnâ pompâ, ut horum hominum captus eſt, intraſſe, herique omnibus pompis nuptialibus finem impoſitum, ſic ut hodie ad negotia ſimus reverſi.

Adoleſcens iſte ab Andrea Baſton actore Jacobi de la Faille, amico meo, venit, quem, uti olim, ſi qua opus erit, Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendo.

Circa me & uxorem & familiam omnia, laus ſuperis, rectè; niſi quod Ida & Tita nondum ex Zelandico morbo convaluerunt; ſed quia Lomnius noſter hodie advenit, meliora ſperamus. Et ſi certus eſſem Brugelium non venturum, aliquam illi fortaſſe poſſem operam navare. Qua de re quæſo ut Amplitudo veſtra me certiorem facere dignetur.

Uxor & liberi cum tota familia ſe Amplitudini veſtræ quàm officio-

officiosissimè commendant, omniaque ei bona optant; quod ut ita fiat, Deum optimum maximum omnibus votis oro. Raptim Madriti, 28. Novembris 1570. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

De domini electi Cameracensis negotio hodie Romam scribitur ab Rege, & quidem luculenter, prout dominus Berlaymontius petierat.

Ne quid de pensione reverendissimi Episcopi Leovardiensis decedat, curæ habebo; nec erit difficilè perficere: quia nunquam ab Rege cogitatum quod isthic relatum est.

EPISTOLA CV.

ARG. *Cursor publicus exspectari jussus, & cum eo majoris sarcinæ epistola.*

S. P. Reverende Præsul. Jam annus mihi videtur quod ad Amplitudinem vestram non scripserim; & hæc ipsa quæ scribo non eo pertinent ut aliquid rei seriæ scribam; sed hoc ipsum solum me scripturum; nam jam toti in hoc sumus ut cursorem hinc extrudamus, qui vel ex mea parte dumtaxat infinita prope negotia, non dico privata, sed publica, ad illustrissimum Ducem adferet: per quem de omnibus, sacris, prophanis, publicis, privatis, Amplitudinem vestram faciam certiorem. Nec dubito quin pleraque omnia ejusmodi erunt ut Amplitudini vestræ sint placitura. Interim ei qui hâc nocte secretò ad dominum Franciscum d'Alava profectus est, & quædam etiam ad illustrissimum Ducem allaturus, hæc tradidi, ut tanquam præcursoris loco sint, & circa nos omnes omnia per Dei gratiam rectè esse Amplitudo vestra intelligat. Non addo amplius quidquam, quoniam neque tempus id patitur, neque opus videtur, quando post biduum, alter, quem dico omnino, Deo volente, est profecturus.

Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, & si non verbis (nam nihil sciunt) animo certè uxor, liberi, nepos, qui Rex noster fuit in festo Epiphaniæ, & tota familia Amplitudinem vestram etiam atque etiam salutant. Raptim Madriti 23. Januarii 1571. Cayas noster qui unicus Amplitudinis vestræ cultor

eſt, & meus ſummus amicus, plurimam ſalutem Amplitudini veſtræ impartit. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CVI.

ARG. *Munera à Rege Viglio decreta. Petit ſibi Hopperus confiſcationes in Dalem. Incertus Ducis Medinæ-Cœli diſceſſus. A beneficio Gratiæ Generalis ii ſolùm Magiſtratus & Officiales excluſi, qui reipsâ hæretici vel rebelles fuerint; non autem qui metu, errore, aut quâ aliâ fragilitate humanâ ab officio tantiſper deſcivêre. Ordinationes criminales à Rege recognoſci juſſæ. Angliæ negotia protelata. Rex Brugelium, & Goropium Becanum ſibi in medicos expetit. Fœderi adverſus Turcas Joannes Auſtriacus Dux futurus. Soror Regis, Luſitaniæ Princeps, ex infauſtis nunciis de filio Rege, mœrore contabeſcens.*

S. P. Reverende Præſul. Ne quid omnino quoad ejus fieri poteſt, omittatur; reſcribam nunc ad literas Amplitudinis veſtræ, VI. XXI. XXIII. XXV. Octobris, V. XIII. XVIII. Novembris, & V. VI. VIII. XI. XVII. Decembris datas, de quibus omnibus ingentes etiam atque etiam habeo gratias. Ac primùm quidem quod ad munificentiam ſuæ Majeſtatis in Amplitudinem veſtram attinet, reſpondit mihi abhinc paucis diebus ea de re tractanti, omnino ſe confidere rem illam ab illuſtriſſimo Duce jam actam ac confectam eſſe. Ad quem quidem quoniam prolixè ſcribo, ut & mihi aliquid procurare velit, ac nominatim quidem confiſcationes in Dalem, ſine quibus non magni admodum momenti eſt, & multæ quotidie lites ſunt ſuſtinendæ; itemque dominium de Wyngaerden, quod non longè inde abeſt : rogo Amplitudinem veſtram atque oro quàm poſſum enixiſſimè ut ſuam ea in re mihi operam præſtare velit. Et ſi fortaſſe nimium quid videatur (quod ſecundùm ea quæ ad me perſcripta ſunt, non videtur) modus ei rei poni poterit, ut aliqua pars titulo emptionis mihi cedat, aut cum onere alicujus rei per terminos ſolvendæ

ad utilitatem alterius, in quem ſua Majeſtas aliquam liberalitatem velit exercere. Atque id cuperem quàm primùm fieri, antequam ſua Excellentia inde migret, prout ipſa ad me ſcripſit ſe optare facere : quanquam ſanè huc uſque incertum eſt quando illuſtriſſimus Dux inde diſcedere poterit, quoniam de abitu Ducis Medinæ-Cœli, nihil hactenus eſt conſtitutum. Sed quoties tamen ſuam Majeſtatem adeo, ita mecum agit quaſi omnino ſit iturus; quod licet multi dubitant, ego tamen non video cur ſit ambigendum. Verum ante autumnum proximum vix mutationem ullam futuram ego ſemper ſuſpicatus ſum, & adhuc ſuſpicor; ac maximè quidem ſi qui novi bellorum ac tumultuum rumores exoriantur, ut nuper factum eſt. Quæ quidem res unà cum inundationibus malè ſanè ſuam Majeſtatem habuit, utì ex literis ipſius ad Status, ſuper inundationibus ſcriptis, Amplitudo veſtra videbit.

Petiit à me Rex memoriale noſtratium, qui hic ſunt, nobilium, ut de iis ſtatuat quod videbitur. In quo & Folcardum poſui; & tamen non omiſi & cum Duce de Medina de eo agere, qui plus quàm dici poteſt eâ re exhilaratus, reſpondit nihil ſibi potuiſſe accidere jucundius quàm aliquam occaſionem dari qua Amplitudini veſtræ poſſit ſervire. Quis exitus ſit futurus, videbimus; curaboque interea, ut, quibus opus habebit, ea ex mille centum argenteis regalibus, qui ab Amplitudine veſtra apud me ſunt ei ſubminiſtrentur. Quanquam ſi proficiſcendum, aut quid aliud agendum illi erit, opus erit ampliore pecuniâ, qua de re Amplitudinem veſtram ſuo tempore faciemus certiorem.

Et quod ad Magiſtrum Buchonem & ſocios attinet, credo me jam perſcripſiſſe, quo pacto Parmæ fuerint, & à cognatis Comitis Proſperi bene tractati & pecuniis fuerint adjuti. Placetque mihi omninò quod de Franciſco Dekama Amplitudo veſtra ſcribit. Nam ut ego adoleſcentem vidi, aut domi manendum illi eſt, ut inter noſtrates æquales ſuos verſetur, aut apud eos ille collocandus, ubi diſcat, aliquos præter eum homines extare, qui nobilitate ſuperiores aut certè pares illi ſint.

Quod de moderatione gratiæ hinc perſcriptum erat, non niſi cum Conſilio Turbarum communicatum fuit, quantum ego potui videre; quid quo pacto reſponderit, ab illis fortaſſe jam Amplitudo veſtra cognoverit qui literas confecerunt. Tantum tamen effectum eſt, ut, etiam ex ipſorum ſententia, illi ſolum

Magiſtratus & Officiales à gratia excepti ſint, qui re ipsâ hæretici vel rebelles fuerint; non autem qui metu, errore, aut quâ aliâ fragilitate humanâ minùs fecerint officium. Plura ſuo tempore eâ de re Amplitudo veſtra cognoſcet; videbimuſque taciti quid in Tzommonis & aliorum cauſa ea res proderit vel non.

Et quod de Ordinationibus Criminalibus Amplitudo veſtra ſignificat, apertè Comes Meghanus ad me perſcripſit; juſſitque Rex recognoſci omnia & ad ſe denuò referri.

Angliæ negotium tamdiù trahi valdè miror, & doleo; nec video quibus fundamentis quæ de rebus Schoticis vos iſthinc ſemper perſcribitis, nitantur. Nam ego ſanè malim, de bene componendis rebus noſtris quàm alienis appetendis agi; quæ & Regis eſt ſententia, ut ex literis ipſius videbitis.

Leovardienſis Epiſcopi noſtri negotium qua poſſum ago diligentiſſimè, ut ex literis Regis Amplitudo veſtra videbit. Confidoque planè nihil fore difficultatis quin non ſolùm in futurum, verùm etiam in præteritum, penſio ſolvatur. Nec minùs receptoris generalis cauſam ita geſſi ut putem illum fore contentum. Ac de Denneterio noſtro jam ſuam Majeſtatem quoque conveni, quæ perbenignè mihi reſpondit (ſine certâ promiſſione tamen) in caſum, quo cùm Illuſtriſſimo Duce Cortevillius non redeat: quem Bavius noſter ad Denneterium ſcribit, moliri, ut, cui ipſe velit, certâ penſione annuâ, officium ſuum reſignet; quod certè indigniſſimum, meo judicio, eſſet factum, cum maxima injuria mea & Denneterii conjunctim; qui non ſolùm labores, ſed & ſumptus omnes ejus nomine ſuſtinemus. Itaque velim Amplitudinem veſtram ei rei proſpicere.

De Rotulo ad dominum præſidem Tyſnachum, ut Amplitudo veſtra jubet, ſcribam; nec omittam quin Domino Aſſonvillio, pro ſuis egregiis in Regem & Rempublicam meritis, omnibus modis, quantùm in me erit, faveam.

Fuitque ſuæ Majeſtati pergratum, quod inſtructiones, & alia diverſa monumenta, Amplitudo veſtra ad me miſerit, quâ de re ſummas etiam atque etiam habeo gratias, quemadmodum & de favore facio, quem Magiſtro Serpido noſtro Amplitudo veſtra exhibet, & novo affini meo filio receptoris Flandriæ: de quo utroque quàm diligentiſſimè cum ſua Excellentia ago, ac Dominum Tonckium vobis placere majorem in modum gaudeo.

Aggæum noſtrum, poſtquam Spiræ aſſeſſor manere non potuit, vitam privatam Coloniæ velle agere non omninò improbo,

& ſpero aliquantulum me otii habiturum ut ad eum ſcribam. Et niſi me fallit conjectura, ſuſpicor de quodam Lamberto Grutero in ejus locum ſufficiendo quoſdam agere. Fuitque ſuæ Majeſtati longè gratiſſimum, quod de ingreſſu Epiſcopi Daventrienſis Amplitudo veſtra ad me miſit.

Domini Noircarmii negotium quàm poſſum ago diligentiſſimè, meretur enim ut qui maximè, mirorque literas, quas ſua Majeſtas ad eum ſcripſit, non eſſe redditas. Sed & id fortaſſe ſuam habet rationem, quam ego ignoro. Non deſinam tamen facere officium quantum queam poteroque.

De diligentia circà pergamenum per Amplitudinem veſtram facta magnas juſſit Rex agere gratias; rogans cætera, cum tempus erit, eodem modo velle procurare, quâ de re nunc deliberatur, & perſcribetur proximè.

Ac quoniam huc venit Lomnius noſter Medicus, quem, per proviſionem, à Rege recipiendum curavi, juſſit ſua Majeſtas ad Amplitudinem veſtram ſcribere, ut à Brugelio, cui conditio hæc ante delata erat, diſcat, ecquid venturus eſt nec ne, ut ſecundùm hoc de Lomnio abſolutè ſtatui poſſit. Sed & hoc ſua Majeſtas addidit, ut Amplitudo veſtra cum Doctore Joanne Goropio Becano, itidem Medico, agere velit, & ab eo intelligere, utrùm ſuæ Majeſtati ut Medicus ſervire velit, & quibus conditionibus; quâ de re & me ad ipſum ſcribere mandavit; ſed eâ lege tamen, ut nihilominùs coram Amplitudo veſtra cum eo tractet.

Novarum rerum hic nihil eſt, niſi quod fœderis contra Turcam dominum Joannem ab Auſtria Capitaneum fore aiunt. Ac de Principibus Bohemiæ in dies expectatur declaratio ſuæ Majeſtatis, quandonam ſint abituri.

Videturque ſoror Regis, Principiſſa Luſitaniæ, mœrore contabeſcere, quod de filio Rege non admodum fauſta ſubindè nunciantur.

Eſt hìc Bonaventura du Tartre nobilis Burgundus, qui cauſam ſuam, de quâ ad Ducem Rex ſcribit, Amplitudini veſtræ commendari rogavit: quod non volui omittere. Eſt enim amicus, & dignus cui bene fiat.

Uxor & liberi Amplitudini veſtræ omnia bona fœliciaque & fauſta optant, ſeque illi quàm humillimè commendant. Omnes rectè valent, laus ſuperis, exceptâ Idâ, quæ adhuc cum febri aliquando luctat. Jamque omnia parata ſunt, ut Complutum

ad ſtudia Gregorius eat, quod erit proximâ ſeptimanâ, cum & nos in majores commodioreſque ædes, volente Deo, migrabimus.

Dum hæc ſcribo, ſupervenit Cayas, qui plurimùm ſe Amplitudini veſtræ commendat; & ſecundùm ea, quæ cum Rege ambo tractavimus, videtur nobis Amplitudo veſtra rem gratiſſimam ſuæ Majeſtati factura, ſi procuret ut minutæ commiſſionum novorum Gubernatorum huc quàm primùm perferantur.

Cura, Reverende Præſul, ut valeas, & te nobis ac Reipublicæ quàm diutiſſimè conſerves, quod ut ita fiat Deum optimum maximum omnibus votis oro. Madriti calend. Februarii 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

Quoniam illuſtriſſimus Dux bis me hortatus eſt, ut, ſi quid velim dum iſthic eſt, liberè dicam, perſcripſi ad eum de confiſcationibus in Dalem, & dominio de Wyngaerden in Hollandia; oravique dominum van Loo, ad quem particulatè omnia perſcripſi, ut Amplitudinem veſtram eâ de re adire, illique omnia commemorare velit, ut, quibuſcumque rebus poterit; me juvet: quod non dubito quin perlibenter faciet, & ut ita fiat majorem in modum oro.

EPISTOLA CVII.

Arg. *Arces in Belgio quæ à perduellibus retentæ erant, recuperatæ. Germani ab Hiſpanis averſi. Hopperus de Gratia Generali ad plures extendenda ſollicitus.*

S. P. Reverende Præſul. Jam triduum eſt quod quaternas ab Amplitudine veſtra accepi literas, pridie Calendas Januarias, item IV. XIX. & XXI. ejuſdem menſis ſcriptas; mirorque quâ ratione factum ſit quod meæ, menſe Auguſto datæ, tanto poſt tempore primùm ſunt redditæ.

Domum meam Hemelianam, reliquoſque vicinos noſtros, nihil damni accepiſſe, ſanè gaudeo; ſperoque fore, ut ratio aliqua inveniatur, quâ Abbas quo fieri queat minimo redimetur: quanquam nihil poteſt eſſe tam parvum, quod non miſero Monaſterio magnum vulnus ſit inflicturum.

De arcibus omnibus recuperatis, multùm hìc omnes gavisi sumus; speramusque reliquas Geusianorum minas hoc facto cessaturas, aut certè irritas futuras : quanquam quod Mepschius noster refert, de Germanorum oculis & animis à nobis aversis, non parvam sollicitudinem injicit.

Vironio nostro ternas suas nuptias faustas ac felices opto, & ut decimo mense avum illum salutare possimus. De Calendariis missis magnas habeo gratias, & item de nova ordinatione super exactione vectigalium, quam hoc mane Gallicam ad me misit ut videam.

Tzommonis nostri causam spero vel tandem exitum habituram, nec opus fore ut mea prophetia hoc modo impleatur; nempe ut soli vertendi causa huc accurrat.

Et quidem haud parum me exhilaravit, quod illustrissimus Dux, respondens ad literas suæ Majestatis super moderatione Gratiæ Generalis, expressè dicit, se gratiam hoc modo intelligere, ut ab ea non censeantur excepti Magistratus, qui revera neque rebelles neque hæretici fuêre; sed timore, errore, aut quâ aliâ fragilitate humanâ, sunt lapsi. Cætera quæ intercessêre, ita mitigare conatus sum, tam per literas regias, quàm meas ad suam Excellentiam scriptas, ut sperem haud exiguum ex ea re fructum ad optimam patriam nostram (ad quam post Deum & Regem unà cum sua Excellentia omnia refero) perventurum.

Nihil adhuc Amplitudini vestræ de liberalitate regia declaratum esse, valde miror; doleremque graviter, si nullam calamitatum nostrarum in Frisia rationem haberi intelligerem.

De profectione Principum Bohemiæ, & Ducis nostri Medinæ-Cœli, nihil adhuc declaratum est; sed brevì fore omnes sperant: expectant certè.

Brevior sum, quia non multum est quod scribam; & si quid erit, meis, qui hinc brevì abituri sunt, tradam, qui ob migrationem meam in aliam domum diutiùs hìc fuêre detenti. Porro quia hic cursor extraordinarius est, & properare jubeor, non possum erga cæteros dominos amicos officium facere, quibus ob id quæso ut Amplitudo vestra me velit excusare.

Uxor, liberi & familia, qui omnes rectè valent, laus superis (nam Ida pœnè convaluit) se Amplitudini vestræ etiam atque etiam commendant.

Cura, reverende Præsul, ut valeas, & te nobis ac reipubli-

cæ quàm diutiſſimè conſerves. Raptim Madriti 15. Februarii 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CVIII.

ARG. *Principum Bohemiæ Imminens diſceſſus. Nihil de Duce Medinæ-Cœli. Privata.*

S. P. Reverende Præſul. Pauculi ſunt dies, quod per curſorem extraordinarium ad Amplitudinem veſtram literas dedi, quibus ad ipſius literas menſe Januario datas reſpondi. Ac quanquam quidem impræſentiarum nihil admodum ſe offert ſcriptione dignum, ne tamen hic curſor, qui & ipſe extraordinarius eſt, vacuus eat, has curſim exaravi.

Nudiuſtertius declarata eſt profectio Principum Bohemiæ ut ad XXV. Aprilis ſint Barcinonæ. Sed de Duce Medinæ-Cœli nihil adhuc actum eſt. Folcardus ad feſtum trium Regum Rex noſter fuit, apud Comitem Arembergenſem regnumque ſuum relevabit poſt octiduum, Deo volente, in altera domo noſtra, quæ hac eſt laxior. Adbibemus Amplitudini veſtræ (ut & priùs fecimus) hilariter, pro parte jurium relevii, quam burſa ejus ſentiet. Sed ut quàm moderatiſſimè omnia fiant, curæ habemus.

Adjunxi his faſciculum literarum Hugonis Heltii noſtri ad Mepſchium. Quæſo ut eum Amplitudo veſtra diligenter tradi jubeat. Ipſe autem Hugo hinc abeſt XXXII. miliaribus, apud Fodinas Fuckarorum, cum amico quodam, qui illis præfectus eſt. Cætera neque nandi neque literarum peritus, non poſſum ſatis mirari hominis ingenium, qui hic mavult miſerè, quàm in patria lautè vivere. Ac tolerari quoquo modo poſſet, ſi doctorum hominum conſuetudinem affectaret; ſed eos fugiens, ſolus in eo, quem dico, angulo latitat, nec quidquam etiam in ſtudiis fatu dignum molitur. Vir tamen optimus eſt, & artium mathematicarum & linguarum peritus.

Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, quam uxor & liberi, totaque adeo familia, etiam atque etiam ſalutant. Tita mea hactenus Folcardum maritum voluit, ſed hodie ab Chriſto-

phoro

phoro munuſculo quodam donata, ad illum voluntatem ſuam convertit. Raptim Madriti 18. Februarii 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CIX.

ARG. *Sex millia militum Germanorum conſcribi juſſa ut adversùs Turcas in Italiam traducantur.*

S. P. Reverende Præſul. Literas Amplitudinis veſtræ menſe Februario datas omnes accepi; ſed ad eas nunc non reſpondebo, quoniam & occupatiſſimus ſum, & hæ in incertum per Italiam & Germaniam eunt, & præterquam quod cras aut perendie Lambertus meus & Cornelius ſunt profecturi, tum puto nos brevì curſorem ſpecialem miſſuros.

Aliqui quidem apparatus fiunt pro Ducis Medinæ-Cœli profectione; ſed illi tam exigui ſunt, & tam lentè procedunt, ut (quod ſemper ſuſpicatus ſum) ante Julium aut Auguſtum vix iſthic videatur poſſe adeſſe, niſi fortè rebus in quibus nunc verſamur, expeditis, in eam rem totam incumbatur.

Eæ autem ſunt, quod tum quidem in Principum Bohemiæ, ex quibus minor ægrotat, & domini Joannis cum iis abitione Rex totus eſt: tum autem in liga contra Turcam concludenda, cujus rei cauſa ſex millia Germanorum conſcribi jubet, ut in Italiam traducantur.

Bene vale, reverende Præſul ac patrone, uxorque & liberi ſe Amplitudini veſtræ quàm humillimè ac officioſiſſimè commendant. Madriti 17. Martii 1571.

Rex ad literas Ducis, menſe Januario ſuper negotiis Anglicis ſcriptas, jam reſpondet, credentialeſque petitas mittit; de reliquis, quæ poſt venere, brevì deliberaturus. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CX.

ARG. *Earumdem rerum, quarum jam in præcedentibus mentio, retractatio. Aliqua de ære vel argento Viglii.*

S. P. Reverende Præsul. Quoniam hæc cursim scribo & in incertum, non faciam longiùs; nam hinc in Galliam eunt, unde ad vos perferentur. Uxor & liberi, laus superis, rectè valent, qui Amplitudinem vestram etiam atque etiam salutant.

De negotiis publicis omnibus jam retuli ad suam Majestatem; damusque omnibus modis operam ut cursorem ante Pascha hinc extrudamus, quanquam abitio Principum, quæ in proximum Aprilem dilata est, & fœdus contra Turcas, plurimum dat impedimenti.

De profectione domini Ducis Medinæ-Cœli credo propediem aliquid tractatum iri. Dominus Cardinalis de obitu fratris ad me scripsit; cui, quantum in me erit, omnem operam, ut omnibus modis debeo, navabo, ut voluntati ejus fiat satis, à quo jam sua Majestas se minimè ostendit alienam.

Fugitivum argentum Amplitudinis vestræ Lusitanicum, uti primum Candianus abhinc tribus diebus, plus minus, ad me ea de re scripsit, conatus sum retrahere; perficiamque ut credo per Cayam, qui jam ad Oratorem isthic nostrum perscripsit, ut Principissæ, verbis quàm maximè poterit civilibus, dicat, id nondum esse persolutum. Proximè certè aliquid fortasse perscribam. Iterum uxor & liberi Amplitudini vestræ plurimam salutem adscribi jubent, cum quibus & ipse Deum optimum maximum oro atque obsecro, ut Amplitudinem vestram nobis omnibus quàm diutissimè conservet. Raptim Madriti ultimâ Martii 1571. Stilo communi Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXI.

ARG. *Gratulatum Viglio de regia munificentia erga ipſum declarata. De mercedibus dandis ex bonis Fiſco addictis. Inundationes, Latronum piratarumque incurſus, & mare ab Anglis infeſtum, omnia illa Belgio damnoſa. Boëtius Epo civilium diſcordiarum præſentem Hiſtoriam meditans. Trajectenſium querelæ, non ad Pontificem Rom., non ad Imperatorem, ſed ad Belgii Præfectum, inde ad Regem deferendæ.*

S. P. Reverende Præſul. Reſponſurus ad literas Amplitudinis veſtræ, VI. VII. IX. XVIII. XXI. XXII. Februarii, item II. XIII. & XXI. Martii datas, primùm inde incipiam, ut, tum quidem de declaratione liberalitatis regiæ Amplitudini veſtræ congratuler: quæ ſi cum iis, quæ hìc decreta erant, congruit, duodecim eſt millium florenorum; faciamque diligenter apud ſuam Majeſtatem id quod jubet: tum autem de optimo officio, circa poſtulata mea præſtito, maximas gratias etiam atque etiam agam. Voluiſſem equidem Loium noſtrum adfuiſſe, & vicariam operam Amplitudini veſtræ præſtitiſſe; ſed quoniam illuſtriſſimus Dux rem tam diligenter egit, prout ipſe ad me perſcribit, & Cayas narrat, ita ut ſi unicus illi eſſem filius non poſſet diligentiùs: ſpero per Dei Gratiam ſuam Majeſtatem, quæ plurima bene affecti erga me animi quotidie ſigna dat, non gravatè literis ſuæ Excellentiæ aſſenſuram, maximè coadjuvante domino Antonio, Cayâ, & aliis amicis. Potuiſſem quidem majora petere, utì de Mepſchio Amplitudo veſtra ſcribit; ſed cenſeo pudentis eſſe ingenii, mediocribus eſſe contentum, & modeſti in liberalitate, nihil minus quàm cautionis de evictione, meminiſſe.

Dixit mihi jam bis Rex ſe omnium confiſcationum ſummam habere ab Duce miſſam, quam mihi in manus ſe daturam ait, ut tandem generaliter, omnibus mercedibus (quos vocamus) finem imponat. Quod cùm fiet, non omittam quin eorum omnium, quos bene de Rege ac Republica meritos ſcio, ac nominatim quidem Rintzii fratris Aſſonvilii, Caſtilii, Lindii, & aliorum, quos Amplitudo veſtra mihi commendavit, ratio habea-

tur. Fiet autem ubi Principes Bohemiæ abierint, quod primo Maio putatur futurum : cum quibus & dominus Joannes ab Auſtria profecturus eſt, ut fœderis contra Turcam Capitaneus; quanquam tamen jam muſſitari cœptum eſt Venetos cum Turca conveniſſe, & ideo fœdus diſſolutum iri : quod non credo, quia non ſpero; metuo tamen.

Non dubito, quin præter inundationes, de quibus Rex ſuperioribus literis ſcripſit, vos autem nihil reſpondetis, & Latronum Piratarumque incurſus, de quibus ſua Majeſtas vix quidquam niſi ex relatione mea cognoſcit, negotium Anglicum valde noſtris hominibus Provinciiſque ſit damnoſum; ſatiſque conjicere mihi videor, quî factum ſit, quod nihil hactenus ſit effectum. Sed quia nunc venit legatus ab Regina miſſus, ſpero illum aliquid boni æquique adlaturum, quo tandem juſtis conditionibus inter nos conveniat. In quo ſi quæ meæ partes erunt, certè quantùm potero laborabo.

Hectorem ſalvum ſanum ad vos veniſſe gaudeo; ſperoque magiſtrum Buchonem (quem utinam Præpoſitum ſancti Bavonis aliquando videam; meretur enim ſi quis alius) & Folcardum, ſecundùm ea quæ mihi ſcripſerunt, jam Romæ eſſe; unde non dubito quin Neapolim ibunt, ubi illuſtriſſimus Cardinalis nunc eſt, vicem Regis gerens. Nam, prout ex literis ejus cognovi, cùm tertiâ hujus menſis prædeceſſor moreretur, ipſe octavâ ejuſdem è Roma diſceſſit. Et quia vos in commiſſionibus & aliis mittendis tam eſtis tardi, Rex voluit ut nos diploma Comitatûs de Cantecroy, & commiſſionem domini de Champaigny ſuper gubernatione Antverpienſi faceremus; quod eſt factum. Ita hic annus domui Granvellanæ circa varias mortes & honores eſt fatalis.

Circa domini Ducis Medinæ-Cœli, qui amiciſſimè pro ſuo ſummo favore me utitur, profectionem, apparatus quidem aliqui fiunt; ſed illi exigui admodum & lenti, quanquam ipſe jam iſthic eſſe cuperet. Profectus jam eſt Julianus ad exercitum, ad eum recognoſcendum; ſed eſt huc, prout mihi dixit, rediturus, ut uxorem ſecum abducat in Arteſiam, ubi Provinciæ Heddinenſi ſe gubernatorem datum ait, prædeceſſoremque Finantiis præfuturum. Res eo ſpectare videtur, ut non niſi re pecuniariâ, quæ iſthic exigitur, conſtituta, & metu hoſtili ceſſante, Dux inde moturus putetur.

Ego Medinenſem hinc menſe Junio vel Julio, Albanum iſt-

hinc menſe Septembri vel Octobri, profecturum, ſuſpicor; ſi tamen uterque profecturus eſt. Ac niſi Rex Folcardum in familiam ſuam cooptet (quod brevì declarabitur) ut Duci Medinenſi jungatur omnino curabo.

Tzommoni noſtram amicitiam fraudi eſſe, valde dolerem, ſi verum eſt, quod nonnullos ſuſpicari Amplitudo veſtra ſcribit. Et ſanè, in tanta innocentia, quam dicunt, tam diutina detentio non caret ſuſpicione: ac maximè quidem cùm & Gratia Generalis pro eo faciat, quam etiam ipſi hìc intelligunt, ut eos officiales dumtaxat excludat, qui re ipsâ hæretici vel rebelles fuerint; non autem qui metu, ignorantiâ, aut aliquâ fragilitate humanâ peccarint. Sed ſpero tandem finem aliquem bonum, maximè cùm inter ipſoſmet non conveniant, prout Amplitudo veſtra ſcribit, & Hervet Anglus (à quo de Collegii veſtri ſtatu libenter cognovi) commemorat.

Boëtius noſter, ſi illam hiſtoriam conſcribat, inveniet, niſi fallor, quod agat. Reſpondebo autem ad literas illius, & Vibrandi, nec non ad Vendivilium noſtrum per proximum curſorem, nunc autem multitudo negotiorum non patitur; quæ & ipſa in cauſa eſt quo minus ad dominum del Rio noſtrum ſcribam: cujus ſanè deſiderium, quantum in me erit, libentiſſimè juvabo, ut ad majora pro meritis ſuis provehatur.

Epiſcopum Harlemenſem Bullas ſuas tandem obtinuiſſe, Rex plurimùm gaviſus eſt; petitque ut Amplitudo veſtra omnem velit navare operam ut Daventrienſis moleſtiis illis, de quibus ſcribit, liberetur. Ac de noſtro Leovardienſi, jam tantum effeci, ut Rex penſionem integram abſolutè ſolvi juſſerit. Nec dubito quin Knyſius noſter facilè ſe purgabit apud illuſtriſſimum Ducem, ſuper ſiniſtris relationibus contra eum factis. Certè ita futurum planè ſpero.

De variis contra novas ordinationes criminales querelis, multi ad me ſcribunt; miſeruntque illuſtriſſima Ducisſa & Cardinalis Granvellanus ad me ſcripta à Trajectenſi Clero ipſis exhibita: Suntque ambo in eadem ſententia, ut neque ad Pontificem, neque ad Imperatorem, ad quos res non pertinet, conqueſtum eant; ſed primum ad ipſum illuſtriſſimum Ducem, deinde ad ſuam Majeſtatem, ſi non ſatisfaciat.

Quæ ad ſuam Excellentiam de vidua Egmundana, & Principiſſa Orangiæ, ſcribuntur, Amplitudo veſtra videbit: & item de juriſdictione Eccleſiaſtica in Burgundia, & Concilii Tridenti-

ni ibidem publicatione. Qua de re non dubito quin Amplitudo veſtra probè norit quid olim ſit factum.

Quid Becanus ſtatuerit, & Brugelius facere velit, proximè expectabo. Mandavitque inſuper ſua Majeſtas ut Amplitudo veſtra dextrè ſe informare velit ſuper famulo Scharenbergii noſtri, ecquid ſcilicet idoneus videatur ad res hìc non tam titulo Secretarii initio (qui tamen poſt ſuccedet) quam primi clerici tractandas, & quâ fide dexteritateque ſit, quo uſu & experientiâ, & quas linguas norit. Nam qui hìc eſt Paulus, vir bonus quidem eſt, ſed non ad alia quàm ad germanica, non ſcribenda, ſed deſcribenda idoneus, cæterorumque omnium ignarus.

Quid de Aggæo noſtro tandem factum erit, libenter cognoſcam; doctoremque Joannem à Roerda ejus ſucceſſorem non memini me cognoſcere.

Soror mea, doctoris Reyneri vidua, plurimas gratias ſuo nomine Amplitudini veſtræ agi petivit, quod generum ſuum, de Hertoge, Amplitudo veſtra tam amicè eſt complexa: de quo & ipſe ſanè ex animo gaudeo. Rogoque Amplitudinem veſtram majorem in modum, ut, cùm prima bona occaſio dabitur, ejus ratio habeatur. Nam hâc ratione non illi ſolum ſed & univerſæ illi familiæ conſuletur.

Has literas ad Reynerum Hopperum, cognatum meum, cum aliis ad Sabinum & Fritemanum, rogo ut Amplitudo veſtra, certò perferendas curare velit. Toto anno cum duobus menſibus non ampliùs quàm ſemel ſcripſit, reſque meas, planè contrà quàm ego juſſeram, egit. Quod mihi graviſſimè dolet; doque operam, ut per Sabinum & Lambertum meum, remedium, ut oportet, adhibeatur.

Cortevilii locum, ſi non redeat, Praets noſter ambit, & alius quiſpiam: neuter, ut ego cenſeo, idoneus. Omnino autem ut pro Denneterio aliquid fiat, Cayas & ego adlaborabimus.

Uxor & liberi, bene, laus ſuperis, valent, ſeque Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, jamque Rex audiviſſe ſe mihi dixit, uxorem rei hortenſis eſſe ſtudioſam.

Cura, reverende Præſul, optime pater ac patrone, ut valeas, teque nobis ac reipublicæ quàm diutiſſimè conſerves. Madriti 23. Aprilis 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXII.

ARG. *Res privatæ; nisi quod de discessu Ducis Medinæ-Cœli variè tractatum.*

S. P. Qui has ad Amplitudinem vestram perferendas accepit, reverende Præsul, Hieronymus est Helwagen, metator suæ Majestatis, vir bonus ac diligens, & rerum aulicarum peritissimus. Qui quidem quoniam primum itineris mei Dux fuit, deinde autem hic res plerasque meas omnes, quæ quidem à domesticis commodè obiri nequibant, administravit, de omnibus relationem, quatenus Amplitudini vestræ placebit, facere poterit. Ait mihi Folcardus, se ab illo trecentos florenos accepisse mutuos, quibus sanè ad vestes (minimè tamen sumptuosas) & equum, aliaque necessaria comparanda, opus habuit, ultra ea quæ à me accepit, non plurima. Nam è re mihi visum est, ut, qui adhuc apud me illi restant septingenti regales argentei, in abitum ipsius, cum Duce Medinæ, serventur; si tamen ille abibit: quâ de re varia fama est. Rodrigus tamen Gomesius omnino abiturum affirmat, & quidem brevì; & quæcumque mecum sua Majestas tractat eodem tendunt.

Non hìc addam plura (quia fortasse ante per cursorem scribam) nisi ut, si quâ re hic Hieronymus ope Amplitudinis vestræ opus habeat, eum commendatum habere velit; nam certè dignissimus est cui bene fiat. Uxor & liberi se Amplitudini vestræ quàm humillimè commendant, omniaque bona optant.

Hodie Principes Bohemi in Arenxues ad Regem & Reginam hinc profecti sunt, inde in Germaniam recta, ut putatur, ituri nisi quid interveniat, quod non speratur. Bene valeat etiam atque etiam reverenda Amplitudo vestra, quem Deum Optimum Maximum omnibus præcibus oro ut quàm diutissimè nobis conservare velit. Madriti 6. Maii 1571. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXIII.

ARG. *Tarditas in ſcribendo Albani Ducis, ejuſque Miniſtrorum, accuſata. Rurſus de Profectione Ducis Medinæ-Cœli. Querelæ Legati Anglici de Legato Regis Hiſpanici. Renovata poſtulatio de mittenda Effigie Radbodi Regis.*

S. P. Reverende Præſul. Quoniam paucis abhinc diebus ſæpiuſculè ſcripſi ad Amplitudinem veſtram, brevior nunc ero; idque eò magis, quod cùm vos in ſcribendo, curſoreſque mittendo, tam tardi ac parci ſitis (loquor autem non de Amplitudine veſtra, quæ omnium mortalium diligentiſſima eſt) ſed de tota re, parum, vel potius nihil habemus, de quo ſcribamus, niſi hoc ipſum, nihil nos ſcribere ſit pro argumento.

Rex cum Regina ſororeque & Principibus ac Archiducibus in Arenxues eſt, unde Principes recta in Germaniam putantur profecturi, & cum illis dominus Joannes ab Auſtria; ſed nihil adhuc habetur certi.

Dux Medinæ-Cœli jam totum ferè menſem abeſt, rediturus poſt biduum; putaturque brevì profecturus, ſed omnia adhuc incerta. Rodericus Gomeſius proximis ſuperioribus diebus, è re ſibi videri mihi dicebat, ſi res quantùm queat, acceleretur.

Qui huc venit Legatus Reginæ Angliæ, jam à multis diebus ab Rege auditus fuit. Generalia ſunt dumtaxat quæ dixit, nec quidquam ſpeciale videtur habere, niſi ut de Oratore noſtro in in Anglia Deſpes egregiè conqueratur.

De rebus noſtratibus ad mercedes (quas vocamus) pertinentibus, nihil adhuc actum eſt, quoniam in abitum Principum ſuam Majeſtatem id rejeciſſe jam ad Amplitudinem veſtram perſcripſi.

Dominus du Tartre fratrem ſuum Amplitudini veſtræ commendari jubet, quem Conſiliarium Burgundiæ fieri optaret, ſi per leges licet (nam non eſſe nominatum audio) & is ejuſmodi ſit, cujus causâ extra ordinem quid fieri debeat.

Infinita ſunt negotia particularia ad Ducem perſcripta, ad quæ miror vos non reſpondere.

Uxor & liberi omnes, per Dei gratiam rectè valent, ſeque Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant.

Porrò

Porrò quod de Pictura Regis Frisiæ aliquando petivi, quæso ut Amplitudo vestra in memoria habere velit. Bene vale, reverende Præsul ac patrone, quem ut Deus Optimus Maximus quàm diutissimè sanum & incolumen servare velit, etiam atque etiam oro. Madriti 14. Maii 1571.

Scripsit ad me Blaserius noster de augmento stipendii. Quantum ad commissionem Burgundicam, Rex rejicit negotium ad illustrissimum Ducem, ad quem scribit. Nescio an per hunc cursorem extraordinarium literæ ire poterunt, nam sua Majestas habet eas signandas.

Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXIV.

ARG. *De rebus Anglicis mandata ad Belgas. Principum Bohemiæ, ut & Joannis Austriaci, ab aula Hispanica discessus.*

S. P. Reverende Præsul. Acceptis vestris litteris proximo mense superiore scriptis, jam in hoc sumus ut respondeamus, non quidem ex toto, sed quantum ad res Anglicas attinet; idque occasione Cobami legati quem Regina huc miserat, cui sua Majestas utì Amplitudo vestra videbit, respondet. Plura non addo, quia hæc obiter dumtaxat per Ammanni Antverpiensis, qui de domo Regis est, filium scribo.

Majores Principes Bohemiæ abierunt, dominus Joannes ab Austria heri profectus est. Rex in Escuriali suo abest, nescio an huc venturus, an nos aliquo propter æstum avocaturus: quod magis putamus, de Ducis Medinensis profectione verbum adhuc nullum; quid tamen futurum sit expectamus: nam & ea de re, & de reliquis negotiis nostratibus omnibus post Principum abitum se tractaturum sua Majestas semper affirmavit.

Decanus sancti Petri Trajectensis hìc adest, ejusque negotia ut diligenter videam Rex mandavit.

Multum hìc urgent fratres Protonotarii Marnier, ut præter coadjutoriam quandam, quam habet, certi monasterii in Burgundia præfectura illi detur. Magnum quidem illi ob servitia

favorem merentur; ſed utrum jure fieri poſſit, quod petunt, nec ne, vos videbitis. Bene vale, reverende Præſul ac patrone, & te nobis ac reipublicæ etiam atque etiam conſerva. Uxor & liberi qui laus ſuperis omnes rectè valent, quamvis calores ſint vehementiſſimi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant. Madriti 8. Junii 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXV.

ARG. *Littora Friſiæ direpta. Piratæ à milite præſidiario in fugam acti. Cobamus, Angliæ legatus, in Patriam dimiſſus, plenus irarum. Cum eo multis egerat Dux Ferianus. Pecunia Luſitanica, neſcio quæ, in tuto. Infinitus Belgarum numerus qui à Rege remunerari poſtulant. De iis brevi agendum, dum jam Viglio, cæteris, ſatisfactum eſt. De præfectura Ducis Medinæ-Cœli apud Belgas - Hiſpani malè ominantur, ipſe Hopperus meliora ſperat; qui addit, ſe, Duce abeunte, non omiſſurum, quin omnia, quæ de Conſiliis apud Belgas reſtaurandis neceſſaria viſa ſunt, Regi iterum ſuggerantur* : Nam prora & puppis, *ut ait*, inde dependere videntur. *Suſpicatur Hopperus, ex reſponſionum tarditate, de qua jam egerat cum Viglio*, more Hiſpanico, contra uſum noſtrum, ad Secretarios, non autem Præſides, res mitti. *Dux Albanus jam ſenectutis frigore conſtringi incipiens, rebus agendis non ita idoneus.*

S. P. Reverende Præſul. Literæ Amplitudinis veſtræ, ad quas nunc reſpondebo, partim XIV. XXII. XXVI. & XXVII. Aprilis, partim Calendis, & VII. Maii ſcriptæ fuêre.

De littorum noſtrorum depopulationibus Rex valde doluit, donec allatis literis illuſtriſſimi Ducis XXI. Maii ad Oratorem noſtrum in Gallia ſcriptis, aliquid bonæ ſpei habere cœpimus;

aiunt enim præſidia noſtra Friſica totam ibi Piratarum claſſem diſſipaſſe, quinque naves cepiſſe, & alia ejuſmodi læta. Quæ miror ad ſuam Majeſtatem non perſcripta; ſed referet fortaſſe coram Vitellius, qui nudius-tertius huc appulit.

Oratorem Anglum Cobamum, peſſimè contentum, irarumque & minarum plenum dimiſimus; quis autem exitus futurus ſit, videbimus. Vehementer urgebat ut commercium ſit liberum : nos niſi reſtitutione factâ, id fieri non poſſe reſpondimus. Narravitque mihi ad longum Dux Ferianus, quod in Eſcuriali cum eo habuerit colloquium, prolixum ſanè & grave dignitatiſque plenum.

Pecunia Luſitanica jam quaſi in tuto eſt, ut propediem Amplitudo veſtra intelliget. Mirorque Tzommonis noſtri cauſam tam diu trahi, & quod de teſtium cum eo confrontatione Amplitudo veſtra ſcribit, ſuſpicionem mihi facit ſummo jure cum eo actum iri.

De liberalitate regia, & ipſe ſuæ Majeſtati nomine Amplitudinis veſtræ gratias agam, eâ formâ quâ ſcribit; & ut proximè aliquid literarum det planè è re mihi videtur : ſunt enim omnia veſtra illi gratiſſima.

Infinitus fere numerus eſt eorum qui mercedem petunt, ob rem ſuperioribus tumultibus bene geſtam. Sed hactenus nihil actum; quia in abitum Principum Rex id negotium ſemper rejecit.

Poſt biduum aut triduum me auditurum ſe ait. Sed tanta eſt negotiorum multitudo, ut vix quatriduum relationi meæ ſuffecturum videatur; quâ peractâ credo mox alium curſorem nos miſſuros, & de mercedibus tractare incepturos : quod proximis tribus menſibus fortaſſe vix abſolvetur.

Medinæ Ducis abitum omnes expectant; ſed hactenus nihil pronunciatum. Et quotquot ſunt hujus nationis malè de ejus gubernatione ominantur : ſed ego ſpero meliora; ſuſpicorque proximâ audientiâ aliquid ab ſua Majeſtate me intellecturum. Et ſanè illo abeunte non omittam quin quæ de Conſiliis reſtaurandis neceſſaria viſa ſunt, iterum Regi ſuggeram. Nam prora & puppis inde mihi dependere videtur.

Multa ſunt iſthic negotia noſtra ad quæ non reſpondetis. Neſcio quid in cauſa ſit; niſi forte more Hiſpanico, contra uſum noſtrum, ad Secretarios, non autem Præſides res mittuntur.

Quidam qui cum Vitellio huc venerunt, illuſtriſſimum Du-

cem valde consenescere aiunt, nec labores civiles aut militares amplius ferre posse. Addebat heri Medinensis Dux, putare se septuagesimum secundum ætatis annum illum excedere, quod tamen alii negant.

Non diu est quod ab illustrissimo Cardinali Granvellano, ex Neapoli, & à magistro Buchone è Roma litteras habemus : videturque Neapolim profecturus.

Super Atrebatensium & aliorum postulatis, de Collegiis Parisiensibus, faciam perlibenter quidque possim boni officii; fietque Amplitudo vestra brevì certior de eo quod factum erit.

Uxor & liberi plurimam salutem Amplitudini vestræ adscribere jusserunt, itemque stynæ, cui & ipse me plurimum commendo.

Quoniam hic cursor de solis fere negotiis Anglicis mittitur, de cæteris rebus propediem perscribemus. Simulque de pensione Episcopi nostri Leovardiensis, in qua re nihil officii prætermitto; sed suspicor Cardinalem Siguntinum, qui summus amicus Palentini Episcopi est, non admodum nos habere favorabilem. facio tamen omnia quæ possum; utì & in Episcopi Namurcensis re ago apud Episcopum Jaënsem : qui certè promptìssimum se ostendit, dummodo sciat quantum nunc dotis Namurcensis habeat. De quo ad Ducem Rex scribit : miraturque supradictus Jaënsis Brugensem nihil petere, qua de re Langius noster certiorem illum facere poterit, nam si quid illi debetur, facile ut satisfiat procurabitur.

Bene vale etiam atque etiam, reverende Præsul ac patrone, & nos ut facis ama. Madriti 20. Junii 1571. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

De Trajectensium negotio proximâ audientiâ, Deo volente, tractabitur; dabimusque operam, ut quod rectum est fiat.

Quod de domino Doctore Mylio nuper scripsi, non possum non iterum Amplitudini vestræ etiam atque etiam commendare: quæ id quod faciet in hominum meritissimum conferet, & perinde habebo atque si in me conferatur. Quoniam Rex scribit in favorem Doctoris Milii super exportatione certæ quantitatis lupuli in Angliam, dignabitur Amplitudo vestra rem eam, quatenus ratio fert, habere commendatam. Dico autem, quatenus ratio fert; quia Rex suâ manu in eam sententiam clausulam literis adjecit; idque eâ solum occasione quod dubitaret ecquid tale quid olim fuerit usitatum.

EPISTOLA CXVI.

ARG. *De privato negotio Vice-Comitis Duclef. Dies designatus profectionis Ducis Medinæ-Cœli; nequicquam.*

S. P. Reverende Præſul. Quoniam abhinc biduum diſcedit noſter curſor, has tantum ad hoc ſcripſi ut rogatu Vice-Comitis Duclef, fratris domini de Jauſe, ut quod in Conſilio Turbarum habet negotium, Amplitudo veſtra Heſſelio aut Del-Rio commendare dignetur, quo antiquis ſuis redditibus, quos ſuper bonis quibuſdam confiſcatis habet, frui poſſit.

Dies profectionis domini Ducis Medinenſis dictus eſt XXVII. hujus menſis, ſed quantum conjicimus omnes, & ille unà nobiſcum, valde malè adhuc parata ſunt omnia. Quid autem futurum ſit tempus docebit; nec omittemus quin Folcardus in omnem eventum ſit paratus. Uxor & liberi ſe plurimum Amplitudini veſtræ commendant. Bene vale, reverende Præſul, & te nobis etiam atque etiam conſerva. Raptim Madriti 13. Julii 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXVII.

ARG. *De Gallis turbantibus rumor.*

S. P. Heri, reverende Præſul, ſcripſi, latiùs poſt biduum aut triduum me ſcripturum, & ita, Deo volente ſum facturus. Et verò jam feciſſem, niſi Rex hunc curſorem certis quibuſdam negotiis Gallicis voluiſſet præire; noſtrum autem cum noſtris negotiis poſt pauculos dies ſubſequi, per quem omnibus de rebus, quæ ſe offerunt, nec multæ ſunt, prolixè ſcribam.

De Gallis hìc quædam feruntur non optima, & ad tranquillitatem noſtræ Patriæ minimè pertinentia, ſed ſpero vana eſſe.

De Ducis Medinæ-Cœli profectione nihilo plus certi quàm heri habemus, nempe quod ad XXVII. hujus menſis putatur futura; ſed apparati perparum vel potius nihil eſt. Cura reve-

rende Præſul, ut valeas, teque Patriæ nobiſque quàm diutiſſimè conſerves; quod unà mecum uxor & liberi optant, ſeque Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant. Madriti 14. Julii 1571.

Is qui longam illam litem contra Hieronymum de Salamanca in Conſilio Privato proſecutus eſt, Chevarii nomine, ut credo, hic petit reviſionem, qua de re rogavit ut Amplitudinem veſtram certiorem facerem.

Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXVIII.

ARG. *Viglius Regi per epiſtolam gratias agit. Neſcio quod negotium Trajectenſium Decanus S. Petri gnaviter propugnat.*

S. P. Reverende Præſul. Ad literas Amplitudinis veſtræ XIX. XXIX. Junii & VI. & VIII. Julii datas, non accuratè, ſed carptim, & quaſi per puncta reſpondebo, quoniam Rex ex inſperato hac nocte curſorem abire jubet, quem poſt triduum demum abiturum putabamus. Gratiſſima ſuæ Majeſtati fuit gratiarum actio Amplitudinis veſtræ, & plura ea de re ſcribam proximis literis, nam interea Rex in urbem redibit, & coram ea de re loquar.

Hectoris cum Bugeriana procatio per mihi placet.

Sunt dies ſex quod Rex commiſſionem Ducis Medinæ-Cœli me facere juſſit; ſed nondum hoc ſufficit ad incredulitatem quibuſdam eximendam.

Decanus ſancti Petri gnaviter omnino rem Trajectenſium ſuorum agit (quod & ipſos velim intelligere) ſed ſine adviſo Ducis non putavit quidquam Rex agendum, quanquam cauſæ ſatis favere videtur. Interea me ad illos ſcribere juſſit, ſi forte impetrari ab ſe paterentur, ut cum reliquis Statibus ſe conformarent; miſſæque ſunt meæ literæ per Regem ad Ducem, ut diſpiciat utrum ad Trajectenſes mitti debeant, nec ne. Quæ eſt cauſa, quod utrumque, tam de adviſo petito, quàm de meis literis, ſua Majeſtas ſecretum haberi juſſit, nec dici Decano qui hìc eſt, antequam ſua Excellentia ſtatuerit.

De Boſchuſii noſtri victoria, multum hìc omnes gaviſi ſumus, & ut ſolida ſit, optamus.

Scribit ad me Styna (quæ ignoſcet quod non reſpondeam propter occupationes) de nepote quodam Crypii noſtri, cujus literas non accepi, inter Archiros, quos vocamus, collocando. Qua in re libenter omnem quam queam operam navabo, & non dubito quin Capitaneus eorum quidvis in meam gratiam ſit facturus: quanquam in re aliena certum omnino promittere nolo, niſi operam meam & bonam ſpem rei conficiendæ. Uxor & liberi omnes, laus ſuperis, rectè valent, & ſe Amplitudini veſtræ quàm officioſiſſimè commendant, quam etiam atque etiam valere, omnibus votis omnes optamus. De Tzommone noſtro quid tandem futurum ſit avidè expecto. Raptim Madriti 6. Augnſti 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXIX.

ARG. *Viglius majorem mercedem jam pridem à Rege exſpectare juſſus; quo in negotio omnem ſuam operam ei deſpondet Hopperus. Tzommonis cauſſa finita; qui quidem, ut accepiſſe ſe dicit Hopperus, exilio luit, quod multi capitali ſupplicio. Ei tamen & famam & libertatem reſtitui cupit. Viri idonei nominandi, qui in Conſilium Status, Privatum, & Financiarum in Belgio adlegentur, ſicque* antiquus rerum ordo reſtituatur. *Nominatio Regis ad Beneficia aliquot Eccleſiaſtica.*

S. P. Reverende Præſul. Nolo nunc particulatim ad literas Amplitudinis veſtræ reſcribere propter occupationes publicas; & ideo privata penitus reſervo pro curſore, qui brevì ibit ad Imperatorem, per quem non niſi privata ad Amplitudinem veſtram & reliquos amicos tractabo. Interim hoc habeat Amplitudo veſtra, me quantum ad majorem mercedem (quam vocamus) Amplitudini veſtræ dandam attinet, nihil ſtudii & officii prætermiſſurum. Nam ſi tantum Mepſchio datum eſt, quod ſa-

nè nescio, (scio tamen artificem esse in ejusmodi rebus) æquum est, ut triplo amplius vestræ Amplitudini, mihi autem multis de causis, duplo certè plus detur. Sed vix puto quidquam futurum, antequam illustrissimus Dux Albanus huc veniat, si tamen est venturus : nam quod ad Ducem Medinensem pertinet, verum quidem est, moveri semper aliquid, & nunc quidem equos, nunc alia ad mare mitti; sed omnium judicio, promoveri parum, nisi quod inscientibus omnibus fortasse die quâdam abibit ex insperato : quod planè puto futurum. Nam sua Majestas semper ita tractat negotia, ut præsupponat illum iturum; quod cùm fiet, Folcardus una ibit, cui sexcentos illos regales nummos argenteos, à Galieno pro Montano datos, de quibus nuper scripsi, tradam : orans interim dominationem vestram, ut eos ad florenos nostrates redactos, supradicto Montano numerandos curare velit.

De Tzommone nostro mihi scribit Pratsius se omnem operam quam potuit illi navasse; sed revera ad extremum in culpa fuisse deprehensum, & multos capite luisse, quod ille exilio luit, in gratiam fortasse (quod ego de meo addo) Amplitudinis vestræ ac meam. Omnino autem ineunda est ratio ut & libertas & fama restituatur. Et non caret fortasse mysterio, quod in certam regionem relegatus est; scilicet ne quo conquestum eat.

Multum in hoc jam sumus, ut quàm maximè idoneas personas suæ Majestati nominemus, qui in Consilium Statûs, Privatum, & Financiarum adlegentur, & antiquus rerum nostrarum ordo restituatur.

Ad Decanatum Hagensem Rex dominum Canum nominat; ad Abbatiam de Viscoigne, Priorem, impositâ pensione septingentorum florenorum, ex quibus quingenti Canonico illi Leodiensi cedunt, qui litem de Præpositura Daventriensi facit, eâ lege ut desistat : ducenti, æquis portionibus, quatuor adolescentibus ad studia eorum juvanda, quos ut ego Amplitudini vestræ nominem sua Majestas jussit, ut ad illustrissimum Ducem referat. Ac sunt filius Remberti nostri Dodonæi, Doctoris Medici; magistri Joannis Duyf kena, Notarii Universitatis Lovaniensis, Idæ cognatæ meæ consobrinæ, viduæ Joachimi Olberts quæ cum filio Lovanii vivit, quantum audio; & denique Doctoris Reyneri Tegnagel, nisi fortasse dominus van Loo illam partem malit pro suo filio, quod si ita est, ego dabo operam ut filio Doctoris Tegnagel super Abbatia Montis sancti Eligii aliquid detur, sic ut optio

ut optio ſit apud dominum van Loo. Filium Receptoris Hertoge adfinem meum ſuæ Excellentiæ quàm potui diligentiſſimè commendavi. Cætera quæſo ut Amplitudo veſtra ſuum illi favorem impartiri velit, quod non dubito quin perlibenter ſit factura. Dux Ferianus periculoſiſſimè ægrotat, ſed quamdiu quis ſpirat, ſperat.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ quàm officioſiſſimè commendant. Bene vale, Reverende Præſul ac patrone, & nos ut facis, ama. Madriti penultimâ Auguſti 1571.

Plurimum rogatus ſum hoc memoriale ad Amplitudinem veſtram mittere, cui de bona nota id commendo. Et petiit à me Chevarria, ut tempus reviſionis ſibi prorogatum eſſe Amplitudini veſtræ ſignificarem.

Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXX.

ARG. *Incommoda novi Decreti Civitatis Antverpienſis. Belgicæ Gubernatoris deſignati Litteræ Sigillo Hiſpanico munitæ; quod an Conſilio Brabantiæ placiturum ſit, dubitat Hopperus, ſed factum probat. Rurſus de profectione Ducis Medinæ-Cœli, cujus filia Comiti Cyfuentes nubit. Folcardi morbus. De Dennneterio in Cortevillii locum ſubrogando. Nulla adhuc Regis firma ſententia de novis in Belgio Conſiliariis creandis. Aſſignatæ Penſiones ab Abbatiis ſolvendæ.*

S. P. Reverende Præſul. Reſpondebo nunc ad litteras Amplitudinis veſtræ XXII. Julii & II. ac XXIII. Auguſti datas, nam cæteris puto me omnibus ſatisfeciſſe.

Quæ circa Reipublicæ Antverpianæ novam ordinationem facta ſunt, omnia vidimus; reque totâ bene perſpectâ, videtur mihi, & ita ſuæ Majeſtati dixi, reliquorum magiſtratuum viribus exhauſtis & enervatis, apud unum Gubernatorem ſummam rerum eſſe (licet verbis aliud ſimuletur): quod an ex bono publico futurum ſit, experientia, ut bene Amplitudo veſtra dicit, docebit.

Commiſſionem autem Gubernatoris iſthic factam, hic (prout Illuſtriſſimus Dux petierat) renovavimus & ſigillavimus. Quod neſcio an Conſilio Brabantiæ placebit; ſed quando Gubernator exterus eſt, & Sigillum credo externum eſſe poteſt.

Quantum ad Rotulum attinet, miror Sickinganum noſtrum nihil ad Amplitudinem veſtram eâ de re ſcripſiſſe. Nam jam diù eſt quod illi ſignificavi, Regiam Majeſtatem filio ipſius locum in Rotulo dediſſe: diſpiceret ac deliberaret cum Amplitudine veſtra, ubinam eum collocari vellet; quod continuò fiet.

Dux Medinæ-Cœli proximâ ſeptimâ Medinam proficiſcitur, filiæ nuptias cum Comite Cyfuentes celebraturus, unde ad mare recta dicitur profecturus. Quid futurum ſit, in genibus Dei eſt, ut ille ait; pauci autem ſunt, qui niſi viderint, credant. Ego autem volo credere, quia ſua Majeſtas ita mihi ſemper affirmat, non nullaque negotia in adventum Duci Albani rejicit, cum quibus fortaſſe (certum tamen non ſcio) magnum illud de mercedibus diſtribuendis conjungetur, cujus mihi curam abhinc paucis diebus (quod omninò inter nos ſit) ſpeciatim ſua Majeſtas mandavit.

Folcardum morbus quidam popularis, qui hic craſſatur, invaſit, cum magno omnium noſtrum dolore; adhibemuſque omnem operam, ut nihil ſtudii, diligentiæ & curæ omittatur, ſperantque hactenùs Medici bene, nec ſunt multi ex eo malo mortui, ſed plerique omnes reſtituti quod & de Folcardo, Deo adjuvante approbanteque, omnino ſperamus futurum. Ubi autem convaluerit, de profectione ejus pro re deliberabimus, nec quidquam paterni officii omittemus.

Tzommonis noſtri ſententiam, quæ in ejus cauſa lata eſt, Wrdius ad me miſit; videnturque & res & verba bellè inter ſe congruere, gratularique nobis debemus, Amplitudo veſtra & ego, quod tanta noſtri ratio habeatur. Confinationem vix aliunde proceſſiſſe exiſtimo, quàm ne huc accurreret. Et vero quia reſtitutio ſuæ Majeſtati & Gubernatori nominatim mandata eſt, ſi quid putetis me facere poſſe, diſpicite. Ego omnem operam, quamcumque rectè potero, libentiſſimè præſtabo.

De Denneterio denuò ſum locutus ſuæ Majeſtati; quæ hoc ſolum diſpiciendum eſſe ait, utrum Cortevillius venturus ſit nec ne. Nam ſi venturus, nulla amplius deliberatio eſt,

nisi forte ob morbum illius Denneterius secundarius constitueretur Secretarius; si non venturus, dicat apertè. Nam antequam Dux huc veniat, aliquemque, quo de metuitur, secum ducat, jam res, ut puto, erit confecta. Cæterum ut res perpetuò suspensa teneatur, quem admodum à multis annis factum est, neque servitio Regis convenit, neque Denneterio, neque mihi; qui, aliis de salariis suis & cæteris emolumentis gaudentibus, solus, & laborem sustineo (nam quia in consultatione Denneterius non intervenit, mihi meâ manu omnia scribenda sunt) & sumptum, dum unum Secretarium in gratiam alterius alo. Et sanè quod Dominus Cortevillius nuper ad me scripsit, cupere se huc redire, idque Regi ostendi petivit (quod faciam), vix alio pertinere videtur, quàm ut res trahatur: quod non convenit, ut dixi; sed è re erit ut si animum, vel vires ad revertendum non habeat, id nobis hic, nullâ ibi mentione ejus habitâ, significet; quo facto mox officium faciemus. Et si Amplitudo vestra super ea re ad suam Majestatem scribere dignetur, non dubito quin permagnum momentum illi sit accessurum.

De Consiliis nostris novis Consiliariis instruendis, jussit nuper Rex ut sententiam dicerem; quod feci, primùm dicto, deinde scripto, vestigiis eorum quæ ab Amplitudine vestra acceperam, semper insistendo. Sed nihil adhuc constitutum est, & fortasse vel in abitum Ducis Medinensis, vel in adventum Albani reservatur.

Ordini Franciscanorum & item Dominicanorum libenter eam, quàm potui, operam navavi, plura facturus, cùm occasio se offeret. Nec aliud pro gratia peto, quàm ut suis sanctissimis precibus apud Deum pro me meisque intercedant.

Domini Noircarmii rem cum majore fructu, quàm hactenus, agere me posse existimo, ubi ad ea quæ de Gubernationibus sua Majestas scripsit, Illustrissimus Dux responderit. Nam in id tempus commissiones differri Rex voluit; nec dubitet Amplitudo vestra quin nullam occasionem omittam quâ illi serviam ac prosim.

Ac quantum ad Castilii nostri, optimi viri, negotium attinet, & de eo Amplitudo vestra certum habere poterit me omnia omnino facturum, sed id non poterit fieri antequam de Mercedibus generalibus tractetur.

Super Abbatia Montis Sancti Eligii Rex Protonotario de Reux,

qui hìc eſt, penſionem dedit quadringentorum florenorum, & Epiſcopo Atrebatenſi itidem quadringentorum. Et ſi quidem ad mille uſque ferre poſſe Duci videatur, Langio noſtro ducentorum, quem una cum reliquis duobus non potui non (etiam cum mea jactura, nam alioqui filio fortaſſe aliquid datum fuiſſet) Regi facere commendatum.

De Laurentio Scharembergeri famulo, omnino Rex decrevit, ut hùc vocetur. Sed quoniam ſua Majeſtas etiam Dominum Ducem ſuper eo per literas Hiſpanicas ſcripſiſſe meminerat, & Cayas eas nunc ad manum non habet, dilata eſt ſcriptio ea de re in proximum curſorem.

De decimi viceſimique denarii exactione tam accuratè Amplitudinem veſtram mihi ſcripſiſſe plurimum gaudeo; nec deëro occaſioni, ſi qua ſe offert, rei bene tractandæ; quod eo erit facilius, quod Rex jam mihi mandavit ut de Edicto (quod ipſe non accepit, & haud ſcio an publicatum niſi ex me ſcivit) ſummâ proximâ audientiâ ad ſe referam, quod ſum facturus.

Eliſabethæ veſtræ, ſive filii ejus negotium, ubi Ducis literæ venerint, libenter juvabo; Chriſtinæque de Cripii noſtri poſtulatione jam me reſcripſiſſe puto.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, omniaque ei bona omnibus votis optant.

Bene vale, Reverende Præſul ac patrone, quem ut quàm diutiſſimè incolumen nobis ſervet, Deum optimum maximum iterum atque iterum oro. Madriti 14. Septembris 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Quæſo ne omittatur quin Regis noſtri Radbbodi effigies quàm primùm mittatur; & ſi iſthic exſtant aliquæ literæ Imperatoris Caroli ad Imperatorem Ferdinandum, ſive Regem Romanorum, extenſæ cum ſuis titulis, rogo ut Amplitudo veſtra binarum aut ternarum copias ad me mittere velit, pro currioſitate quadam Regis explicanda.

EPISTOLA CXXI.

ARG. *Nullum è Belgio responsum ad negotia magni momenti plurima. Culpa in Gubernatorem rejecta. Querelis Trajectensium, aggeres suos, pontes, vias publicas intercidere, Rex obviam iri cupit. Belgis bene merentibus dandæ mercedes, atque inprimis Viglio, cui hac in re studium suum despondet Hopperus. Hopperus cum Rege Philippo planius agit ac liberius, quàm Senatores Belgici cum Legato ejus aut Administro Albano. Noircarmius ab Ærarii cura absolvi cupiens, quam tamen ex Viglii sententia egregiè tuetur. Dignitas ejus & honores augendi. Actum de Hispanis aliquot hominibus in Consilium Financiarum adlegendis. Dux Medinensis jam mari proximus, monimentis omnibus ad solvendum instructus. Andreas quidam Mediolanensis Cancellarius, in Belgium venturus, qui* Syndicatum *in Vergianum Consilium exerceat. De stipendiis Gubernatoris Belgii Rex certior fieri cupit. Batavi mercatores à salis commerciis in Hispania absterriti. Inconsultum videtur ut Generali Maris Præfecto, Imperii Germanici nomine creando, Hollandiæ qui vocatur Admiralis subjiciatur. Radbodi, Frisonum Regis, effigies à Viglio missa. Jucunda nuncia de re bene ab Joanne Austriaco adversus Turcas gesta. Folcardi mors.*

S. P. Reverende Præsul, respondebo nunc ad literas Amplitudinis vestræ, II. XXI. & XXII. Septembris, item XV. & XVI. Octobris, & II. Novembris scriptas.

Ac primum quidem, certè hic valde miramur, cum tot ac tanta negotia ad vos miserimus, omnia fere magni momenti, ad nullum penitus responderi. Quod quidem quia non aliâ re magis fieri autumo, quàm quod non in eorum, quos oportet, hoc

eſt Præſidum, ſed Secretariorum, & aliorum, quos non oportet, manus, negotia dantur; diligenter in inſtructione Ducis Medinenſis in eo proſpicere conati ſumus, ne amplius ea in re (ſi modo legibus parebitur) tanto cum damno publico, peccetur. Suntque hìc non pauci Trajectenſes, Burgundi, Lotharingi, & alii, qui nihil aliud expectant, quàm ut vobis reſpondentibus finis eorum negotiis, in unam vel alteram partem imponatur.

Ac quantum ad Trajectenſes attinet, quoniam inter cætera per libellum ſupplicem hìc conqueſti ſunt, aggeres ſuos, pontes, itinera, & alia opera publica quotidie intercidere, nec poſſe ipſos propter ſententiam adverſum eos latam, remedium ei rei adhibere : ſcribit Rex ad Ducem ut eam rem curæ ipſe habeat, diligenterque mandet, ut, quæ opus ſunt, fiant. Sed quoniam literæ ille generales dumtaxat ſunt, & fieri poſſet, ut, ſi aliâ ratione res hæc adminiſtraretur, quàm hactenus factum eſt, magni aliquid damni & incommodi inde emergeret, imperavit mihi ſua Majeſtas ut ad Excellentiam ſuam & Amplitudinem veſtram perſcribam : videri ſibi omnino neceſſarium ad ſupradicta incommoda vitanda, ut eâdem formâ, & per eaſdem perſonas (dummodo idoneæ ſint) res adminiſtretur, qua huc uſque factum eſt; rejiciendo tamen ad vos qui in re præſente verſamini, ut id fiat quod æquius melius judicabitis.

De Denneterio noſtro maximas Amplitudini veſtræ habeo atque ago gratias, quod ad ſuam Majeſtatem tam diligenter perſcripſit. Et ſanè omnino convenit ut ita fiat, ne aut domino Cortevillio, aut Denneterio, aut mihi, aut quod præ omnibus eſt, Regi ac reipublicæ injuria fiat. Rex cùm heri veſperi epiſtolam Amplitudinis veſtræ à me accepiſſet, diligenter ſe eam examinaturum reſpondit.

Tzommonis noſtri caſum vehementer doleo, & ſi Amplitudini veſtræ videtur, vel cum ſua Majeſtate ipſa, vel cum illuſtriſſimo Duce Albano, vel cum Medinenſi tractabo. Niſi fortè è re videtur, ut niſi hìc Rex negotium abſolvere & adviſum veſtrum habere velit, in adventum Medinenſis id reſerverur, quanquam, qualis ille, ac maximè quidem circa retractationem eorum, quæ à Prædeceſſore facta ſunt, futurus eſt, res docebit.

Ut ſummorum meritorum Amplitudinis veſtræ ſumma ratio habeatur, omnibus modis, quantum quidem in me erit, procurabo, totique jam in hoc ſumus ut juſtam diſtributionem facia-

mus (quod inter nos ſit, nam ita Rex juſſit) ſed neſcio an ante adventum Ducis Albani, quidquam abſolutè ſtatuetur. Nec ſcio an, quæ de Mepſchio dicuntur, magnis nitantur fundamentis. Sed jam habebit novos amicos, nobis potentiores, poſtquam nihil ad nos ſcribit.

Penſiones ſuper Viconienſi & Sancti Eligii Abbatiis aſſignatas, utì Amplitudo veſtra curæ habere velit, vehementer rogo; ſimulque ſignificare (nam ita Rex mihi juſſit) utrum Langius noſter, piæ memoriæ, ante ſuam penſionem conſtitutam obierit. Nam id ſi eſt, cupit ſua Majeſtas de novo ea in re proſpicere, ſiquidem Abbatia id ferre poteſt.

Chevariæ nihil aliud dedimus quàm literas pro adviſo ſuper reviſione, (quas, ut ego hominem video, non præſentabit) & item alias ſuper reſtitutione in integrum cum ejuſmodi clauſulis, ut, ſi bene intelligantur, nihil admodum laborabitur. Molitur autem longè majora, tam contra eos qui rem Principis tractant, quàm contra eos qui ſententiam adverſum eum tulerunt; nempe ut per hujus gentis homines de cauſa cognoſcatur. Sed quoniam Rex ad me tandem referri rem juſſit, dabitur opera ut omnia rectè ſe habeant.

De Inquiſitione Burgundica ſcripſit ad me Boulinus; mirorque ipſos meas literas non accepiſſe. Nam una cum Regiis ad Ducem ſimul & meas ad ipſos dederam.

De decimo ac viceſimo denario, quàm potui diligentiſſimè cum ſua Majeſtate egi, & verbo coram & ſcripto per literas, additis etiam veſtris, prudentiſſimè meo judicio excogitatis; quæ in optimam partem Rex accipit. Nam hoc planè animadverto, me ſolum cum domino, haud paulò liberiùs quàm vos omnes cum miniſtro, poſſe agere. Perſcripſit ad me Rex heſternâ nocte, ſe rem brevi velle abſolvere, & per ſpecialem curſorem rem velle mittere. Quid fiet, Deo volente videbimus. Ego certè, quantum ad me attinet, nihil ſtudii & officii prætermitto.

De domino Noircarmio veriſſimum mihi videtur quod Amplitudo veſtra dicit, nempe magno illum uſui eſſe ìn Financiis. Sed quoniam ipſe abſolvi petivit, effeci quod juſſit, eo ipſo modo quod voluit; & de titulo illius augendo ſimul etiam brevi fortaſſe tractabitur. Quid autem ſuam Majeſtatem moverit ita de eo ſtatuendi, non ſcio, niſi hoc unum bene memini, quod jam ab annis multis decretum apud Regem eſt, ne qui Financiis præſunt, Provincias in poſterum gubernent. Porro ut hujus nationis aliqui in Financias intrent, hoc quoque agi, certò ſcio.

Ducem Medinenſem jam ad mare eſſe putamus, nudiuſque tertius omnia ad eum miſimus, nempe inſtructiones (quæ ſi ſervabuntur, non admodum laborabitur); ordinationes Conſilii Status, ad veteres expreſſas; & literas ad Status, & alios noſtros Principeſque vicinos. Quibus quidem, quia Dux ſuas literas addere debet, præcepit mihi Rex, ut ad Amplitudinem veſtram perſcribam, ut de iis cogitare velit, quo pacto, ac maximè quidem ad Imperatorem & Principes Germanos ſint ſcribendæ.

De Conſiliariis illi addendis, latè ad ſuam Majeſtatem retuli; ſed nondum quidquam determinatum eſt, verùm priùs credo Andream iſthuc quendam Cancellarium Mediolanenſem venturum, qui Syndicatum in Vergianum Conſilium, & alia exerceat. Velim autem principalium non minorem quàm acceſſariorum haberi curam.

Præter ſupradicta, hæc quæ ſequuntur, particulatim ad Amplitudinem veſtram perſcribere Rex juſſit. Primùm quænam Gubernatoris Generalis extraordinaria ſint ſalaria, præter triginta ſex mille florenos annuos ordinarios. Deinde quâ ratione effici poterit ut noſtri pro ſale in Andaluziam redeant; quam negociationem propter impoſitionem quamdam, quæ nunc ſublata eſt, magna ex parte omiſerunt. Meminique rogatu Amſterodamenſium me, cum huc primùm venirem, retuliſſe. Et fortaſſe prodeſſet ſi ſupradictæ impoſitionis ſublatio noſtratibus innoteſceret. Tum an ullo modo conſilium videatur, ut Dux Holſatiæ Præfectus Maris Generalis creetur nomine Imperii, illique noſter Admiralis pareat; quod ſuæ Majeſtati, primâ fronte, nullo modo probatur, ut latè ad Ducem ſcribit; ſed ſpeciatim petit ut Amplitudo veſtra ſuper eâ re cogitet, & ſuam ſententiam perſcribat.

Radbodi Regis effigiem poſteriorem accepi, habeoque maximas eo nomine gratias. Et quod Amplitudo veſtra dominum de Auxy mihi commendat, ut ſuo tempore ejus ratio habeatur curæ habebo.

De Molenarii noſtri, viri optimi, morte doleo. Et quoniam cum Peckio Crypium noſtrum & Huyſmannum noſtrum in ejus locum denominatos intelligo, quæſo ut, ſi quis eâ occaſione locus forte vacet, Marci noſtri de Hertoghe ratio habeatur, quem Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendo.

Optima illa de bello Turcico nova jam non dubito quin ad vos ſint perlata. Quæ quidem uti vera eſſe non dubitamus, ita

Domini

Domini Joannis manu jam confirmata eſſe valdè optaremus, quod in ſingula momenta expectamus.

De Folcardo, Reverende Præſul ac Patrone unice, jam Amplitudo veſtra ex ſuperioribus literis noſtris intellexit, eum in morbum quemdam, hic tum temporis popularem (nullâ aliâ occaſione) incidiſſe, cui poſtquam per dies quindecim omnia divina & humana officia adhibuimus, tam ipſi coram ego & uxor, quàm noſtri omnes, nihil penitus diligentiæ aut ſtudii omittentes; tandem placuit Deo optimo maximo, ad ſe illum (magno omnium noſtrum dolore) decimâ quintâ morbi die, hoc eſt XXIV. Septembris, vocare. Juvenis ſanctiſſimæ ac honeſtiſſimæ vitæ dum ſupereſſet, eodem modo Sacramentis omnibus adminiſtratis piiſſimè mortuus eſt, voluitque apud filium meum Tydemannum in Eccleſia Religioſorum Sanctiſſimæ Trinitatis ſepeliri; quod & factum eſt, nihilque omiſſum quod ad Religionem & honeſtatem pertineret. Interfuitque funeri tota Natio noſtra & Burgundica, cum ſummo decore. Uterer autem verbis conſolatoriis, niſi partim ipſe conſolatore indigerem, propter ſummam juvenis animi & corporis præſtantiam, & erga me meoſque obſervantiam: partim ſcirem cum Amplitudine veſtra mihi rem eſſe, eo nempe homine qui Chriſtianis & Philoſophicis Doctrinis inſtructiſſimus, & rerum experientiſſimus, nihil ejuſmodi opus habet; ſed jam multo ante præmeditatum habet, eâ lege omnes homines naſci, ut tandem moriantur. Quod tum maximè eſt tempeſtivum, cum quàm minimis, ſive per ætatem, ſive aliter, quis gravatus eſt conſcientiæ ſcrupulis, quod certè optimo illi juveni accidit.

Rationes per Denneterium perſcribendas curabo, ſive nunc ſive proximo curſu, ubi & ſexcentorum Regalium numerum, quos Montano Amplitudo veſtra dedit, mentio fiet.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, & quid de nuptiis nepotis Amplitudinis veſtræ cum conſanguinea mea vidua tandem futurum ſit, valde avidè expectamus.

Quod de literis Cæſaris ad fratrem Ferdinandum miſiſtis, ſatis eſt; nam voluit ſua Majeſtas ſcire (quæ ut ad Amplitudinem veſtram ſub confidentia liberè perſcriberem juſſit) anne Burgundiæ aliquam Cæſar faceret mentionem in literis ſuis ad fratrem. Qui ſcrupulus nunc exemptus eſt.

Dominus van Loo noſter, quod parvulam illam penſiunculam

omisit, bene mihi fecisse videtur; & ut major propediem detur, omnibus modis operam dabo.

Quid tandem mihi remunerationis dabitur, cum patientia expectabimus, Rex certè, & verbis, & vultu, & omnibus rebus perbenignè me tractat. Ut autem ante generalem distributionem quid fiat, quæ in Ducis Albani adventum fortasse differetur (certum tamen non scio) vix puto. Quod Deo placebit ad id nos accommodabimus, nihilque interim per ejus gratiam officii omittemus.

Quid Aggæus noster agat, quid moliatur, vehementer scire desidero, quem in tanta Amplitudinis vestræ erga eum affectione, ipsum sibi non defuisse vehementer optarem. Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, seque nobis ac reipublicæ per Dei gratiam quàm diutissimè conservet. Madriti 14. Novembris 1571. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Ducissa Feriæ multum me rogavit ut fasciculus ad dominam de Hungerford & alii diligenter destinentur.

EPISTOLA CXXII.

ARG. *Filius natus Philippo Regi. Metus Hispanis ab Huguenotis Galliæ, instigante Turca. Regis verbis consolatur Viglium Hopperus de Folcardi morte.*

S. P. Reverende Præsul. Qui has perfert non alia de re mittitur, quàm ut de felicissimo Reginæ nostræ partu nova perferat. Itaque non mirabitur Amplitudo vestra si brevior fortasse videor. Peperit sua Majestas hoc mane post horam secundam cum quarta, filium, cum magno totius Hispaniæ applausu; valetque ipsa & filius: qua de re Rex scribit ad suam Excellentiam, mandans, ut ad eos, quos oportet, porro perscribatur, & tum quidem Deo gratiæ publicæ agantur, tum autem publicæ lætitiæ signa pro more edantur.

Literas Amplitudinis vestræ III. Novembris datas accepi; doletque plurimum quod de decimo & vicesimo denario, Trajectensibusque scribit; sed damus operam, ut, si non quantum velimus, certè quantum possimus moderationis adhibeamus. Et

fortaſſe paulò plus poſſemus, ſi aut illuſtriſſimo Duci Albano iſthic manendum eſſet, aut Medinenſis iſthuc appuliſſet; ſed in portu adhuc hærere illum exiſtimamus, nec quomodo ante proximum Martium proficiſci poterit videmus, ſi tamen adhuc poterit. Nam ſi vera ſunt quæ de Gallis Huguenotis huc adferuntur, non valde diuturnâ pace fruemur, maximè inſtigante eos Turca, & ob rem contra dominum Joannem ab Auſtria malè geſtam properare jubente. Deus, ut quod optimum eſt det, orandus.

Nuptias inter Hectorem nepotem Amplitudinis veſtræ, & cognatam meam Gratingani viduam felices ac fauſtas eſſe jubeo, nec omittam quin munuſculum aliquod gratulatorium mittam; poteſtque nihil mihi eſſe jucundius quàm ut inter conjunctos Amplitudinis veſtræ & meos, affinitates contrahi videam. Quod Deus etiam atque etiam ſecundet.

Langii noſtri mortem multum dolui, ac plurimum quidem Folcardi piæ memoriæ, de qua re nuper dolentiſſimè ſcripſi. Et ſi hoc ad conſolationem etiam facit, jam Rex ſecundùm Amplitudini veſtræ ſuo nomine condolere juſſit: addens, ut, quod Deo placuit in bonam partem accipere velit. Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant. Bene vale, reverende Præſul, optime patrone, & te nobis etiam atque etiam conſerva. Raptim Madriti 4. Decembris 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Qui has perfert, vetus ſervitor Imperatricis, plurimum me rogavit, ut ſi qua fieri poteſt, pro læto hoc nuncio aliquid à Statibus illi detur. In qua re ſi Amplitudo veſtra aliquid poteſt, ſcio etiam Regi ipſi rem gratam futuram.

EPISTOLA CXXIII.

ARG. *Captivis, Exulibus, aliiſque in Belgio gravioribus criminibus haud obnoxiis, venia data, ob Reginæ partum. Caſtigata parcimonia Ducis Medinæ-Cœli.*

S. P. Tametſi heri ſcripſi, reverende Præſul, quia tamen hodie ſecundum curſorem mittimus, cum reliquis literis ad Prin-

cipes Germaniæ, & alios Principes vicinos noſtros, ſuper feliciſſimo Reginæ partu, quas heri non potuimus abſolvere: non volui omittere quin has illis jungerem. Et quidem ſecundis iſtis literis Regiis ad illuſtriſſimum Ducem hoc quoque additum eſt, ſummâ Regis voluntate, ut præter ſupplicationes & lætitias publicas, gratia detur generalis, captivis, exulibus, & aliis, qui qualificatis & exemptis criminibus non ſunt obnoxii. Sub qua gratia dicere poſſum Tzommonem noſtrum eſſe comprehenſum, quemadmodum & de præcedentibus dici potuit, niſi vos jam in poſſeſſione eſſetis omnia noſtra ita reſtringendi, ut nullum aut certè perexiguum habeant effectum. Quin tamen ſummâ ratione omnia fiant, nihil dubito. Bene vale, reverende Præſul ac Patrone, & te nobis etiam atque etiam conſerva. Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant.

Ad Ducem Medinenſem jam quintum curſorem miſimus. Ille verò ex quo ad mare eſt (jam ſunt quatuor & eo amplius ſeptimanæ) nihil unquam ad Regiam Majeſtatem, nec ad quenquam mortalium ſcripſit; idque eâ re, credo, ut ſuâ illâ parcimoniâ (qua in ſuis rebus maxima utitur) Regem divitem faciat. Madriti raptim 5. Decembris 1571. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXIV.

ARG. *Salinæ Burgundicæ Regi acquiſitæ. Dux Medinenſis qui necdum ex Hiſpania ſolvit, menſe Martio in Belgio ſe futurum ſperat.*

S. P. Reverende Præſul. Quoniam toti in hoc ſumus, ut poſt pauculos dies curſorem ordinarium mittamus, per hunc extraordinarium, qui in Galliam it dumtaxat, non aliud ſcribam, quàm literas veſtras XXIV. ſuperioris menſis datas, abhinc paucis diebus nos accepiſſe, magnâque nos voluptate ob bonam Amplitudinis veſtræ & aliorum amicorum valetudinem affeciſſe.

Pergratum Majeſtati ſuæ fuit Magiſtrum Jacobum noſtrum, opus ſuum tandem abſolviſſe. Juſſitque mihi ad Amplitudinem veſtram perſcribere, ut, quæ reſtant, diligenter urgere velit, & ſupra omnia diſpicere, quo pacto quàm ſecuriſſimè huc apportari poſſit.

Cupit porro ſua Majeſtas ſcire, ſi Salinæ Burgundicæ jam totæ ſuæ ſunt, & à quibus, & quanti, portiones, præter Auraicenſis portiones confiſcatas, fuerint comparatæ, quod dominus Bavius noſter credo poterit dicere, cui optimo & amiciſſimo, omnibuſque officiis conjunctiſſimo, maximam cum uxore lectiſſima ſalutem, ego & uxor etiam atque etiam optamus.

Illuſtriſſimus Dux Albanus ſæpiſſimè ad me ſcripſit, ut confirmationem Officii generalis ſuper Aſſecurationibus (quas vocamus) ab ſua Majeſtate pro Didaco Gonzalez Gante impetrem. Super qua re, ſæpiſſimè certè ſuam Majeſtatem compellavi, ut ſuæ Celſitudini quibuſcumque rebus potero ſerviam, & Didaco, quem virum bonum eſſe audio, quantum queam proſim. Cæterum ſua dicta Majeſtas hactenus rem ſemper diſtulit; niſi quod his proximis diebus mandavit ad Amplitudinem veſtram ſcribere, ut ſecretò diſpicere velit quidnam rei ſit, & cujus valoris, & an conveniat, idque ad me perſcribere; ut deinde videat quidnam factum ſit opus. Oro Amplitudinem veſtram ut hanc moleſtiam ſuſcipere, & me quàm primùm certiorem facere dignetur.

Dux Medinenſis Laredi eſt, dixitque mihi hoc veſpere ejus filius, qui inde venit, ſperare ſe extremo Februario fore omnia parata, ſic ut Martio menſe iſthic poterit adeſſe. Bene vale, reverende Præſul ac Patrone, & nos, ut facis, ama. Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ quàm officiociſſimè etiam atque etiam commendant. Raptim Madriti 22. Januarii 1572. ſtilo communi. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXV.

ARG. *Dux Albanus de re graviſſima cum Viglio conſilia communicare juſſus. Ducis Medinenſis profectio rurſum procraſtinata.*

S. P. Heri reverende Præſul accepi literas Amplitudinis veſtræ XXV. & XXVI. ſuperioris menſis datas, ad quas tamen nunc non reſpondebo, per curſorem hunc extraordinarium, qui literas Cambii pro illuſtriſſimo Duce portat; ſed per dominum de

Aſchey, qui mox ſequetur, plenè ad omnia, volente Deo, ſatisfaciam.

Scribit ſua Majeſtas ad Ducem inter cætera de re quadam graviſſima, & ut cum Amplitudine veſtra, tanquam ejuſmodi rerum, ut omnium, peritiſſima eam communicet. Non addam ampliùs, quia Amplitudo veſtra videbit.

Ad Gonçali negotium Amplitudinem veſtram reſpondiſſe vehementer lætor; Dux Medinenſis ante Paſcha non poteſt eſſe paratus; poſt autem mox putatur iturus; quod ita Deus velit & bene vertat. Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ majorem in modum commendant, omniaque optima optant. Quod ut ita ſit, beneque quàm diutiſſimè valeat, Deum omnibus votis iterum atque iterum oro.

Rediit heri dominus de Dicterſtain ab Imperatore; qui ſe multa habere ait, quæ mihi communicet. Videbimus quid rei ſit, Deo volente. Madriti 18. Februarii 1572. ſtilo communi. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA CXXVI.

S. P. Reverende Præſul, quoniam Miniſter nobilis Principis d'Eſpinoy, qui de illius nuptiis huc venit, ad vos redit, non potui omittere quin has illi darem; non quidem ut quidquam ſcribam; ſed nos totos in hoc eſſe, ut ad vos omnibus de rebus ſcribamus, ſignificem. Nam determinatis jam omnibus, quæ plurima ſunt, non aliud dies & noctes agimus quàm ut cuncta præparemus, quo curſorem hinc quàm primùm extrudamus; quod ſub finem hujus ſeptimanæ aut in principio ſequentis, omnino, Deo adjuvante, approbanteque, eſt futurum.

Dum hæc ſcribo, adferuntur mihi literæ Amplitudinis veſtræ XXIX. Januarii datæ, quæ, ut omnes, gratiſſimæ mihi fuerunt. Cæterum neque ad illas, neque ad ullas alias, nunc reſpondeo; quoniam propediem, ut dico, id per Dei gratiam ſum facturus, & quidem luculenter.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant; jamque redeunt ab Haſtiludio, in quo Arenbergius noſter pro ætate præclarè ſe geſſiſſe dicitur. Atque ita nunc cum Carniſprivio omnibus ludis abſolutis, ad ſeria omnino redi-

bimus. Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, & me ut facit amet. Raptim Madriti 19. Februarii 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXVII.

ARG. *Ad duodenas Viglii Epistolas, quibus jam responderat, brevis & iterata responsio. De decimo denario multæ multorum querelæ, cujus tamen vectigalis exactio à Rege urgetur. Hujus animus erga Belgas, Hoppero teste, nihilominus egregiè propensus; cui tamen testimonio arcana quædam interserit sermone patrio; quæ ex autographo, quâ licuit, accuratè describimus. Reginæ Angliæ orator, sive legatus, Geraldus, in Belgio. Visitàtio Burgundica. Renovatæ querimoniæ de negotiis omissis vel protelatis. Comitis Megani mors, cujus præfecturas multi ambiunt. Plantini Typographi postulata. Rex Medicum, Chirurgum item & Confessarium, sibi è Belgio accersere cupidus.*

S. P. Reverende Præsul. Tametsi suis quibusque temporibus significavi quas ab Amplitudine vestra acceperim literas, pro quibus maximas etiam atque etiam gratias ago; è re tamen mihi fore mihi visum est, ad omnem scrupulum eximendum, ut quæ abhinc tribus mensibus plus minus ad manus meas pervenerint, conjunctim hìc ponam. Hæ autem sunt, quæ tum quidem Decembris II. III. VIII. X. XIV. XIX. XXI., tum autem Januarii IX. X. XV. & XXIX. scriptæ fuêre, omnes autographæ; cum quibus bina venêre exempla aliarum XXI. Decembris, & Calendis Januarii datarum.

Quanquam quidem ad nonnullas jam ante responsum est, ne quid tamen debiti officii, ut debeo, omittam, singula quoad potero attingam.

De Bugerianæ partu, Hectoris nuptiis & commigratione in domum Amplitudinis vestræ, & Idæ nuptiis plurimum gaudeo.

Nec minus me delectavit quod de Vibrandi feliciſſimo progreſſu in ſtudiis ex Doctoris illius Dolani literis intellexi. Nec omittam quin Aggæo noſtro propediem ſcribam, per eum, de quo paulò poſt dicam, per quem & de Folcardi (piæ memoriæ) rebus exactè perſcribemus. Ac de Tzommone cogito ſæpe ac multum, quonam modo res ejus afflictas quoquo modo juvare potero. Nec deſiſtam antequam aliquid, Deo volente, effecero.

De decimo denario multas multorum accepi literas ac querelas, quanta ea res incommoda iſthic parit ac magis paritura videtur; de quibus omnibus diligenter, cum omni reverentia, ut oportet, ad ſuam Majeſtatem retuli. Quæ perbenignis auribus omnia accepit, & ex animo regiones illas amare ſe oſtendit. *Maer by dier is, hie al te verre ſchrieu, dat me naet leauwe moet, dat Vus lioed dier ſidze en dierom iſt naet mugblyck hette te duaen. Het welk zuinde zeyde ik dat hen den belaafve ſold, dat ick ſchriou, dat zyn bejerte zoe is, troch dien datter volle lioed oen tviſlen, wier op hy my ſoech voer antwird dattet vuytmiete wol dien ſil weſſe, in hun ſeer liaef, dat al zyn tienners dier yn het beſte dwaen, lyck hy zyker wyt dat V. E. haet dien.* Adeo ut Amplitudo veſtra certiſſimo cunctis affirmare poſſit, nullam ex omnibus regnis ac dictionibus regionem eſſe, erga quam Regia Majeſtas magis ſit affecta, quàm erga noſtram.

Ac quantum ad decimum denarium attinet, quoniam omnibus, omnem in partem expenſis ac deliberatis, prout ſua Majeſtas & prudentiſſima & juſtiſſima eſt, non alia ratio magis convenire viſa eſt, & ſcio certò, pergratum illi fore, ſi omnes Miniſtri & alii viri boni, dant operam, ut, quod cœptum eſt, & ad effectum deduci poſſit: certò ſibi perſuadentes, neminem meliùs perſpicere poſſe quid conveniat vel non conveniat, quàm ſuam Majeſtatem, quæ ſummam in republica locum tenet poſt Deum, in cujus manu cor Regis eſt, ac maximè quidem tam pii ac ſancti, cujuſmodi illum eſſe omnibus eſt manifeſtum.

De Anglia quid ſcripturi ſitis valde expectamus, credoque jam dominum Geraldum Oratorem apud vos eſſe; quem ſanè velim prudentiùs rem geſſiſſe. De Schotia quid reſolutum ſit, Amplitudo veſtra videbit, nec non de Bezantione, cujus cauſa mox poſt abitum hujus curſoris, ibit iſthic dominus Daſchay, domini Cardinalis Granvellani ex ſorore nepos; per quem de iis

quæ

quæ se offerent plura scribam, & ad plures, ad quos publica negotia nunc non patiuntur scribere.

Velim gratiam, quam publicæ lætitiæ causâ illustrissimus Dux proponit, & nos concessam mittimus, laxiorem esse: sed tamen miror adhuc tantum concedi. Nam nuper cùm hinc quædam hujusmodi proponerentur, cœlum ruiturum videbatur, si vel latum unguem ab antiqua gratia recederetur; sed ita res est, quidquid hinc venit, sordet; quicquid isthinc, rectè. Sed non refert, dummodo bene fiat.

Non dubito quin Visitatio Burgundica magnas vobis molestias dabit. Atque haud scio, an ad tam minuta, quàm audio, descendere opus erat. Sed nec volo nec possum de iis, quæ ignoro, judicare. Certè dominus Cardinalis sibi non placuisse, semel atque iterum ad me perscripsit.

Est inter cæteros ab officio suspensus frater Tartarei hic nostri; qui nihil aliud favoris petit quàm ut inter primas, fratris res, prout justum est, tractari possit. Quod ut ita fiat, rogo.

Quod Amplitudo vestra, dominus Præses Tysnacus & Cortevillius, mihi scripsistis, per vos non stare, quo minùs ad literas nostras respondeatur, verissimum quidem est; sed ego, cum quibus agam, alios non habeo; & plurima adhuc manent imperfecta negotia, quæ ego certò scio in consilio Turbarum non tractari, & in potestate Amplitudinis vestræ minimè esse. Sed velim nonnullos ea quæ ipsi non possunt, per alios saltem conficienda curare.

De Sale Betico pergratum fuit suæ Majestati quod Amplitudo vestra, & Amsterodamenses, ad me perscripserunt. Jussitque Rex quædam alia perquirere, de quibus proximè, Deo volente, scribam latiùs ad utrosque.

De domini Meghani morte plurimum dolui; vultque sua Majestas deliberare quem in ejus locum sit suffectura. Contenduntque non parum per literas dominus Berlaymontius, & domina Arenbergensis pro suis quique filiis. Et quantum ad Equitum Præfecturam, petunt etiam eam nonnulli, præter dominum de Havrecq, quem ipsius causâ magno velim non inconsulto Rege, aut certè Duce, nuptias contraxisse.

In negotio domini Episcopi Brugensis Druitii, omne perlibenter faciam officium, scribamque ad eum proximè de eo quod factu opus videbitur. Nec omittam, quin domini de Lycques rem in memoria habeam.

Ac quantum ad penſionem Langhii, piæ memoriæ, attinet; quam pro nepote quodam ſuo dominus Cortevillius petebat; eam Rex proprio ſuo motu Titelmanno noſtro conceſſit, quod felix illi fauſtumque ſit.

Scripſit illuſtriſſimus Dux in favorem Plantini, ut Proto-typographiam poſſit Antverpiæ erigere. Quoniam autem ſua Majeſtas neſcit, nec ego poſſum dicere, quidnam rei ſit, vellet Amplitudinem veſtram in hoc inquirere, & ad me perſcribere: addendo quidnam ſibi videatur, quemadmodum & de officio Aſſecurationum nuper ſcripſi, quod Gonçalez Gante ſibi confirmari petit; ſed vult primum omnium Rex ab Amplitudine veſtra inſtrui, an ex re publica videatur, & quæ ſit ipſius de petita confirmatione ſententia, quam Dux mirificè urget.

Cortevillius dubitare ſe ait, Duce huc redeunte, quidnam ſit facturus: omnino tamen, ſi qua per valetudinem fieri poteſt, ſemel huc excurſurum, ſin minus in tempore ſignificaturum.

Literas ſigniferi illius Hiſpani interceptas fuiſſe, verum eſt.

Dux Medinenſis, Lareti eſt, claſſemque inſtruit. Nec dubito, ſi pro illius voto res cedet, quin ſtatim ad vos ſit advolaturus. Brevì quo res evaſura ſit, Deo volente, videbimus.

Abſolutis quibuſdam principiis ſtudiorum, ſtatui filium meum Gregorium, per Dei gratiam, mittere Duacum, (niſi ſecus Amplitudini veſtræ videatur) cum linguæ, tum ſtudii causâ; quod poſt deinde Lovanii eum velim perficere. Interea ſi Amplitudo veſtra cum ſuo Capitulo perficere poſſet, ut aliquid illi ſubſidii dent ad ſtudia, quod quidem alicujus ſit momenti, longè gratiſſimum mihi eſt factura.

Uxor & liberi, laus ſuperis, bene valent, jubentque Amplitudinem veſtram quàm officioſiſſimè ſalutari.

Hoc momento accipio literas è Roma, quæ valde metui aiunt, ne quid Rex Galliæ contra ſummum Pontificem moliatur: quod Deus avertat.

Bene valeat reverenda Amplitudo veſtra, cui omnia optima per plurimos annos opto, Deumque optimum maximum utì ita fiat, etiam atque etiam oro. Madriti 24. Februarii 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Hodie Trajectenſibus ea quæ Rex decrevit, puto me declaraturum: qua de re per proximas literas latiùs.

Quoniam Lomnius noſter obiit, ſcribit Rex pro Medico, &

item Chirurgo, quos velim quàm optimos mitti. Scribit etiam pro Confessore, prout Amplitudo vestra videbit.

Est Lovanii Joannes Oliverius, Sacerdos Anglus, cui Rex centum aureos jubet per Ducem numerari pro libello quodam dedicato. Quæso ut Amplitudo vestra curam habere velit, ut ipse id sciat, & pecuniam recipiat. Scribam autem ad illum proximè.

EPISTOLA CXXVIII.

ARG. *Lindanus & Gravianus conqueruntur de assignatis sibi pensionibus, non solutis. De Frisiæ præfecturæ contendunt Berlaimontius, Arenbergensis, & Roblius.*

S. P. Toti quidem, reverende Præsul, in hoc sumus, ut dominum Daschey hinc extrudamus; sed quia tamen Westerholtius, Comitis Arenbergensis Gubernator, ad vos ibat, nolui interim omittere quin hæc tria verba illi darem, meque cum uxore & liberis Amplitudini vestræ quàm officiosissimè commendarem.

Nulla hìc negotia attingam, nisi quod heri ab illustrissimo domino Cardinali Granvellano literas accepi, & cum iis literarum duo exempla, quibus apud illustrissimum Ducem & Vergam, majorem in modum conqueruntur Lindanus noster & Gravianus, sive Archidiaconus, sive Decanus. Ac maximè quidem de redditibus super bonis confiscatis debitis, miseris hominibus non persolutis; qua quidem de re suam Majestatem sæpiusculè ante admonui, tanquam ad conscientiam ejus pertinente, adeo ut jam bis ad illustrissimum Ducem super eo scriptum sit; sed nescio quid sit actum.

De Gubernatione Frisiæ dominus Berlaymontius & Comitissa Arenbergensis non parum contendunt; scripsitque ea quoque de re mihi Roblius; sed Rex hactenus nihil statuit, propediem tamen facturus, ut arbitror.

Mepschius noster mille quingenta annua ab Duce & filio sibi promissa ait, sed nihil hactenus recepisse; itaque rogat, ut ab sua Majestate res confirmari possit. Ego perlibenter officium faciam; sed vereor, ut seorsim, sine reliquis omnibus & expressis literis Ducis, quidquam Rex in eo sit acturus.

Dux Medinensis nondum quidem solvit, sed brevi soluturus putatur. Certi tamen nihil scitur. Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, quam ut Deus quàm diutissimè sanam salvam conservet, etiam atque etiam rogo. Madriti 14. Martii 1572. stilo communi. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor Joachimus Hopperus.

Quæso ut Amplitudo vestra fasciculum hic junctum mittendum curare velit; quod fieri maximè poterit per Andream Basston, quem Curia Brabantiæ ob jurisdictionis quæstionem captivum, ut puto, detinet.

EPISTOLA CXXIX.

Arg. *Dominus d'Aschey proximè in Burgundiam abiturus; Dux item Medinensis in Belgium, & Hopperus, cum aula Hispanica, ut rumor fert, in Arragoniam.*

S. P. Quoniam dominus Daschey de die in diem videtur abiturus, ut jam sæpiusculè scripsi, non aliud quam salutationes à me uxoreque & liberis hæ continebunt; quas quidem dedi nepoti uxoris domini Damhouderii, qui hac ex Hispali faciebat iter.

Nudiustertius ad Ducem Medinensem cursorem misimus, qui, cum primùm ille vela dabit, ad vos curret, ut ventos prævertens, nuncium de adventu illius adferat. Forte ante has uterque isthic aderit; fortasse etiam non erit.

De profectione nostra in Arragoniam mussitatur; quid autem fiet, Augustus dicet, Maius autem prænunciabit. Bene vale, reverende Præsul, cui omnia optima, à Deo optimo maximo, etiam atque etiam opto. Raptim Madriti 24. Martii 1572. stilo communi. Reverendæ Amplitudinis vestræ addictissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA CXXX.

ARG. *Legati provinciæ Hannoniensis, & civitatis Insulensis, in Hispania. Oratori Regis Galliarum datum responsum.*

S. P. Reverende Præsul. Literas Amplitudinis vestræ XVIII. superioris mensis datas, abhinc dies quinque accepi; ad quas nunc non respondebo, quoniam hæ non rectâ ad vos, sed per Franciam eunt. Respondebo autem & perscribam latè de omnibus per dominum de Aschey, quem hactenus detentum, Rex in suum reditum paratum esse jussit.

Venit huc ante aliquot dies dominus de Terlon, cum Pensionario Montensi. Sed Abbas sancti Gisleni nondum venit, nec scitur ubi sit. Insulenses autem in Hispania esse constat, sed huc nondum appulerunt. Brevì autem quid rei fiet, volente Deo, videbimus; nec omittam quin ejus Amplitudinem vestram statim faciam certiorem.

Dux Medinensis in procinctu se esse ait, nec ante iterum velle ad me scribere, nisi navem ascenderit. Ab omnibus paratus esse dicitur, excepto pulvere bombardico. Quid futurum erit, tempus docebit.

Mitto nunc ad suam Excellentiam responsum, quod Oratori Franciæ dedimus, super scripto quodam ejus, cujus exemplum jam ante misimus. Bene vale, reverende Præsul ac Patrone, uxorque ac liberi unà omnes se Amplitudini vestræ verbis quàm amplissimis ac officiosissimis commendant. Madriti 9. Aprilis 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXXI.

ARG. *Dux Medinensis solvit ab Hispania, quum in portu naufragium pene fecisset. Legati Hannonienses & Insulenses à Rege leviter castigati, quod injussu ejus, ut & Albani Ducis, in Hispaniam venissent; post à Rege benignè auditi. Viglii officia commendata.*

S. P. Reverende Præsul. Quoniam brevì per dominum Daschey, Deo volente, latiùs sum scripturus, hìc pauca tantum

attingam. Dux Medinensis postquam in portu naufragium fere fecisset, tandem solvit ipsis calendis Maiis; cui Deus omnia det fausta ac fælicia.

Deputati Hannonienses & Insulenses post nonnullam reprehensionem per me jussu Regis factam, quod sine ipsius ac Ducis jussu venissent, mox audientiam habuerunt perbenignam. Confectoque deinde summario eorum quæ proponunt, & item quæ adversum ea dici possunt; sua Majestas jam omnia habet in manu, brevique sine dubio rem absolvet. Ac quemadmodum quidem de summis Amplitudinis vestræ in hoc negotio officiis nunquam dubitavit, ita gratissima illi fuere quæ ego commemoravi; quæ ut continuentur, nec ante cessetur, quam res confecta sit, vehementer etiam atque etiam optat; & ut Amplitudo vestra per se pariter & amicos ita facere velit, (de quo non ambigit) postulat.

Mussitatur hic nescio quid de rebus Zelandicis & Hollandicis; sed quia nihil à vobis accipimus, vanum fore speramus. Ubi Dux Medinensis advenerit, uti literas ad ipsum meas, his junctas, illi tradendas Amplitudo vestra curare velit, oro.

Uxor & liberi se Amplitudini vestræ quàm officiosissimè commendant. Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, & me, ut facit, amet. Raptim 5. Maii 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXXII.

ARG. *Dux Medinensis tertiùm à mari repulsus, tandem vela facit. Duacenses, Brabanti & Arthesienses, in Hispania, sua certatim negotia commendaturi. Rex illis satisfactum quàm maximè cupit, aut certè cupere videri vult.*

S. P. Reverende Præsul, multas ab Amplitudine vestra accepi literas, proximo superiore Aprili & Martio datas, ad quas nunc non aliud respondebo quàm dominum de Ascheÿ omnino brevì iturum. Nam nihil penitus aliud nunc agimus, quàm ut illum expediamus.

Gravissimè suam Majestatem affecere quæ isthic acciderunt, quibus ut remedium quàm primum adhibeatur valde optat; uti ex literis ipsius ad militem Germanum conducendum pertinentibus, cognoscetur.

Dux Medinensis, tertium à mari repulsus, tandem abiit; quem, antequam hæ reddantur, adfore, omnino speramus.

Qui hic sunt nostrates, præter Hannonienses & Insulenses, Duacensesque, Brabanti & Arthesienses jam perbenignè auditi sunt ab sua Majestate; totique in hoc sumus ut quàm primum & quam contentissimos eos hinc dimittamus. Rex certè ita jubet, & ego in tantis occupationibus, quæ nunc concurrunt, operam do, ut fiat. Non addo plura, quoniam à summo mane usque ad hanc imam noctem, non aliud ago quàm ut scribam, & quàm primum de omnibus rebus vos certiores faciam. Bene valeat Amplitudo vestra, cui uxor & liberi omnes omnia bona dicunt, omniaque optima unà mecum optant. Madriti 20. Maii 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ addictissimus ac paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXXIII.

ARG. *Rex malè affectus nunciis à Burgundia allatis. Visitatio Burgundica acceleranda. Mors Decani Trajectensis. Negotia privata.*

S. P. Reverende Præsul, quoniam ad literas Amplitudini vestræ mense Februario scriptas respondi, (nam fratris Seldii negotium, secundùm quod Rex jussit, diligenter curabo; & fortassis non abs re esset, ut per oportunitatem ad me scriberet) nunc ad eas, quæ II. XXI. XXII. XXV. Aprilis, item XV. XVIII. & XXVI. Martii datæ sunt, respondebo, ultra eas quibus Ægidii Hofmanni negotium commendatur. In quo id factum est, quod hoc tempore fieri potuit, cum Amplitudinis vestræ causâ, tum confratris nostri domini Assonvilii, cui Majorem in modum me commendo.

Tandem it ad vos Aschæus noster, qui utinam non tardius veniat, quàm servitium Dei & Regis, bonumque publicum Bizontinum, totiusque adeo comitatus Burgundiæ requirat. Ea

quidem quæ isthinc, proximis duobus mensibus, allata fuêre nova, graviter nos omnes, ac maximè quidem suam Majestatem, ut ipsamet mihi dixit ac scripsit, affecerunt, cui, quæ acceperam, omnia commemorans, (nam non omnia isthinc quæ oportet, & per quos oportet, perscribuntur) dicebam totam rem judicio prudentum in eo sitam esse, ut bonis quoquo modo fiat satis, populique animi sedentur: quo facto, à vi externa nihil esse metuendum.

Accepi quædam heri à Pratsio Secretario læta, ex quibus aliquid bonæ spei contra rebelles effulgere videtur; sed quidnam revera rei sit, tempus docebit.

Deputati omnes benignissimè ab sua Majestate fuêre auditi, viditque Rex ipse scripta eorum præcipua; quæ omnia ad me remisit, reservatis summariis, quæ feci, & considerationibus in utramque partem. Ait se nunc despicere quonam ordine consilii rem tractare velit. Suspicor autem, ubi redierit, jussurum, ut in Consilio Statûs proponatur.

Dicenti mihi minimè ex re videri, ac maximè quidem his temporibus, ut gubernamenta, ac potissimum Frisiæ, diù vacent: respondit, se statim ei rei provisurum.

Visitationem Burgundicam accelerari, sanè ex re esset, prout ad Ducem sua Majestas latiùs scribit. Quæ quidem ratum habere nullo modo voluit, quod circà Abbatiam de *Baulme les Nonnes* isthic est factum. Nec carere putat rem suspicione corruptelæ, & ideo mittit nominationem suam, ut Amplitudo vestra videbit.

Trajectensis Decani mortem sanè doleo, gaudeoque in illius locum suffectum Bruhesium nostrum, quem virum bonum judico. Vehemens quidem est; sed admittit postea rationem, qua sanè multa opus est in rebus illis, quæ nunc in manibus sunt, bene tractandis.

De Tzommone nostro juvando, seriò cogito, velimque occasionem dari qua & Wrdii (ad quem scribo) res aliquantulum augere possemus. Merentur enim ejus studia & virtus plurimùm.

Hesseliæ morbum, graviter sanè, & ex animo doleo; speroque Deum ipsam respecturum. Circa Hectorem autem & Bauram, tam rectè omnia esse, ut Amplitudo vestra iteratò ad me scribit, lætor sanè plurimum; sumusque jam in hoc ut nescio quæ munuscula ad omnes cognatas mittamus.

Dolet

Dolet Cortevillium tam afflicta esse valetudine; & tamen nisi hac æstate veniat, certè non video diutiùs ferri posse, ut sine Secretario hic simus.

De cura Amplitudinis vestræ circa Gregorii mei pensionem Gandavensem, magnas habeo gratias; statuique illum proximo autumno, Deo volente, Duacum mittere, ut post principia Artium hìc quoquo modo delibata, illic exercitio linguæ, & humanioribus ac philosophicis studiis seriò incumbat; indeque ad juris studium transeat. Scribo ad Venduvilium & Boëtium, ac Vibrandum, ut ubinam potissimùm collocari possit, dispiciant.

Privilegium amortisationis, quod Amplitudo vestra petiit, Rex libentissimo animo concessit; mittetque Denneterius formulam à nobis conceptam, ut eam Amplitudo vestra videat, & pro arbitratu suo corrigat.

Quoniam vereor dominum Van Loo nostrum abesse, cogor Amplitudini vestræ esse molestus, illique regias quasdam literas ad Ducem mittere de sex millibus florenorum ex reditibus bonorum confiscatorum mihi numerandis. Rex formulam illam quam Amplitudo vestra videbit, voluit ex causa eligere, sed aliud, (quod penitus inter nos sit) subest. Oro autem Amplitudinem vestram majorem in modum, ut literas illustrissimo Duci, ad quem ea de re scribo, tradere velit, vel ipsa, vel dominus Van Loo; & diligenter per suos operam dare, ut pecunia ab alterutro vestrum, quibus ad hoc plenum do mandatum, recipiatur. Quæ autem ex illa pecunia meo nomine dari debeant, & quibus, scedula his adjecta significabit; reliquis in manibus alterutrius vestrum manentibus, donec aliter per me statuatur.

Hic quidam est Vitrarius Regius, Hollandus, qui suam Majestatem onerat pro armorum insignibus sibi conferendis. Jussit Rex ab Amplitudine vestra exquirere, ecquid ejusmodi hominibus arma concedi soleant, licet sine nobilitate.

Uxor & liberi se Amplitudini vestræ majorem in modum commendant, omniaque bona ei optant, gratulanturque Stinæ quod non esset Roterodami cùm Hispani milites illac iter facerent, Scribo ad dominum Jansonium de libro recepto, & Regi pergrato.

Bene valeat etiam atque etiam reverenda Amplitudo vestra, quam ut quàm diutissimè nobis conservet, Deum omnibus votis

precor atque oro. Madriti Calend. Jun. 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Dux Medinenſis 14. Maii ſolvit è portu, unde jam illum iſthuc appuliſſe ſperamus.

Quantum ad Romke Fouckes, quoniam ad ſcribendum otium non habeo, quæſo ut Amplitudo veſtra hanc adhuc operam (nam ſunt moleſtiſſimi, ſat ſcio) ſumere velit, ut illis meo nomine denunciet, me quàm primum diſpecturum quidnam rectè facere queam.

Theſaurarium Salinarum velim ad me ſcribere, ut eâ occaſione Regem de ipſius negotio conveniam; qui ſtatim ad Oeconomos eam remittet. Abſque eo non auſim me alienis rebus immiſcere.

Fuit mihi vehementer commendatus Jehan Lopez.... cujus cauſa & Rex ipſe ſcribit. Placebit A. V. illum habere commendatum.

Amſterdamenſium noſtrorum binas literas accepi; ad quas non putavi hoc tempore convenire ut reſponderem. Sed rogatam habeo Amplitudinem veſtram, ut id illis ſignificare velit, meque omne officium facturum ſignificare. Juſſit Rex ut quid circa Sal Beticum fiat, mihi ſignificetur; ſed video iſtos tergiverſari. Proximo curſu volente Deo potero perſcribere.

EPISTOLA CXXXIV.

ARG. *Sollicitudo de rebus Belgicis. Dux Medinæ-Cœli nondum circa Belgii littora.*

S. P. Reverende Præſul. Hoc veſpere plures accepi à Dominatione veſtra literas VIII. IX. XIX. XXII. ſuperioris menſis ſcriptas, quæ mihi, quantum ad Amplitudinem veſtram attinet, non potuerunt non eſſe gratiſſimæ. Quantum autem ad res & earum iſthic ſucceſſum, certè in magnam nos ſollicitudinem conjecerunt. Perſcripſi autem omni de re ad ſuam Majeſtatem diligenter, quam non dubito quin & illuſtriſſimus Dux de cunctis fecerit certiorem. Omnino autem ſperamus, ut ſi vera ineantur conſilia, quæ tum quidem Sua Excellentia per ſe facile inveniet, tum autem Amplitudo veſtra & alii optimi ac intelligen-

tissimi ministri libentissimè subministrabunt, fore ut brevì remedium adhibeatur. Quod ut ita fiat, & tandem privatis reputationibus (quas vocant) & ministrorùm convassationibus (de quibus plus satis sua Majestas audivit) omissis, in verum Dei honorem, servitium suæ Majestatis, & bonum reipublicæ incumbatur, etiam atque etiam opto.

Properatio hujus cursoris mercatorum non fert plura. Itaque non aliud addam, quàm mortem Cortevillii nostri mihi doluisse plurimùm; nonnullisque videri mirum, illis schedas ipsius fuisse mandatas, ex quibus alter planè extraordinarius, alter nullo modo regiæ Majestatis est Minister. Sed non dubito, quin, ut reliqua omnia, ita & illud optimâ ratione fuerit administratum.

Ducem Medinensem nondum isthic tum temporis appulisse, miramur. Id autem nunc factum valde speramus; nec dubium, ut putamus, erit, quin, eo adventante, omnibus rebus, junctis viribus remedium adhibebitur. Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, quam ut Deus salvam ac incolumen conservet etiam atque etiam oro. Madriti 6. Junii 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Ad Dominum Tysnacum & Van Loo non potui per otium scribere. Itaque quæso ut Amplitudo vestra me ipsis commendet, proximèque scripturum me denunciet.

EPISTOLA CXXXV.

ARG. *Ordinum legatis responsum a Rege datum perbenignum, ab Albano Duce propalandum, re prius cum Senatu communicata. Ab hoc responso levamen aliquod sperat Hopperus fessis Belgicæ rebus. Regio jussu quatuor Triremes adornatæ, quæ legatos in Italiam vehant, inde in Patriam terrestri itinere ituros. Cætera fere privata.*

S. P. Reverende Præsul. Litteras Amplitudinis vestræ XIII. hujus mensis & ante scriptas, heri accepi, de quibus summas etiam atque etiam habeo gratias. Sed nunc, ob cursoris properationem, ad eas non respondebo; latius id facturus, volente Deo, post biduum aut triduum, cum dominus de Terlon, recta, ut puto, ad vos ibit.

Heri convocatis ante ſuam Majeſtatem omnibus deputatis noſtrorum ſtatuum, reſponſum illis dedimus perbenignum, quod per hunc curſorem ad illuſtriſſimum Ducem it Albanum, ut is primus id proferat, re ante omnia cum Senatu communicata. Ac quanquam quidem, ſi ante allatum fuiſſet, plus ſine dubio profuiſſet; quin tamen etiam nunc magnum fructum ſit allaturum, ad animos populi ſedandos, majorem in modum ſpero, ac plane confido.

Literas his junctas, ne Amplitudo veſtra e manibus ſuis dimittere velit, antequam Dux reſponſum Regiæ Majeſtatis promulgarit, vehementer oro; ne aliunde, quàm ipſo, reſponſi Regii promulgatio proficiſcatur; quod ut ita fiat, Rex ſibi gratum fore oſtendit.

Optimæ patriæ graviſſimas calamitates, graviſſimè dolemus; ſed unà cum cæteris, quæ vos adhibetis, remedium, ut ſperamus, adferet. Supradictum reſponſum, & adventus domini de Terlon, & deinde cæterorum deputatorum; quibus, ne quid in Gallia periculi habeant, Rex pro ſua ſumma benignitate quatuor Triremes adornari juſſit, ut in Italiam eant, indeque domum remeent. Nec parum ad rem faciet, adventus iſthic Ducis Medinenſis, de quo plurimum gaudemus.

Denneterio noſtro Rex ſignaturam conceſſit, valdeque ſpero principale ipſum facile ſequuturum, niſi vos magis idoneum iſthic habetis : quod, uno Bertyo excepto, nequaquam exiſtimo.

Uxor & liberi bene valent, ſeſeque Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, una cum gratiarum actione de munere tam amplo miſſo; unde varia ſibi ornamenta compararunt, quæ in Amplitudinis veſtræ memoriam geſtant.

Vironii noſtri negotium, uti voluit, confectum eſt; brevique curabimus ut negotiis iſtis publicis ſoluti, diplomata mittamus.

Litteras ſcribit Regia Majeſtas ad omnes ordines, quas dominus de Terlon, vel Capitaneus Arrieta portabit. Bene valeat etiam atque etiam Amplitudo veſtra, cui omnia optima a Deo opto. Meque iterum atque iterum commendo. Madriti, 27. Junii 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Ad viduam Domini Cortevillii proximè ſcribam; quam bona ſpe Amplitudo veſtra eſſe meo nomine jubere dignabitur.

Toti quoque in hoc ſumus, ut nobiles noſtros, qui hic ſunt, honoratos ad vos remittamus.

De Camera Spirenſi id diligentiſſimè procuravi, quod Ampli-

tudo veſtra ſcripſit; euntque ea de re literæ Regis ad dominum Ducem.

EPISTOLA CXXXVI.

Arg. *Maturatur Profectio Legatorum. Arenbergenſis, aliique Nobiles Belgæ, cum muneribus domum remittendi. Metus quorumdam in aula Hiſpanica ne qua oriunda ſimultas Ducem inter Albanum & Medinenſem publicis negotiis officiat. Abbatum Parcenſis & Gemblacenſis, qui ambo in legatorum numero, levis morbus.*

S. P. Reverende Præſul. Quoniam ante triduum ſcripſi, & poſt biduum iterum per dominum de Terlon ſum ſcripturus, hæ non niſi ſalutationem continebunt.

Hodie deputatis noſtris ſcripto tradam reſponſum ab ſua Majeſtate datum; quæ, ut hac ſeptimana hinc Cartaginem eant, optat : unde in Italiam navigabunt; ſumuſque jam toti in hoc ut Arenbergenſem, & alios Nobiles noſtrates, honeſtè remuneratos ac decoratos, ad vos remittamus; ut pro patria, quemadmodum decet, pugnent.

Non deſunt hic, qui, ne quid ſimultatis inter duos iſthic Duces oriatur, verentur. Quod ſi fieret, magnum inde exiſtere poſſet malum; maximè rebus tam turbulentis. Itaque ſuam Majeſtatem monuerunt, ut ei rei, ſi quâ fieri poteſt, in tempore provideat; prout proximè latius, volente Deo, ſcribam. Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, & me, ut facit, amet.

Uxor & liberi ſe illi etiam atque etiam commendant, ut ex latore harum, qui Capitaneus Arrieta eſt, plenius intelliget. Madriti, Calendis Julii 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

Abbates Parcenſis & Gemblacenſis non bene valent; ſed putantur tamen poſſe proficiſci cum aliis.

Negocia non ferunt ut ad dominum Berlaymontium, Van Loo, & alios amicos ſcribam; ſed faciam id proximè; velimque nunc illos ſalutari.

EPISTOLA CXXXVII.

ARG. *Legati Belgarum, Rege ac Regina ſalutatis, læti dimittuntur. Bonorum conſilia eventu probata. Rege Philippo nihil melius, nihil prudentius, aut diligentius, Hoppero teſte.*

S. P. Reverende Præſul. Promiſeram per dominum de Terlon plura ſcribere; ſed certè tam ſum fatigatus continentibus iſtis deputatorum & aliis laboribus, ut ſupplicare debeam Amplitudini veſtræ, ut mihi ignoſcat, & in abitum proximi curſoris, qui fortaſſis has antevertet, rem differri ſinat: quod quidem eo magis condonandum eſt, quod nihil habemus hic novi aliud, quàm quod veſtra bona nova expectamus, & quod dictus dominus de Terlon reliqua vobis referet. Reliqui deputati per mare eunt Mediterraneum, Genuam uſque, indeque per Italiam & Sabaudiam. Heri Regi valedixerunt, & Reginæ; valde utrimque contenti, per Dei gratiam, ſuæ Majeſtates & ipſi: ſperoque, quod ab decimo denario exſtiterat mali, plane conquieturum; dummodo & circa reliqua, quæ & ipſa bono remedio indigent, iſthic fiat ſatis. Quod ita futurum omnino ſpero, &, ut fiat, Deum optimum maximum omnibus precibus oro.

Succeſſus docent, recta fuiſſe conſilia, quæ jam a multo tempore recti dederunt. Atque utinam etiam nunc ea illi ſequantur ad quos illa res pertinet! Rege certè nihil nec melius, nec prudentius, nec diligentius reperiri poteſt; nec ſtat per illum, quin omnia quàm optimè fiant; quod Deus, ut plane confido, proſperabit. Bene valeat etiam atque etiam Reverenda Amplitudo veſtra, cui uxor & liberi ſe plurimum ex toto, quod dicitur, pectore commendant. Raptim Madriti, 8. Julii 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXXVIII.

ARG. *Spes læta, quæ Hoppero & Hispanis affulserat, à Batavis turbata. Suis, qui in Hollandia, metuit Hopperus. Saluberrima, sed sera, Hispanorum consilia. Hopperus Philippum Regem bene, uti semper, erga Belgas animatum prædicat; queriturque opportuna malorum remedia in Belgio executioni non mandari. Nova itaque adhibentur, eaque, ut autor ait, præsentissima; sed quæ* sine notis *perscribi non possint.*

Recentium malorum caussæ breviter, sed accuratè, perstrictæ. Acris atque iterata querimonia, de neglectis in Belgio salutis remediis. Hæc non solis armis quærenda. Reliqua fere minora.

S. P. Dici nequit, Reverende Præsul, quantopere me affligunt ea quæ isthinc adferuntur. Primum quidem religionis, & suæ Majestatis, (quam admirabiliter quoque affici video) optimæque Reipublicæ, ac patriæ causâ: deinde autem meorum, qui sunt in Hollandia; de quibus nihil non metuo, direptiones, mortes, calumnias, & alia id genus; ac maximè quidem, quod proximo cursu nihil a vobis accepi: quanquam spero id ea re factum, quod cursor clam fere omnibus dimissus videtur.

Quæ hic nunc inimus consilia, saluberrima olim, ante aliquot menses, fuissent; quantum autem nunc sint profutura, nescio. Oro autem Deum optimum maximum, ut plurimum. Certè Rex, qui nunquam suam benignitatem erga nostros clausit, (cujus rei ego oculatus sum testis) nihil paterni officii omittit quod ad rem componendam possit pertinere; dummodo vos in exequendo non deficiatis, quemadmodum semper est factum.

Quæ nunc mittuntur, non possunt sine notis perscribi; sunt enim luculentissima. Quibus si bene utimini, nihil video quod ad animos sedandos, & securos omni ex parte faciendos, supersit. Nam cum omne malum partim ex negligentia processerit, quod limites male provisos habuistis, dum intus populum, quo jure, quâ injuriâ vexatis: partim ex animorum exacerbatio-

ne, quam decimi denarii exactio, militaris insolentia, & justitiæ mala administratio, erga eos, quibus redditus ex bonis confiscatis debentur, cum similibus, peperit; unde factum est, quod, rebellibus & hæreticis vires sumentibus, vulgus eorum præsidio vires sumpsit, & magistratus suos oppressit; prout pridie ejus diei, quo tristissima hæc nova adferrentur, ex Amplitudine vestra, & aliorum optimorum literis, suæ Majestati retuleram: ad omnia ista, tum quidem per responsionem Deputatis Statuum datam, quam habetis, tum autem per ea quæ nunc mittuntur, luculenter est provisum; dummodo vos bene, secundum mentem suæ Majestatis iis utamini. Quod ne faciatis, valde vereor; dum ne unam quidem solam salubrem Regis jussionem vos executos fuisse, memoria repeto; uti autem faciatis, Deum optimum maximum omnibus votis precor atque oro. Nam ut per vim armorum, (quibus tamen carere minime oportet) omnia faciatis, neque fieri potest, neque si posset, justum esset; dum cum tot animarum, vitarum, & millionum dispendio, male potius facere studetis, quàm aliter bene; & quam vobis, animi errore, reputationem Deam vestram fingitis, pluris quàm honorem Dei, servitium Regis, & bonum Reipublicæ facitis.

De sex illis millibus quæ isthic mihi Rex dari jussit, non dubito quin diligenter Amplitudo vestra cum Loio nostro curam gerat ut persolvantur. Et certè cum ingentissimas summas hinc quotidie mittamus; non debet in tantillo mora mihi fieri, quo minus id, quod debitum est, persolvatur; scriboque ea de re iterato ad Ducem, & item ad Albernozium, qui omnem operam per suas literas mihi promisit.

Viduæ Domini Cortevillii piæ memoriæ diligentem operam navo & navabo; nec omittam quin, quod intendo, volente Deo, perfecero: qua de re per proximum cursorem certiores vos faciam, quod per istas turbas non licuit.

Cornetii præsagia nimis vera evasisse videntur; oroque Amplitudinem vestram majorem in modum, ut, quo pacto omnia ubique acta transacta sunt, scire possimus.

De Joanne Oliverio Anglo jam Regias literas isthuc perlatas puto, & quod sua Majestas jussit, persolutum.

De Montensibus, quidam civis illic, haud bona huc perscribit; sed ut Noircarmio potius quàm cuilibet alii credatur, effeci; in eamque sententiam ad illum præscribitur.

Quid circa totum negotium literarum receptarum actum sit, jam ex Antonio Meytingo Amplitudo vestra cognorit. Quam ob rem

ob rem plura hìc addere ſuperſedeo, donec ad ea, quæ per ipſum ſcripta ſunt, fuerit reſponſum.

Aſcheum tandem appuliſſe gaudeo; nec dubito, quin de re Bizontina omni, ea occaſione proſpici ſit curatum

Brevem me faciunt infiniti labores & dolores, qui ut tot Amplitudinis veſtræ amiciſſimis ac prudentiſſimis literis, tam breviter & quaſi per puncta reſpondeam, fecerunt; quod ut mihi ignoſcat, majorem in modum peto.

Per literas quas cras, volente Deo, ſcribam, quædam alia Amplitudini veſtræ ſignificabo; quæ minimè, quantum quidem ego puto, erunt aliena ad rem omnem reſtaurandam, & in ordinem ſuum priſtinum reponendam.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant: & ſi quam rationem noſtrorum iſthic habere poſſit, uti ita faciat, quemadmodum certe faciet, majorem in modum rogant.

Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, & nos, ut facit, amet, cui omnia optima, omnibus vòtis a Deo optimo maximo optamus. Madriti, 21. Julii 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXXXIX.

ARG. *Epiſtola commendatoria.*

S. P. Reverende Præſul. Quoniam dominus de Gaſte, filius quondam Præſidis Marnier in Curia Dolana, ad Vos ibat, non potui omittere quin aliquid illi literarum darem; nam præterquam quòd ipſe id meretur, & ob inſignem in rebus bellicis pro ætate præſtantiam pergratus eſt Regi; tum etiam cauſa ejuſmodi, ut merito debeat commendari. Nempe ut Amplitudo veſtra poſt tanti temporis vacationem, negotium Abbatiæ de Roſieres in Burgundia, & quatenus æquum juſtum eſt fratris ipſius rationem habere velit, & ut quam primum ad Regem omnia tranſmittantur, curæ habere. Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, & me, ut facit, amet. Madriti 22. Julii 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XL.

ARG. *Sollicitudo de publicis ac privatis rebus. Rei bellicæ, ſed non uni, ſtudendum. Cauſſæ, cur tantopere Hæretici ac Rebelles invaluerint, iterum enarratæ, nova pecunia in Belgium miſſa, præter eam quæ annis quinque proximè elapſis ad XXV.* milliones florenorum, *& ultra aſcenderat. Sex florenorum millia, de quibus jam epiſtolâ præcedenti, Hoppero a Rege aſſignata. Spes nonnulla profectionis in Belgium.*

S. P. Scripſi heri, Reverende Præſul, per curſorem qui terrâ proficiſcitur; nunc autem quia alium per mare Mediterraneum mittimus, cum iiſdem mandatis, (niſi quod illa notis, hæc literis ſunt exarata) non volui omittere quin has illi darem. Animi mei ſollicitudo primum de publicis, tum privatis rebus, hoc eſt de Amplitudine veſtra, & liberis rebuſque meis, tanta eſt, ut nullam horam mihi videar interquieturus, niſi quid actum ſit, intelligam, & quid tandem agendum ſit, ſtatuere poſſim.

Ut vis illata vi repellatur, plane neceſſarium eſt; & niſi armis ſuperiores ſimus, nihil unquam rectè geri poterit. Cæterum præter hoc, ut & alia remedia adhibeantur, & ipſum quoque eſt neceſſarium; nempe ut quibus rebus malum invaluit, iiſdem in contrarium actis, remedium quæratur.

Quod tantum Rebelles & Hæretici, aliique malè erga religionem regemque affecti, potuerunt, primùm per negligentiam effectum eſt, quod neque terra, neque mari, limites, uti oportebat, cuſtodiebantur : deinde autem exacerbatione animorum, quam præter Decimi Denarii acerbam exactionem, inſolentia militaris, & juſtitia malè pauperibus adminiſtrata, ac quodammodo denegata, peperit. Utrique rei remedium Rex adhibet, dummodo vos bene utamini. Ad bellum gerendum nunquam deſinit aliam atque aliam pecuniam mittere, ultra viginti quinque milliones florenorum, quos proximis annis quinque accepiſtis. Ad alia bene gerenda, & Decimo Denario, & inſolentiæ militum, & juſtitiæ adminiſtrandæ, modus eſt poſitus; dummodo vos, quemadmodum oportet, ea exequamini.

Quibus utrisque quia accedit remissio generalis, tam de præsentibus quàm præteritis delictis, nihil video quid amplius addi possit ad totam rem componendam : quanquam ab una parte, ne serum sit; ab altera, ne ita, uti convenit, omnia fiant; valde metuo. Oro autem Deum optimum maximum, ut cuncta, quemadmodum oportet, dirigat.

De sex millibus florenorum mihi assignatis, non dubito quin Amplitudo vestra, & dominus van Loo apud illustrissimum Ducem instent; utque ita faciant, vehementer oro. Quod quidem cum perfectum erit, toto anno, aut etiam biennio, ut spero, vobis non ero molestus; nisi fortasse Rex prius isthuc eat, nosque una cum ipso, quod non despero.

De viduæ Cortevillii nostri, piæ memoriæ, negotio, proximis literis, volente Deo, scribam; nihilque ad officium illi quàm optimum exhibendum prætermitto; quod ut interim Amplitudo vestra illi significet, oro.

Uxor, quæ mirificè his rebus se affligit, & liberi, se Amplitudini vestræ etiam atque etiam commendant. Bene valeat Reverenda Amplitudo vestra, & me, ut facit, amet. Madriti 22. Julii 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXLI.

ARG. *Gratiæ actæ de quaternis Viglii Epistolis, quibus ipse Rex vehementer delectatur, accuratè scilicet & a viro optimo perscriptis. Sollicitudo de rebus Hollandicis. Responsum datum Legatis Belgarum, in caussa Decimi Denarii, probatur Duci Albano. Gaudium de re prosperè bello gesta; atque hinc spes nonnulla meliorum eventuum. De Præside Senatus Burgundici e Belgio advocando. De Anglicanis commerciis. Legati Belgarum, adhuc in Hispania, Carthagenæ. Bona verba, & Pacis nuntia, Dordracenis ac Goudanis dari vult Hopperus, sicque eorum animos emolliendos sperat. Quædam privatas res spectantia.*

S. P. Reverende Præsul, literas Amplitudinis vestræ III.

XIV. XVIII. & XXIX. Julii datas accepi; de quibus ſummas gratias habeo atque ago, quemadmodum & Rex facit, qui omnia veſtra libentiſſimè videt & audit.

Et quæ ad Denneterium ſcribit Capellanus, optimè intelligimus, & ſecundum ea conſilia quoque noſtra dirigimus.

De rebus Hollandicis & aliis generaliter vehementer doleo; vehementiſſimè autem, & ſpecialiter, de Goudanis & Dordracenſibus, de quibus jam ſecundo ſcribo ad Ducem, ut veritatis & æquitatis ratio habeatur: & ita coram & ſcripto retuli ad ſuam Majeſtatem, quæ in eam partem rem accipit.... ut majores, culpas ſuas evidentes per inculpationes minorum non videantur excuſaturi.

De Decimo Denario nihil illuſtriſſimus Dux literis Gallicis, quæ ad meas manus pervenerunt, perſcripſit; niſi quod ad me perfamiliariter, ut pro ſua ſumma erga me benignitate ſolet, perſcripſit, optimum ſibi videri quod reſponſum fuit deputatis. Ac quoniam quidem per literas Hiſpanicas ſua Excellentia ſcripſerat, ſe per Gallicas de negotio Decimi Denarii ſcripſiſſe; ſignificavi ſuæ Majeſtati nihil ejus rei ad manus meas perveniſſe, ſed fortaſſe properationem in cauſa fuiſſe, & per curſorem proximum venturum; quod & ſua Majeſtas ſe opinari reſpondit.

De victoria, certè inſigni, quantopere exhilarata fuerit ſua Majeſtas, & nos omnes, dici nequit. Speramus enim omnino januam nobis apertam ad victoriam, dummodo per Dei gratiam bene utamur, & cum vino armorum, oleum quoque gratiæ, uti Rex juſſit, miſceamus. Quod vos ita facturos etiam atque etiam confido.

De ſex millibus quos ibi Rex dari juſſit, iteratò ad Ducem ſcribo, quem velim officium facere, aut certè quæ ſua ſententia ſit, declarare. Nam ego vel magno damno meo malim aliunde pecuniam procurare, quàm iis, quos ſuper ea pecunia aſſignavi, vel in minimo fraudem fieri. De quo ut Amplitudo veſtra, & dominus van Loo, quam primum certiorem me facere velitis, vehementer oro.

Scribit ſua Majeſtas de Præſidatu Burgundico, tametſi poſtea veſtræ literæ eadem de re ſupervenerunt. Si ita videtur convenire, ut potius noſtras ad tempus, quàm Burgundus Præſes ibi conſtituatur, placebit Amplitudini veſtræ diſpicere, anne Wrdii noſtri aliqua haberi poſſit ratio.

Non reſpondemus nunc ad ea quæ proximè a vobis vene-

runt, quoniam Rex abest ad Sanctum Laurentium; jussitque mihi, ut, ubi redierit, (quod mox post Ascensionem Divæ Virginis, ut putamus, erit,) de omnibus referam.

Dominus Geraldus Despes multa hic refert de rebus Anglicis; ac potissimum quidem de licentiis de pannis extrahendis, & aliis importandis, datis; ubi Doctor Mylius noster scire cuperet, an nomen suum intervenerit: quod non puto; nam cautiores sunt qui hujusmodi tractant, quàm ut ejusmodi in rebus se capi patiantur.

Bene valeat Reverenda Amplitudo vestra, & nos, ut facit, amet; uxorque & liberi, quam officiosissimè se ipsi commendant. Et quantum ad Deputatos nostros attinet, sunt adhuc quidem Carthagenæ, ut puto; sed brevi, & quidem feliciter, discessuri. Madriti 9. Augusti 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Quod aliquid bonæ spei de Dordracenis & Goudanis Amplitudo vestra præbere videtur, vehementer gaudeo. Et sane si vel minima pars æqui & boni a vestra parte iis & aliis dicatur, non dubito quin omnia mox rectè se habebunt. Sed uti quidam homines rebus adversis mox dejiciuntur; ita iidem paululum secundis mox ita efferuntur, ut nulla ratio cum iis possit iniri. Vos ita non fore, per Dei gratiam valde confido.

Viduam domini Cortevillii non satisfacere quod ex sigillo mihi debetur, ac maximè quidem ut pauperi cuidam Anglo satisfiat, qui ultro per ... suos mihi nummos obtulit, demiror. De ipsius autem negotio proxima relatione Rex tractari jussit; utque omnia quàm optimè fiant, curæ habebo.

Adjunxi his literas Regis ad tres Episcopos, qui bene officium circa Decimum Denarium fecerunt; & alias meas ad dominum de Gaste, quas velim bene reddi, & ejus vicissim rectè ad me perferri; nam permagni interest, ut ita fiat.

EPISTOLA CXLII.

ARG. *Noctes diesque de afflictis Patriæ suæ rebus cogitat Hopperus; & quorundam in aula Hispanica perpetuum, quod remedia attinet, procrastinandi studium minimè probat. Acceptis a Viglio Epistolis proximè se responsurum pollicetur. Interim enatam curam ac suspicionem, ac si, querente Hoppero,* (vide superiores litteras), *quod vera malorum remedia in Belgio executioni non mandentur, & ipse quoque Viglius culpæ obnoxius redderetur, a Viglio amovet. Consilium Regis, de Decimi Denarii vectigali abolendo, cum Belgarum Legatis communicatum; sed dilatum tantisper responsum quod iis, qui Ordinum Brabantiæ Deputati venerant, dandum est.*

De rebus Frisicis ac Hollandicis, & quis futurus sit exitus obsidionis Montensis, Hispanorum exspectatio. Gaudium Regis de Admiraldo Collignio, *aliisque Calvini asseclis, in Gallia occisis, die illo festo S. Bartholomæi, celebri apud omnes hodie gentes ac pene nefasto. Mors inopina Cardinalis Spinosæ.*

S. P. Reverende Præsul. Tametsi toti in hoc simus, ut certum cursorem nostrum mittamus, cum omnibus quæ a vobis missa in manibus habemus, & jam sunt determinata: ne tamen hic cursor Cæsareus vacuus eat, non volui omittere quin aliquid illi literarum darem.

Ita res nostrates me affligunt, ut neque dies neque noctes possim quiescere; versoque animum in omnes partes, ut, si quid restat veri remedii, per Dei gratiam inveniatur. Rex pro summa sua prudentia, & virtute vigilantiaque, idem mandat; ac quanquam quidem de re inter nos, quibus negotium commissum est, satis conveniat; plerique tamen in hoc inclinant ut, quid isthinc adferetur, expectandum censeant. Qua quidem re ego futurum video, ut, dum aliud semper ex alio expecta-

bitur, nunquam verum remedium, quod ego unicum puto, adhibeatur. Quicquid autem erit, non omittam, quin Amplitudinem vestram de omnibus certiorem faciam.

Dum hæc scribo, commodum cursor vester, qui 23. Augusti inde profectus videtur, venit multas ab Amplitudine vestra adferens literas, quæ mirificè me recrearunt, quod ab Amplitudine vestra venerunt; cætera autem sunt hujusmodi, cujusmodi hic rerum tristis fert status; ad quas non nunc, sed proximè, volente Deo, luculenter respondebo. Interim de diligentia circa meos sex mille florenos exhibita, de quibus & Albernotius mihi scribit, summas etiam atque etiam gratias ago.

Quæ superioribus meis literis ita scripta sunt, quasi omnes isthic comprehendant, sic ab Amplitudine vestra accipi velim, ut censeat ab se ea quàm longè esse alienissima, nec nisi ad rerum, de quibus agitur, authores dirigi; a quibus quantum Amplitudo vestra pro sua summa virtute ac prudentia semper dissenserit, nemini, magis quàm mihi, est cognitum, & per me Regiæ Majestati minimè incognitum; quæ in optimam partem ea semper accepit, & accipit.

Miror ante reditum Deputatorum, cum Statibus isthic agi cœptum; nam scio illos multum boni officii posse agere, ex iis, quæ primum ab illis malè intellecta post melius intellexerunt; & quanta Regis erga optimas ditiones suas affectio sit, cognoverunt. Et quod isthic Decimum Denarium penitus deleri optant, dixi ego hic, jussu Regis, Deputatis, idem proponentibus, quoniam plerique omnes in suis libellis supplicibus aiunt, multas esse vias præter Decimum Denarium, quibus necessitatibus suæ Majestatis æquè commodè subveniri potest; & sua Majestas contenta est, ut omisso Decimo Denario, ea si qua est ineatur: per se consequens esse, illâ inventâ, utique Decimum Denarium cessare: quod est totum, quod ego asserui, & non aliud; prout qui adfuerunt omnes possunt testari.

Ac quantum particulatim ad Brabantiam attinet, quoniam Deputati hic libellum exhibuerunt, super impossibilitate sua, circa quotam suam in duobus millionibus annuis; noluit hic illis sua Majestas respondere; sed ibit libellus proximo cursu ad Ducem, cum suæ Majestatis literis.

Uti omnia generaliter, ita particulatim Res Frisicæ & Hollandicæ, ac nominatim Goudanæ, mirificè me sollicitant; avidèque omnes expectamus, quis tandem obsidionis Montensium

erit exitus, quem felicem fore valde ſperamus; eſtque dictu mirum, quantopere Regem exhilararint nova Gallica, de Admiraldo & aliis Huguenotis occiſis, unde aliquid ad nos boni redundare poſſe, valde ſperamus.

Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, cui uxor & liberi quàm officioſiſſimè, & verbis quàm ampliſſimis, ſe etiam atque etiam commendant.

Cardinalem noſtrum Spinoſam nudiuſtertius ſubita mors ſine ſacramentis & teſtamento abſtulit. Requieſcat in pace. Madriti 7. Septembris 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Sunt hic in ſtudiis duo filii domini Blaſerii, quibus argentum ſuppeditat quidam vir bonus Georgius Criter, noſtras, mercator Medinenſis, abſque quo fame morerentur, ut videtur. Et ſanè alter eorum vel mortuus eſt, vel non longè ab eo abeſt, magna ex parte præ inedia. Placeat Amplitudini veſtræ ea in re proſpicere apud patrem, ut quod æquum eſt, fiat. Cognoſco eum ejuſmodi ut, ubi rem cognorit, nullam partem boni & æqui ſit prætermiſſurus.

EPISTOLA CXLIII.

ARG. *Angor ac dolor Hopperi de miſero rerum ſtatu. Solo hoc intuitu ægrum animum ſolatur, quod nullo non tempore veritatem, etiam non amantibus, dixerit; præ Dei cultu, Regis ac patriæ utilitate, cætera omnia parvi pendens. Sed vera remedia, ante menſes aliquot profutura, nunc caſſa ac ſupervacua.*

S. P. Reverende Præſul. Scripſi ſuperioribus diebus nos totos eſſe in curſore mittendo, quod omnino poſt dies tres aut quatuor, per Dei gratiam, eſt futurum. Interim dum per iſtum curſorem Gallicum quædam mittimus, non potui omittere, quin uno verbo Amplitudinem veſtram ſalutarem, omniaque per Dei gratiam circa nos rectè eſſe ſignificarem, quantum ad corpus attinet. Cæterùm, quantum ad animum, non poſſumus non languere, donec aliqua meliora iſthinc, tam generaliter quàm particulariter, adferantur; prout omnino fore planè confidimus.

Una

Una res me maximè consolatur, quod hoc semper in me Deus procuravit, quod nunquam desii veritatem dicere, & quidem suo tempore, ut adhuc facio. Sed quæ ante paucos menses vera erant remedia, nunc nulla sunt, aut perexigua. Non ignoro nonnullos non in optimam partem accipere nonnulla; sed apud me tanti est bonum publicum, quod in honore Dei, servitio Regis & salute Patriæ consistit, ut reliqua particularia parvi faciam, ad quod etiam ipse Rex pro summa bonitate sua plurimum me juvat.

Bene valeat Reverenda Amplitudo vestra, cui ego & uxor, liberique, nos majorem in modum commendamus. Madriti, 18. Septembris 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ addictissimus servitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA CXLIV.

Arg. *Ad IV. Epistolas Viglii responsum. Dolana Academia Hoppero curæ futura, tum rei ipsius caussâ, tum Viglii rogatu. Confessarii, Medici, Chirurgi, qui omnes e Belgio vocantur, stipendium in dies singulos, non ita magnum. Decimi Denarii vectigal, Belgis tantopere detestatum, abolitum iri, quum initæ fuerint rationes aliæ, inveniundæ pecuniæ; quod difficile non esse, ipsi Belgæ prædicant. Non cum iis sentit Hopperus, qui ab una hæresi turbas omnes in Belgio ortas putant: pars maxima illarum & caussa solus princeps Orangius, cum assectis ac fautoribus; tum qui de plebe novitiis dogmatibus seducti sunt, malorum instrumentum. Cordatè in primis, & unus de multis præclare hac de re apud Hispanos sentit Hopperus, in Belgio Viglius. Enatam Viglio curam, de qua in Epist. superiori, iterum amovet. Perduellium II. millia occisa, apud Montes Hannoniæ. Mechlinia occupata & afflicta. Datum Viglio in mandatis, ut cum Albano Duce dispiciat, num Bona Admiraldi Franciæ, quæ in Burgundia, His-*

paniarum Regis Fiſco addicenda ſint, nec ne. Domeſtica negotia interſperſa.

S. P. Reverende Præſul, litteræ Amplitudinis veſtræ, ad quas nunc reſpondebo, II. V. XVII. & XX. Auguſti, (nam ad ſuperiores omnes reſpondi) ſcriptæ fuere.

Dolanam Univerſitatem, ubi res ad nos perlata fuerit, omnibus rebus quibus queam poteroque, libenter juvabo; idque non ſolum ſtudiorum causâ (quanquam ea res per ſe maxima eſt), verum etiam Amplitudinis veſtræ, & Vibrandi nepotis, cujus optima ſtudia non poſſum non ambabus ulnis ampleɛti.

De Confeſſore, Medico & Chirurgo, cum Amplitudo veſtra jam idoneos aliquos inventos eſſe perſcribet, facile procurabo ut honeſtum viaticum illis detur. Eſtque Medici ſalarium triginta ſtuferorum in ſingulos dies, Confeſſoris viginti, Chirurgi autem quindecim. Et ſi probe ſe gerant, munereque ſuo rectè fungantur, non difficile ſit, ut aliquid extra ordinem ſubinde adjiciatur.

De Muytingi negotio, credo literis Hiſpanicis eſſe perſcriptum, quas nondum vidi. Ut autem ratio aliqua ineatur, quâ creditoribus ſatisfiat, ſemper urgeo.

Terlongium ſalvum ſanum ad vos perveniſſe, gaudeo. Et quidem quod de Regis erga deputatos benignitate commemoravit, longè veriſſimum eſt; velimque illos jam adeſſe, (hærent autem adhuc Barcinone, brevi inde ſoluturi), ut omnia coram vobis commemorare, & quæ ſuæ Majeſtatis circa Decimum Denarium, & alia, ſententia ſit, exponere poſſent. Perſcripſique jam ad Amplitudinem veſtram, quid cum illis ego egerim; nempe quoniam omnes uno ore dicebant, multas præter Decimum Denarium, rationes eſſe inveniendæ pecuniæ, & Rex jam permiſit, ut aliam rationem ineant : fore, ut ea inventa, Decimus Denarius ultro ceſſet; quæ eſt ſuæ Majeſtatis & fuit ſemper ſententia.

Inventuros autem vos rationem, quâ, quæ Rex ſuper Decimo Denario, gratia generali, litibus ad confiſcationes pertinentibus, inſolentia militum, & aliis, mandavit, rectè mandentur executioni, valde confido; ſperoque eam rem ad populum ſedandum (niſi jam ſerum ſit, ut & Amplitudo veſtra ſcribit), haud parum adjumenti allaturam. Quanquam ſunt qui vehe-

menter contendant, (nam illorum intereſt ut ſic faciant), non inde, ſed ab una hæreſi, omnes turbas ortas eſſe, & quotidie oriri. Qua de re illuſtriſſimus Dux pro ſuo favore ſcribit ad me prolixiſſimè; cui breviter, ſuccinctèque reſpondeo: cauſam formalem mihi videri, Principem Orangiæ cum ſuis rebellibus: materialem autem, nonnullos de populo, hæreſibus infectos. Inter quas aliæ cauſæ mediæ interjectæ, quibus vulgus offenſum ac commotum eſt, locum feciſſe videntur, quod forma & materia ſe conjungerere potuerint, unde Ilias hæc malorum. Quibus tamen illum facile remedium inventurum confido, poſtquam tantum exercitum habeat; ſic ut ſuperbos debellare, humilibus autem veniam dare poſſit, quibus duobus totam rem contineri exiſtimo.

In his tantis malis, unum me conſolatur, quod, quemadmodum Amplitudo veſtra iſthic fecit, & ad me ſæpè perſcripſit, ego hic nunquam omiſi ſuo tempore verum dicere, veraque remedia in medium proponere; quod adhuc facio. ſed vereor ne nimium differendo, omnia tandem ſana conſilia pereant, nec aliud niſi una vis armorum reſtet; quæ utinam ſufficiat! Sed dolendum eſt, cum tot prompta, certa, & minimè ſumptuoſa remedia ſint ad manum, nos malle tarda, incerta, & quæ infinitis animabus, vitis, & pecuniis conſtabunt, eligere. Sed putandum eſt non ſine Dei numine ob peccata noſtra id evenire.

Nihil eſt quod Amplitudo veſtra vereatur, cum in ſuperioribus literis meis *Vos* dico, ipſam contineri; id enim longiſſime abeſt, conſtatque apud omnes mortales, quàm invitâ Amplitudine veſtra illa fiant, & quidem per eos, qui toto orbe ſunt noti.

Friſiam noſtram, virtute Bilii, hactenus rectè ſe habere; plurimum gaudeo; & Rex perlibenter audivit, addens ſe in memoria id habiturum, nec Præſidis Igrammi noſtri vigilantiam neglecturum; quod quæſo ut utrique Amplitudo veſtra ſignificare dignetur.

Rem pecuniariam meam eo loco eſſe, quo literis XX. Auguſti datis Amplitudo veſtra ſcribit, plurimum gaudeo. Nec dubito operam vos libenter daturos, ut, quæ reliqua ſunt, brevi conficiantur; quod ut ita fiat majorem in modum rogo atque oro.

De Præpoſitura Trajectenſi majore, jam dixi Regi quid ſit, addens, niſi coadjutor officium faciat, omnino fore neceſſarium.

ut de alio idoneo prospiciatur, ubi Buchonem nostrum minimè omisi. Dignabiturque Amplitudo vestra de omnibus mihi diligenter perscribere, ut secundum ea consilia dirigam. Ac quoniam quidem filius meus minor in expectatione est Præbendæ Oirschotensis, velim scire quonam loco ea res sit. Nam dominus de Grobbendoncq valde apud me instat, ut amico cuidam suo id juris cedere velim. Quod nescio an consultum videatur, maximè hoc rerum statu.

De valetudine Amplitudinis vestræ dixi Regi quidnam rei sit, qui sane se dolere ostendit, & cogitaturum, rebus paulo melioribus, quonam modo voto Amplitudinis vestræ possit satisfacere.

De genero meo & liberis, nihil certi exploratique haberi vehementer dolemus, & quidem ita ut neque dies neque noctes quiescere possimus. Quanquam ipsum publicum ita me afficit, ut cogitandi de privato vix ullum spatium habeam, majusque minus totum pene offuscet.

Quemadmodum urbis Mechliniensis, aliorumque oppidorum Brabantiæ deditio, nos penitus conservaverat; ita contra quæ de Rebellium duobus millibus apud Montes Hannoniæ occisis, allata fuere mirificè nos recrearunt, & in certissimam prope spem victoriæ, (ita enim hic sumus), nos erexit. Quod ut ita fiat, Deum omnibus votis precor atque oro.

Uxor & liberi se Amplitudini vestræ majorem in modum commendant, nec non Stinam salutatam & consolatam cupiunt. Quod eo sane facilius admittere debet, quod prope omnes, quotquot sunt, hoc malum involvit.

Illustrissimus Cardinalis Granvellanus, quantum ex literis ipsius intelligo, bene valet; sed hoc illi cum omnibus bonis est commune, quod optimæ patriæ casum graviter luget; & quidem magis faciet, ubi sedem suam Metropolitanam tam miserè occupatam & afflictam intellexerit.

Cuperem ego quidem ad amicos in Frisia, Hollandia, Geldria, Mechliniæ, Lovanii scribere; sed hic omnia itinera locaque ita obsessa feruntur, ut nullus pateat transitus. Quare si quid de illis Amplitudo vestra habeat, velim nobis significare dignetur.

Bene vale, Reverende Præsul, & te Reipublicæ, nobisque, etiam atque etiam conserva. Quod ut ita fiat, Deum omnibus votis rogo atque obsecro. Madriti 26. Septembris 1572. Re-

verendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

De negotio viduæ domini Cortevilii ſcribitur jam ad illuſtriſſimum Ducem, quem velim quàm primum reſpondere ut totam rem ſtatim conficere poſſimus, in quo omnem operam navabo.

Admiraldus Franciæ defunctus multa reliquit Bona in Comitatu Burgundiæ. Ac quoniam quidem certo conſtare putatur, illum multa hoſtilia contra Regem tentaſſe, juſſit mihi ſua Majeſtas ad Amplitudinem veſtram perſcribere, ut ad illuſtriſſimum Ducem ea de re referat; & utrum bona illa apprehendenda ac confiſcanda videantur, nec ne, diligenter diſpiciatur.

EPISTOLA CXLV.

ARG. *Patriæ, ſuorumque calamitatem iterum deplorat Hopperus, angiturque in primis qnod jam nullum in Belgio ſanis conſiliis locum eſſe videat. Dum malorum autoribus impune eſt, in concives & innoxios animadvertitur, Rege ipſo dolente, & mitiora conſilia nequicquam probante; atque hinc denuo ſcribi jubet ad Albanum Ducem. Gaudium de Montenſi Hannoniæ oppido, Mechlinia, aliiſque locis recuperatis. Res a Roblio, & Præſide Friſiæ, bene geſtæ, ac Regi probatæ. Rumor de ſuborta ſimultate Ducem inter Albanum & Medinenſem, ut & Noircarmium ac Berlamontium. Viglii Epiſtolæ maximum Hoppero atque ipſo Regi in rebus agendis adjumentum. Laus Covarruviæ, Segovienſis Epiſcopi, quem Conſilii Regii Præſidem in Cardinalis Spinoſæ locum Rex ſuffectum cupit, Epiſcopo recuſante, ni ab Epiſcopali onere abſolvatur. Non creditum verbis Reginæ Angliæ.*

S. P. Reverende Præſul. Literas Amplitudinis veſtræ XVI. & XXII. Septembris, & III. Octobris datas, accepi; quæ, ut ab Amplitudine veſtra profectæ, non poſſunt non eſſe gratiſſimæ, & ſunt ad res gerendas maximo mihi ſemper adjumento;

cætera autem, earum rerum ſunt plenæ, quæ neque dies neque noctes me ſinunt quieſcere. Nam cum ab una parte tum quidem totius regionis, tum autem optimæ patriæ noſtræ Friſiæ, & rerum noſtrarum propinquorumque calamitas me cruciat: & quidem ab iis ex parte illata, qui tantum Amplitudini veſtræ & mihi debent: tum ab altera, dici nequit quantum me affligat, quod ſanis conſiliis nullum iſthic video eſſe locum; & dimiſſis impune iis, qui omnis hujus mali authores ſunt & fuerunt, (loquor autem de comite Ludovico), in proprios noſtros cives, eoſque multos innocentes, (de quo Rex in quodam ſuo ad me ſcripto graviter conqueſtus eſt), ſæviri.

Ego hic ab optimo ac ſanctiſſimo Principe, literis Amplitudinis veſtræ & aliorum amicorum munitus, quidvis facile impetro, quod ad rem leni via componendam poſſit pertinere. Sed iſthic, (neſcio quo conſilio, de quo meum non eſt judicare), nulla fit executio. Quod quidem ſua Majeſtas animadvertens, nunc iterato ad illuſtriſſimum Ducem ſcribit, ut, quid de gratia, inſolentia militari compeſcenda, ſcripto illo, & aliis ſuperioribus menſibus miſſis ac perſcriptis, factum ſit, ſignificet; & non tam vi & armis, (quæ tamen omittenda non ſunt), quam æquitate ac lenitate ditiones ſuas pacare ſtudeat. Oro Deum optimum maximum, ut effectum aliquem notabilem habere poſſit.

De Montibus, Mechlinia, & aliis urbibus recuperatis valde gaudemus, nec dubitamus quin & aliæ omnes facile recuperabuntur; dummodo cum vino oleum Evangelicum, ut jam ſecundo ad Illuſtriſſimum ſcribo, miſceatur.

Libenter cognovi quæ apud Snecam, Stauriam, & Himlum, tres patrias meas, contra Geuſios feliciter geſta ſunt.

Quid de amicis Lovanii, Mechliniæ, in Hollandia & Friſia, particulatim actum ſit, valde aveo cognoſcere. Scripſitque iterato Rex, proprio ſuo motu, virtutem Roblii, & Præſidis Friſiæ, ſibi longè eſſe gratiſſimam, eorumque gratam ſe habiturum memoriam. Neſcio an otium erit ut id ipſe ad illos perſcribam; ſin minus, quæſo Amplitudinem veſtram ut meo nomine ſcribere velit.

Fertur hic, ſed rumore incerto, &, ut ſpero, falſo, inter duos Duces neſcio quid eſſe ſimultatis. Quod ſi ita eſt, magni alicujus mali poſſet eſſe cauſa. Jam inde ab initio, cum hinc abiret, admonui ſuam Majeſtatem, ut ei rei provideretur; quæ ita ſe facturam reſpondebat.

Aiunt quoque inter Berlamontium & Noircarmium interceſſiſſe aliquid, ſuper Mechlinia in prædam danda, vel non danda; ſed nec id verum eſſe ſpero.

Ne autem deprædationes factæ, & tempus hybernum imminens, circa urbes recuperandas moram nobis faciant, valde metuo, ſi tamen vera remedia adhibeantur, brevi omnia compoſita iri valde confido.

Maximo autem uſui mihi ſemper ſunt ſcripta Amplitudinis veſtræ; nam cum Gallicè pauca perſcribantur, Hiſpanica autem non omnia mihi ſemper communicentur; & in iis nonnulla ſubinde, (ut mihi ſæpè Rex dicit), omittantur: illa, tum quidem ad res geſtas intelligendas, tum autem ad conſilia capienda, ſummum nobis præſtant uſum; frequenterque ſua Majeſtas vel ultro a me quærit, quidnam ab Amplitudine veſtra acceperim.

Amortizationes Amplitudinis veſtræ jam mittit Denneterius; fitque diploma Vironii noſtri, ut proximè vel ad vos recta eat, vel ad illuſtriſſimum Cardinalem Granvellanum, (quod Sagunta contendit), ut ab illius manu beneficium procedat.

In Cardinalis Spinoſæ, piæ memoriæ, locum, ſumma omnium approbatione electus eſt in Præſidem Conſilii Regii Covarruvias, Epiſcopus Segovienſis; cujus ſcripta Amplitudo veſtra viderit. Aiunt illum recuſare, niſi Epiſcopatum ſibi deponere liceat; quoniam in Concilio Tridentino ſemper cum aliis aſſeruit, reſidentiam Prælatorum de jure eſſe divino. Eſt vir bonus & doctus, ſummâque mihi amicitiâ conjunctus.

Quod de Medici, Confeſſoris & Chirurgi ſalario nuper præſcripſi, poſt diligentius didici; invenique Medici quidem ſalarium triginta ſtuferorum eſſe in ſingulos dies; ſed Confeſſoris & Chirurgi duodecim dumtaxat. Ne tamen detrimentum patiantur, aliâ viâ haud difficile procurabo.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ quàm officiociſſimè commendant, Stinamque unà mecum etiam atque etiam ſalutant.

Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, & te nobis ac Reipublicæ quàm diutiſſimè conſerva; quod ut ita ſit, Deum omnibus votis præcor atque oro. Madriti, ultimâ Octobris 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Uti Rollemæ ſcelus execror, ita Burgerii & uxoris caſum dodoleo; ſed dabit his Deus quoque finem.

Regina Angliæ multa dat nobis bona verba; ſed nos verba tantum eſſe credimus, facta autem plane eſſe diverſa.

Oravi illuſtriſſimum Ducem ut ſororem meam, viduam Doctoris Reyneri, a militibus liberam ſervare velit; qua in re ut Amplitudo veſtra ſuam operam quoque impartiri velit, vehementer rogo.

EPISTOLA CXLVI.

ARG. *Comes Arenbergenſis in Belgium cogitat. Illius elogium, & decreta a Rege præmia, Hoppero majora poſtulante.*

S. P. Tametſi quidem, Reverende Præſul, hodie curſorem mittimus, per quem latius ſum ſcripturus : quia tamen Comes Arenbergenſis ad vos it, non potui non aliquid ei literarum dare. Dedimus quidem omnem operam ut in cubiculum Regis adſciſceretur, & vel *Harcherorum*, vel Provinciæ alicujus præfecturam obtineret; ſed tota res in aliud tempus dilata eſt, datis octodecim millibus florenorum in ſumptus, additâque Legatione ad Regem Galliæ, ut ei de filia nata congratuletur. Eſt facillimis moribus, & pectore plane candido; ſed quia Gubernatorem non habuit ſatis aſperum, effudit ſe paulo ſolutius. Cæterum malo edoctus, in poſterum, ut ſpero, cavebit; ut autem Amplitudo veſtra commendatum ipſum habere velit, valde rogat, & ego ſane majorem in modum oro. Plura non addo; nam reliqua ex ipſo Amplitudo veſtra intelliget. Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, quod & ego facio; utque ipſam quàm diutiſſimè nobis conſervet, Deum optimum maximum omnibus votis oro. Madriti 28. Novembris 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPIST.

EPISTOLA CXLVII.

Arg. *De Lovanienſibus cura Hoppero; cura etiam de reſarcienda utcumque jactura, quam Mechliniæ & Teneramundæ paſſi ſunt viri boni, nullâ ſuâ culpâ. Hopperi Vaticinia, de rerum exitu, quamquam ſiniſtra, eventu confirmata. De Remberti Dodonæi, celebris Medici, ſtipendio. Decimi Denarii negotio ſuperſedendum, dum qui a Belgarum ordinibus in Hiſpaniam Legati, in Belgio reduces fuerint. Bilius Regi ſe probat. Captâ, quæ capienda ſperatur, Zutphaniâ, Dux Albanus exercitum dividet.*

S. P. Reverende Præſul. Literas Amplitudinis veſtræ XIII. ſuperioris menſis datas, IV. hujus accepi, de quibus maximas habeo atque ago gratias; eruntque mihi maximo uſui, ubi primùm Rex in urbem redierit, quod cras erit, Deo volente. Nam e re mihi videtur ut omnia ſciat; quod ut fiat, ſemper do operam.

De Lovanienſibus meo hortatu Rex ipſe ſua manu ad Ducem ſcripſit, ne quid illis deſiat; poteroque certiora de tota re ſcribere, ubi de ea retulero; quod propediem fiet.

Tantundem erit & de Mechlinienſi Tenremondenſique negotio, nam horribilia ſunt quæ perſcribuntur; cogitavique anne qua bonis fieri poſſet recompenſatio ex bonis malorum, quorum causâ in hæc mala inciderunt.

Quæ de gratia generali Regiæ Majeſtatis ſit voluntas, neſcio utrum vos videritis; ipſa certè clarè ea de re ad illuſtriſſimum Ducem nuper perſcripſit. Sed doleo me tam veracem fuiſſe vatem; cujus Amplitudo veſtra optimus eſt teſtis.

De Remberto, cujus ſane fortunam non poſſum non graviſſimè dolere, ſcripſi nudiuſtertius ad Regem; inter cætera, ecquid fortaſſe ſtipendium, quod Veſalius habebat, illi dare placeat, qui ſunt trecenti floreni annui, ultra triginta ſtuferos in ſingulos dies. Videbimus quid ſit reſponſurus.

Ab Legatis ex Genua literas habui XX. ſuperioris menſis datas, ita ut nunc eos iſthuc veniſſe planè ſuſpicer; ſcripſitque

Rex, non abs re sibi videri, ut communicatio super Decima cesset, donec illi advenerint.

De Bilio, ejusque egregiis factis, jam sæpiusculè retuli ad suam Majestatem, quæ benignissimè sane respondit; ut ad Amplitudinem vestram, ipsumque Bilium, & Præsidem Frisiæ, ejus jussu, perscripsi.

Si quid Amplitudo vestra de nepote in coadjutorem assumendo me cum Rege agere velit, libentissimè sum facturus; tentaboque rem proxima audientia, perscribamque quid tulerim responsi.

De genero & liberis meis, Burgimagistroque Dordracensi, ad utrumque Ducem scripsi, & dominum Fadricum; & in tantis malis publicis & privatis, quibus unà cum Patria urgemur, nihil est quod me ac uxorem magis sollicet. Spero tamen Deum brevi bonum aliquem finem daturum.

Illustrissimus Dux scribit, capta Sutphania, quod brevi fore putat, partem exercitus in Hollandiam, partem in Transisselaniam se missurum. Quidnam autem factum erit, valde expectamus; neve anni tempus, multum impedimenti rebus adferat, metuimus. Proximo cursu, Deo volente, rem omnem intelligemus, nec non de Frisia nostra quid agatur.

Bene vale, Reverende Præsul ac Patrone. Uxor & liberi se Amplitudini vestræ etiam atque etiam commendant, proque ipsius salute Deum perpetuis precibus orant. Madriti, 28. Novembris 1572. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CXLVIII.

ARG. *Lætitia de recuperata Geldria, & provinciis aliis. Cura Hopperi de genero & liberis, ut & de Bibliotheca quam in Goudano Oppido reliquerat. Libros omnes vetitæ lectionis igne cremari jubet. Dissensio inter Duces Hispanos, Belgii moderatores.*

S. P. Reverende Præsul. Literas Amplitudinis vestræ II. hujus mensis datas, & quasdam alias præcedentes accepi, de quibus summas etiam atque etiam habeo gratias. Sed non respon-

debo ad illas per hunc curſorem Gallicum; verum per noſtrum, qui brevi ſequetur.

Unum hoc nunc dicam, de recuperatione Geldriæ, Tranſiſſulaniæ, & optimæ patriæ noſtræ Friſiæ, Regem & nos omnes plurimum gaudere; nec dubitamus quin de Hollandia, per Dei Gratiam idem fiat, aut jam factum eſt; rogoque majorem in modum Amplitudinem veſtram, ut cum Gouda recuperata erit, ſtatim Soinelium meum, aut quem alium, eo mittere velit, qui (uti ad illuſtriſſimum Ducem ſcribo) res meas ſalvas faciat, & in his Bibliothecam, ſeparando, & igni tradendo eos libros; qui, prout Amplitudo veſtra aliquando ad me ſcripſit, poſt abitum meum interdicti fuere, & alii qui cauſa muneris Fiſcalis apud me remanſerant, quos cremari juſſeram: ſed neſcit uxor utrum factum ſit, nec ne.

De genero & liberis plurimum omnes ſolliciti ſumus, de quibus jam ſæpius ſcribo ad Ducem, ut non ex incertis præſumptionibus, vel falſis delationibus, ſed ex veritate, quam auditis partibus ex veris teſtimoniis cognoſcere oportet, rem dijudicare velit; ſperoque, Deo volente, eum omnino ita facturum. Ad Regem jam retuli, nihil hactenus nos reſcire potuiſſe, quo pacto res geſta ſit; ubi autem reſcivero, referam quid ſit, deſpiciamque ut conſilium pro re capiatur.

Morbum Loæi noſtri graviſſimè dolemus omnes, ſed quoniam Amplitudo veſtra aliquid bonæ ſpei dare videtur, & ipſi meliora ſperamus. Scribam ad illum ſi potero; ſin minus, excuſabit me apud eum Amplitudo veſtra, uſque in proximum illum curſorem noſtrum.

Diſceſſio Ducum unius ab alio variè hic ſuam Majeſtatem & totam Aulam affecit; toti autem juſſu Regis in hoc ſumus, ut remedium oportunum quàm primum inveniatur. Quod utinam Deus dare velit! Nam ex ejuſmodi ſcintillis magnum ſæpe incendium naſci ſolet.

Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, cui unà mecum uxor & liberi hæc feſta Natalitia, aliaque omnia felicia & fauſta optant; quod & facit Præſes Covvaruvias, cujus literæ ad Rodam & Olſignanum his junctas, uti Amplitudo veſtra cum meis ſalutationibus quàm officiociſſimis mittere velit, valde rogo. Raptim Madriti, ipſis natalitiis Domini 1572. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

De domini Blaſerii filio jam feci quod poſtulavit, ut proximè perſcribam; ſperoque Regem ad aliquod tempus impenſas ſuppeditaturum.

EPISTOLA CXLIX.

Arg. *Epiſtola commendatoria Nobilis Angli Georgii Tirrelli, Reginæ Mariæ olim a Cubiculis.*

S. P. Reverende Præſul. Tametſi nihil faciam libentius, quam generaliter omnibus qui ſuæ Majeſtatis ſubſidio opus habent, ſervire & prodeſſe: illud tamen mihi jucundiſſimum eſt iis quam queam operam navare, qui pro ſacro-ſancta fide catholica patiuntur, ac maximè quidem Anglis, propter cognationem quam cum noſtra habent natione Friſonica. Quod inſtitutum ſecutus, quoniam huc venit vir Nobilis Georgius Tirrellus cum ſuo filio Roberto, qui de Cubiculo olim ipſe fuit Reginæ Mariæ, quem Rex iſthuc mittit, ut, quemadmodum oportet, ei proſpiciatur: non potui omittere, quin Amplitudini veſtræ eum commendarem; quam, quia ſcio omnem operam libenter navaturam, non addam his plura, niſi id omnino gratiſſimum mihi futurum. Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, cui etiam atque etiam me commendo. Madriti 13. Januarii 1573. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

EPISTOLA CL.

Arg. *Mors optimi, & Hoppero maxima neceſſitudine conjuncti viri,* Van Loo. *Viduæ ejus II. millia florenorum donata à Rege. Cura perpetua Hopperi de liberis, ac genero. Viglii & Granvellani optima conſilia, de modo quo afflictis in Belgio rebus ſuccurri queat. Regis ad omnia paratus animus; ſed bonis conſiliis non nullus obex aliquando objectus in Hiſpania, maximus vero in ipſo Belgio, ubi quæ rectè cogitata ſunt, executioni non mandantur. Lovanienſi Academiæ*

ſedulam operam navat Hopperus; Mechlinienſibus item & Snecanis ſuis. Amſterodamenſes à Viglio meritò commendati; Roblius ab Hoppero, Regi. Regina Hiſpaniæ prægnans. Rumor de itinere Regis, numquam tamen futurò, prius in Italiam, inde in Belgium. Cætera minora.

S. P. Reverende Præſul. Plurimæ Amplitudinis veſtræ apud me ſunt literæ, (de quibus maximas etiam atque etiam habeo gratias), ad quas per hunc curſorem mercatorum non reſpondebo; ſed per noſtrum, quem cum pecuniis ad Illuſtriſſimum Ducem paramus. Tantum hoc dicam graviſſimè me ac omnes meos affeciſſe, mortem communis amici Van Loo, optimi, & omnibus officiis conjunctiſſimi viri, qualem certo ſcio me poſt Amplitudinem veſtram nunquam inventurum. Et ſane, ſi quid potero, non minus pro vidua ipſius (ad quam proximè ſcribam), & liberis laborabo, atque pro meis. Eſtque res per relationem meam apud ſuam Majeſtatem jam eò deducta, quod Illuſtriſſimo Duci (ad quem jam quoque ea de re ſcribo) mandabit, ut diligentiſſima eorum ratio habeatur. Et pro aliquo principio jam duo millia florenorum dedit ac conceſſit, prout per ſupradictum curſorem latius & particulatè magis perſcribetur.

Dici non poteſt quantopere me & uxorem affligant res liberorum noſtrorum, & generi, nec non optimi ſenis, & aliorum amicorum in Hollandia, de quibus nunquam ad Ducem ceſſo ſcribere. Et quidem ſupra omnia admiror, poſtquam gener, (ut Amplitudo veſtra ſcribit) Coloniæ eſt, quî fiat quod nihil ab eo literarum accipio, ex quibus utique aliquam rationem inire poſſem, quâ rebus quoquo modo queat ſuccurri. Spero autem proximè per vos aliquid boni me accepturum; quod ut ita fiat, Deum omnibus precibus oro.

Poſt Harlemum obſeſſum, curſores veſtros tamdiu tardare valde miramur. Hodie e Gallia ab Oratore noſtro literæ allatæ ſunt; ſed quia nihil dicitur, dubito ecquid boni ſit.

Toti in hoc ſumus, ut de rebus noſtratibus aliquid tandem magni ſtatuatur, quod ad veram Reipublicæ compoſitionem & pacem poſſit pertinere. Circa quam rem illuſtriſſimus Cardinalis Granvellanus plurima nobis egregia, poſt Amplitudinem veſ-

tram, ſubminiſtrat. Et ſane Rex pro ſumma ſua virtute ac bonitate paratiſſimum ſe oſtendit ad omnia optima conſilia ineunda, meque hortatur, cum gratiarum actione, ut omnes nervos in id intendam meos; quod ſane per Dei gratiam, quantum in me eſt facio; ſed uti hic nonnunquam non deſunt obſtacula, ita vos in poſſeſſione eſtis, nihil eorum facere quæ hinc ſalubriter præcipiuntur.

Reſponſum Amplitudinis veſtræ, & domini Præſidis Tyſnaci, huc miſit illuſtriſſimus Dux Albanus. Et quidem quoniam ſcriptum, quo de agitur, ita conceptum eſt, ut quæ de gratia generali, juſtitia gravatis adminiſtranda, & extraordinariis tollendis, Rex præceperat, jam executioni mandata eſſe præſupponat, eſt in eadem vobiſcum ſua Majeſtas opinione, non convenire, ut antequam id factum ſit, publicetur; ſcribitque in eam ſententiam ad Ducem luculenter, prout ante non ſemel factum eſt.

De Lovanienſibus ſæpe, & quidem quàm ſollicitiſſimè, egi cum ſua Majeſtate, atque item cum Duce, per literas. Uterque perbenignè mihi reſpondit, certumque habeo periculum penitus abeſſe. Tantum reſtat metus, quem ſpero ſublatum iri per literas Regis ad Ducem, quarum his exemplar junctum eſt. Et ſi quid hoc etiam ad rem facit, perſcripſi quoque ea de re diligenter ad Ducem, gratias agens de humaniſſimo reſponſo mihi dato; & unà etiam rogans, ut reliqua quàm citiſſimè confici poſſint : prout ad dominum Leoninum, qui hanc rem nomine Univerſitatis mecum agit, proximè latius perſcribam.

Merito Amſterodamenſes laudat Amplitudo veſtra, & curabo ut ſua Majeſtas per literas gratias illis agat; expectaboque quid de voluntate Remberti noſtri accipiemus, nec non quo loco res noſtræ Friſicæ ſunt, quarum nomine Roblium nunquam apud ſuam Majeſtatem laudare ceſſo. Rogoque Ducem, ut Snecanorum meorum aliquam rationem benignam habere velit.

Scripſerat mihi Cornelius Faber meus quædam Rollemani Frivola apud ſe manſiſſe, orareque ut Rex ſibi ea dare velit. Qui reſpondit, ſi quidem æſtimatione Amplitudinis veſtræ ſummam centum Ducatorum non excedant, placere.

Ad Blaſerii literas proximè, volente Deo, reſpondebo. Bona ſpes eſt, Regem filio, ex relatione mea jam facta aliquid daturum. Interim apud mercatorem fidem meam interpoſui, ad centum uſque florenos illi dandos, quod ſe facturum recepit.

Ut autem rebus Mechlinienſium, & quidem bonorum, ſuccurratur, omnem do operam, planeque confido aliquid me effecturum.

Del Ryo noſtro literas debeo, quas proximè omnino, Deo approbante, exſolvam, unàque procurabitur Vironii noſtri negotium; in quo nihil aliud, quàm ut diploma mittatur, reſtat agendum.

De Coadjutoria Gandavenſi, nec non de negotio quodam Financiarum arduo, & item de Nicolao Heller, qui Regis in Germania cupit eſſe Penſionnarius, proximis literis ſcribam, prout Rex mandavit.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ majorem in modum commendant, omniaque bona illi optant.

Reginam prægnantem eſſe pro certo habetur. Ordines Caſtellæ Principi juraturi dicuntur, inde in Arragoniam ad Comitia nos ituros, unde in Italiam tranſmittentes, ad vos recta ibimus. *Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ* (*a*).

Bene vale, Reverende Præſul, & te Reipublicæ nobiſque etiam atque eaiam conſerva; quod ut ita fiat, Deum omnibus votis precor atque oro. Madriti 4. Februarii 1573. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CLI.

ARG. *Omnia in Hollandia jam diu finem fuiſſe habitura, ſi Regiis juſſis obtemperatum eſſet. Continuus Hopperi labor, ut vera rerum pacandarum ratio ineatur, Rege omnia probante. Apologeticum ab Albano Duce ad Viglium & Præſidem Tyſnacum miſſum. Conſilium Catonianum, de Urbibus denudandis, à Byllio datum. Viglii ſententia expetita de negotio a Præfectis Ærarii in Belgio perſcripto. VI. millia Florenorum ex pecuniâ Regis in Belgium miſſâ, Hoppero ſolvenda.*

S. P. Reverende Præſul. Literas Amplitudinis veſtræ XIII. ſuperioris menſis ſcriptas, decima hujus accepi, poſt præceden-

(*a*) Verſus hic Virgilianus perperam adductus. Aliud omnino ſonat, quàm quod in mente habet Hopperus.

tes, ad quas ſi potero reſpondebo; ſin vero minus, per proximum, Deo volente, fiet Tabellarium.

Ad Wrdium, qui minimè à ſcopo aberrare mihi videtur, reſcribo, nec non ad Dodonæum; de quo Rex ſcribit, prout Amplitudo veſtra videbit. Reliqua vobis committo.

De Hollandia velim aliquid boni tandem ad nos poſt tantam moram perferri. Et ſanè omnes prudentes & Reipublicæ amantes viri in eadem cum Amplitudine veſtra ſunt ſententia; nempe ſi Regiis juſſis obtemperatum fuiſſet, jam omnia fore confecta. Sed vos non parituros, jam tum prædicebam.

Magno nunc ſtudio in hoc ſum, ut vera tandem Reipublicæ componendæ ratio ineatur; qua de re & loquor cum Rege, & ſcribo ad eum ſæpius, agitque mihi ſummas ea de re gratias. Juſſitque ut ſimul hic curſor abierit, ſtatim de omnibus quàm diligentiſſimè in Conſilio tractetur. Deum oro ut tandem aliquid boni effici poſſit; nec omittam quin Amplitudinem veſtram de omnibus faciam certiorem.

De ſcripto juſtificationis ab Illuſtriſſimo Duce ad Amplitudinem veſtram & dominum Tyſnacum tranſmiſſo, ſuperioribus literis me ſcripſiſſe memini. Rem trium oppidorum Friſiæ, de quibus, & quidem præcipuè de patria mea Sneca, ad ſuam Excellentiam antea perſcripſeram, ita expoſui ſuæ Majeſtati, ut plane diligenter ad Ducem de ea ſcribat, prout Amplitudo veſtra videbit. Ad quem Ducem iterato, ne quid pro patria officii prætermittam, ſcribo. Hujus conſilii Catoniani, denudandarum urbium, (de quo, cum id olim legerem, eram admiratus), animadvertere mihi videor Byllium fuiſſe authorem; ſequente ſenatu daturum autem ſe operam, ut, quantum ad Snecam, mitigetur, ad me ſcribit. Rex autem melius ei rei proſpexit, ſi mandatis ejus parebitur.

Ad Hemeliani Monaſterii noſtri reſtaurationem Rex ſexcenta contulit; plura collaturus, ubi opus cœptum fuerit.

Præſes Covvaruvias his diebus faſciculum Italicum his junctum ad me miſit, cum multa excuſatione, quod inſciens ſuperiorem ejus partem aperuerat, interioribus clauſis manentibus, ut adhuc ſunt. Fueruntque illi gratiſſimæ literæ Amplitudinis veſtræ, ad quas omnino cupit reſpondere, ſed Hiſpanicè; quoniam uſum ſcribendi Latinè habere ſe negat. Miſi hoc veſpere domum ipſius, ſi quid vellet fortaſſe literarum dare; ſed aberat.

Quoniam Nicolaus Heller, Amplitudinis veſtræ vetus famulus,

lus, cupit Penſionarius fieri ſuæ Majeſtatis, & in rebus Germanicis illi inſervire, juſſit ut ab Amplitudine veſtra reſciſcam, ecquid ad id idoneus, & quidnam faciendum videatur.

Menſes ſunt aliquot, quod domini Financiarum ſuis de rebus ampliſſimè ad Regem perſcripſerunt; de quibus ſua Majeſtas ſæpe mecum graviſſimè deliberavit; tandemque, ut antequam quidquam certi ſtatuat, Amplitudini veſtræ res communicetur, juſſit, cujus ſententiam omnino cupit intelligere.

Negotium Coadjutoriæ Gandavenſis cupiviſſem equidem conficere abſolutè; ſed quoniam Regi aliter videbatur, non potui refragari. Itaque mitto literas ea de re ſcriptas, de quibus Amplitudo veſtra ſtatuet, quod videbitur. Et ſi non cenſeat præſentandas, mihi dignabitur ſignificare, ut aliam rationem ineam ad rem conficiendam; quod etiam atque etiam opto.

Quoniam Rex ad Ducem ſcribit, quandoquidem de bonis confiſcatis mihi non ſatisfit, ut ex pecuniis quæ nunc mittuntur, ſex millia mihi numerentur, rogo Amplitudinem veſtram ut per Cappellanum ſuum ea recipere, (prout ad Ducem perſcripſi) dignetur. Sollicitationis negotium Faber habebit, nec non repetet cedulam a vidua Van Loo, ut ſciatur quomodo erunt eroganda, ſic ut nihil omnino moleſtiæ Amplitudo veſtra ſit habitura, niſi ut authoritatis & melioris cuſtodiæ causâ apud Capellanum ipſius, vel Stynam ſit pecunia; numerabitur ſiquidem.

Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone; Deumque oro ut Amplitudinem veſtram quàm diutiſſimè incolumem conſervet. Uxor & liberi quam plurimam ipſi ſalutem dicunt. Madriti, 24. Februarii 1573. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Literæ ad Adrianum de Montoja valde ab amico quodam mihi fuere commendatæ; itaque quæſo Amplitudinem veſtram ut rei procurationem diligenter ſuis mandare velit, & ut mihi quid rei ſit ſignificetur.

EPISTOLA CLII.

ARG. *Litteræ majoris momenti exſpectari juſſæ. Hopperi filius Duacum a patre miſſus, more modoque Belgarum illic inſtituendus. Salmanticæ ac Compluti omnia faſtu Hiſpanico. Denneterius melancholia laborans.*

S. P. Reverende Præſul. Tametſi hic curſor ex inopinato proficiſcitur, (nam alium paramus, qui propediem eſt abiturus), non potui tamen omittere quin has illi darem.

Præter res Burgundicas, Sancti Vedaſti, Cambron, & alias, quæ jam omnes ſunt confectæ, alias quoque, ut ſpero, mittemus, haud paulo majoris momenti, prout tum Amplitudini veſtræ latius ſignificabo.

Hodie hinc miſi filium, Duacum verſus, partim linguæ latinæ causâ, (cujus hic nullus eſt uſus), partim linguæ Gallicæ; ac maxime quidem, quod nullam nec Salmanticæ nec Compluti potui invenire rationem, quâ pro moribus noſtris, in obedientia & humilitate poſſet enutriri; niſi quod omnes etiam amiciſſimi affirmabant, ad minus præceptorem, cum ancilla & ſex famulos illi eſſe dandos. Quod quidem quia nullâ ratione mihi placuit; viſum eſt, (quoniam quod a me habere illum volui, jam accepit), ut Duacum illum mitterem, & pro vitæ noſtræ ratione, inſtituendum curarem; prout, ubi Deo volente appulerit, Dominus Vendevilius latius ad Amplitudinem veſtram perſcribet; probavitque rationem meam Regia Majeſtas, quæ brevi aliquid ſe amplius daturam dixit.

Denneterius noſter male valet, & ad ſolitum morbum tendere videtur; ſed damus omnem operam ut quàm optimè illi fiat, & melancholia, quod ejus fieri poteſt, diſcutiatur.

De filio procuravi, ut ſi Duaci minus tutè degatur, Pariſiis ſtatim ad Collegium Becodianum transferatur, reliqua Deo optimo maximo committens.

Bene vale, Reverende Præſul ac Patrone, uxorque & liberi ſe Amplitudini veſtræ quam officioſiſſimè commendantes, Deum optimum maximum omnibus precibus unà mecum orant, ut quàm diutiſſimè ſalvus & incolumis eſſe poſſit. Madriti, 18. Mar-

tii 1573. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Junxi his literas Episcopi Segobiensis, Præsidis Consilii Regii, ad Amplitudinem vestram. Is nullis negotiis aliis quam sui Consilii hactenus se immiscuit.

EPISTOLA CLIII.

ARG. *Litterarum omnium, ab mense Decembri Bruxellis à Viglio acceptarum, brevis enumeratio. Abbatiæ S. Vedasti, & Cambronensi, Antistes datur; provisum etiam Abbatiarum Hemelensis & Nizellensis restaurationi. Pamelius in Burgundia rerum civilium Præses; eique in mandatis datum, ut de publico Religionis ac Politiæ statu quàm sæpissimè in Hispaniam scribat. Reliqua fere privata.*

S. P. Reverende Præsul. Tametsi nullæ Amplitudinis vestræ apud me sint literæ, ad quas non particulatè respondisse me existimo; placet tamen eas quas accepi jam inde a mense Decembri, hic enumerare, partim ut Amplitudo vestra intelligat eas perlatas ac redditas esse; partim ut maximas gratias etiam atque etiam agam, quod tantos meo nomine labores suscipit, meque tam exactè instruit de iis quæ ad servitium Regis & bonum Reipublicæ, his tam difficilibus temporibus possunt pertinere; quod & suæ Majestati longe gratissimum accidit, ac sunt autem, quæ Decembris I. II. XII. XIX. XXIII.; Januarii XXVII. Februarii XIV. scriptæ fuere; ultra quas non alias reperio, nisi fortasse inter schedas meas, ex quibus ad Regem retuli, quædam lateant. Quod ideo addo, ne si fortasse aliæ missæ fuerint, Amplitudo vestra vereatur aliquid iis accidisse.

Jam totum mensem, & eo amplius, sine ullis literis sumus, publicis pariter & privatis; non tamen sine cursoribus, & aliis illustrissimi Ducis internunciis specialibus; per quos, quid isthic rerum geratur, subinde intelleximus. Ut autem quam primum boni aliquid terrâ pariter & mari a vobis gestum accipere possimus, Deum omnibus votis etiam atque etiam oro.

Mittuntur nunc provisiones Abbatiarum Sancti Vedasti & Cambron, secundum sententiam & advisum vestrum; nisi quod pro restauratione Abbatiæ nostræ Hemelensis, Abbatiæ Sancti Vedasti quingenti floreni, (ultra alios quingentos pro Nizellensi), semel numerandi imponuntur. Oro autem Amplitudinem vestram, ut tam circa hujus summæ quam alterius sexcentorum florenorum, super bonis confiscatis in Frisia, solutionem, auxilio nobis esse velit, ne Abbatia tota pereat, quod Deus avertat.

Pro Pamelio duas commissiones mittimus, unam Consilii Secreti, alteram Præsidatus Burgundiæ, circa quem sua Majestas majorem in modum optat ut Amplitudo vestra quàm diligentissimè eum instruere velit, & ut quam primùm eat efficere; item ut non omittat, quin (quemadmodum dominus de Vergy facit), omnibus occasionibus omnibus de rebus ad me scribat; ut quo pacto sacrosancta Religio Catholica Romana, administratio justitiæ, & totus status Reipublicæ se habeat, sua Majestas quàm sæpissimè & exactissimè intelligat.

De sollicitudine ac cura Amplitudinis vestræ circa generum, ingentes iterum atque iterum habeo gratias; atque uti ita semper continuare velit, majorem in modum rogo. Mirorque nihil me ab ipso, nec ejus nomine accipere, ut quid rei sit intelligam; & de idoneo remedio quærendo dispiciam.

Vironium nostrum commissionem filii jam ab illustrissimo Cardinali Granvellano accepisse existimo. Ad illum enim miseram, ut ab eo, tamquam capite post Regem, beneficium proficiscatur.

Abbatissæ Orientis preces, Rex in optimam partem accepit; speroque aliquam bonam operam me cum tempore ipsi navaturum.

Filium jam in itinere esse Duacum versus, superioribus literis perscripsisse me memini, velimque Venduvilium de Pædagogo illi prospicere; qua de re ad ipsum scribo.

Denneterii Medicus hodie ad me venit, affirmans melancholiam tam magnam & pertinacem esse, ut ad eam discutiendam non aliud videat remedium, quam tractum temporis. Deum quæso, ut opem illi ferat; nos nihil officii, quantum in nobis est, prætermittimus.

Dum hæc scribo, supervenit Licentiatus Spinosa, qui se Amplitudini vestræ quàm officiosissimè, & verbis quam amplissimis commendat. Quod & ipsum uxor facit, & liberi, totaque

adeo familia, quæ nunquam ceſſat pro valetudine & longa vita Amplitudinis veſtræ apud Deum intercedere.

Bene valeat Amplitudo veſtra, & me, ut facit, redamet; ſeque nobis Patriæque conſervet. Madriti, 2. Aprilis 1573. ſtilo communi. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

His ſcriptis, & nobis in iis conſignandis occupatis ſupervenerunt literæ Amplitudinis veſtræ 20. Martii datæ, ad quas non aliud nunc dicam, quam optimè Amplitudinem veſtram reſpondiſſe. Ac quantum ad coadjutoriam attinet, ego rem per Dei gratiam expediam. Rem Harlemenſem ita trahi, graviter doleo; boni tamen aliquid aliquando nos accepturos ſpero.

EPISTOLA CLIV.

ARG. *Hopperus ſive negotiorum mole obrutus, ſeu tædio affectus, multa ſe reſponſurum affirmat potiùs, quàm promiſſa exſequitur. Variæ ejus litteræ, de quibus hic mentio, interciderunt. Increpat Belgas de neglectis circa Deum exorandum ante victoriam, Regiis mandatis. Rex Philippus Magno apud Mechlinienſes Conſilio ſatisfactum cupit.*

S. P. Reverende Præſul, dies jam agitur ſeptimus quod plurimas ab Amplitudine veſtra accepi epiſtolas de quibus maximas etiam atque etiam habeo gratias. Reſpondebo autem ad eas per Dei gratiam brevi, additis nonnullis, quæ hic ſubinde accidunt, nam cum qui has perfert, non noſter ſed extraordinarius ſit curſor, non cenſui per eum quidquam rei feriæ tractandum. Illud tantum dicam, quæ de publicatione gratiæ generalis & circa Conſilium Turbarum & Decimum Denarium, propoſitione accepimus, pergrata quidem omnibus accidiſſe; ſed quod de Statua allatum eſt, tam gratum fuit omnibus (dico iſtis hominibus) ut reliqua pœnè obſcurarit.

Aliquid fortaſſe brevi accidet, quod itidem magis erit gratum, ut ſuperioribus meis literis 26. Junii ſcriptis, attigiſſe me exiſtimo. Deum rogo atque obſecro, ut ad pacem ac tranquil-

litatem res noſtras tandem dirigere velit. Vos de victoria, gratias luculenter Deo egiſſe nihil dubitamus; ante autem illum publicè oraſſe, aut etiam nunc id facere, prout Rex juſſit, nondum audivimus. Quæ autem circa eam rem formula ſervatur, ex ſchedis his junctis videre licet: ubi quod Pappa pro Papa ſcribitur, ſciendum eſt non inopiâ ſed abundantiâ eruditionis fieri, uti author ipſe mihi retulit.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, utque res noſtras ac noſtrorum quemadmodum ſemper, curæ habere velit iterum atque iterum rogant. Ac quoniam quidem Receptor confiſcationum jam ſolvere cœpit & reliqua brevi ſolvere promittit, quæſo ut omnibus quamprimum ſatisfiat ac maximè quidem Thomæ Florentio mercatori, nec non Prætſio noſtro.

Scripſit mihi Scharenbergius noſter, ſe magnæ aliquid habere rei quod ad me mittat ſuper Principum quorumdam conſpiratione valde gravi. Id velim rogatum eum ut quam primum faciat; nam & aliunde aliquid ejuſmodi ſubolfecimus, & quo res ſit tutior, notis deſcribi poterit.

Baro quidam Anglus, hanc mihi ſchedulam obtulit: circa quam rem quid fieri oporteat, dignabitur Amplitudo veſtra mihi ſignificare. Bene valeat reverenda Amplitudo veſtra, cui omnia felicia ac fauſta a Deo optimo maximo omnibus votis opto. Madriti 3. Julii 1573. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor Joachimus Hopperus.

De Conſilio Magno noſtro Mechlinienſi nihil per vos reſponderi, valde miror; nam cupit ſanè Rex illic quàm optimè fieri. Sunt & alia multa de quibus iſtinc ſcripſimus, ad quæ nunquam reſpondetur.

EPISTOLA CLV.

ARG. *Pecunia festinè in Belgium missa. Rex querelis omnibus obviam ire cupit. Commendator Requesenius, qui non ita pridem Albano Duci in Belgio suffectus fuerat, & ipse incusat tarditatem consiliorum Hispanicorum. Hopperi negotia domestica.*

S. P. Reverende Præsul. Tametsi qui has perfert, nondum est verus ille; quem cum veris remediis adornamus, (solum enim cum pecunia subito mittitur), non potui tamen omittere, quin has darem; nempe ut Amplitudo vestra intelligat, nos totos in hoc esse, nec aliud suam Majestatem dies & noctes agere, quàm ut omnibus tandem omni ex parte satisfiat. Et quidem verissimum esse censeo, quod Amplitudo vestra scribit, nostram tarditatem non parum authoritati domini Commendatoris detrahere, quod & ipse tacitè suis in litteris satis mihi significat. Nec parum nos sollicitos habet, quod bona vestra nova Middelburgensia tantopere tardant; ventura tamen aliquando, etiam atque etiam per Dei gratiam speramus.

Atque hoc puncto, dum hæc scribo, veniunt mihi litteræ ab sua Majestate, quibus scribit, proprio motu, se sine dubio mihi mox vera illa, quæ dixi, missuram. Quod Deus faxit ac fortunet!

Unà etiam ibunt, Deo favente, sine ullo dubio expeditiones Buchonis & Gerbrandi, qui ne hilum quidem eorum sciunt quæ aguntur; sed accipient omnia de manu Amplitudinis vestræ, uti par est.

Quoniam neque meum de sex millibus, neque generi negotium Dux Albanus absolvit, (nec verò aliud ipse expectabam; sed conveniebat amicè cum eo agere), scribit super utroque Rex ad dominum Commendatorem majorem, prout per copiam hic junctam Amplitudo vestra videre * placebit: additis porro copiis literarum, quas sua Majestas ad Ducem Albanum scripsit, tum quidem super dictis sex millibus, ultra alias Hispanicas, tum vero super dicto negotio generi mei, quas ex causa nunquam censui ad Ducem mittendas, donec de voluntate illius

* f. poterit.

plenius mihi constaret, medio quo tempore abiit, quod expectabam. Ac est quidem voluntas Regis absoluta, prout ipsamet post mihi declaravit, & res etiam per se ostendit, ut liberè & sine impedimento gener in ditionibus nostris esse possit, suumque munus facere & exercere, & causam suam tractare. Et quod Rex sua manu addidit, non alio pertinet quàm ad ultimam epistolæ clausulam; nempe ut non huc res mittatur, sed isthic tractetur, si opus est, quod spero non fore. Commendo autem utrumque negotium ex toto pectore Amplitudini vestræ, quam scio dominum Commendatorem plenissimè informaturam; quod ipsam facturam ad suam Excellentiam perscripsi. Nam ut tam particulatè cum ipsa agerem non visum est mihi convenire. Ac scribens his de rebus ad Castellanum, in genere dico, ut secundum ea quæ a parte Amplitudinis vestræ intelliget, se gerat.

Quoniam autem mihi nunc non est otium, ut ad filii Pædagogum scribam de literis testimonialibus, quæso Amplitudinem vestram, ut id Capellano suo mandare velit, & ne omittatur, quin quàm primum mittantur. Scripsitque mihi aliquando magister Bucho se formulam illis reliquisse, quâ fieri debeant.

Bene valeat reverenda Amplitudo vestra, cui omnia felicia & fausta a Deo optimo maximo opto; quod & uxor & liberi etiam atque etiam faciunt. Madriti, 21. Februarii 1574. Reverendæ Amplitudinis vestræ paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Plurimas ab Amplitudine vestra habeo literas, ad quas proximè particulatè, Deo volente, respondebo.

De Albano nondum quidquam intelleximus, quod miramur. Stynam una cum vidua van Loo omnes salutamus. Diutinæ istæ Regis absentiæ faciunt, ut nihil prope rerum privatarum absolvamus; ut tamen fiat, omnem do operam; scribitque mihi Rex se brevi huc venturum, & omnia absoluturum.

De rebus nostris Frisicis, & aliis, nihil scribo, quia in id tempus Rex omnia rejecit.

Proximis literis, Deo volente, ad magistrum Rembertum scribam, nec non ad Wrdium, quorum res non minus quam meas habeo cordi.

EPISTOLA

EPISTOLA CLVI.

ARG. *Fatiſcens pene ſub negotiorum mole Hopperus. Rerum bene agendarum maxima ſpes in Viglio. Mali ominis nuntia Zelandica, ut & Germanica. Omnia ex Requeſenii ſententia fiunt in Hiſpania. Cantores in Philippi aulam accerſiti e Belgio. Friſiæ partem vicinum mare inundat. Mechlinienſis Senatus, ut & Lovanienſium ac Trajectenſium negotia, curante Hoppero, rectè compoſita. Hiſpani homines in Belgas parum munifici.*

S. P. Reverende Præſul. In tantum me fatigarunt expeditionis hujus continentes per tres ſeptimanas labores, ut vix manum movere, aut alicui rei adhiberi poſſim. Itaque ignoſcet mihi Amplitudo veſtra, ſi brevior videar, nec ad alias literas, quas habeo plurimas, quàm XV. ſuperioris menſis datas reſpondeo; ſum enim id ampliſſimè, Deo volente, facturus, cum duplicato quod brevi ibit, (& cum eo utriuſque nepotis expeditio), cum quo & omnibus porrò amicis omni ex parte ſatisfaciam.

De iis quæ nunc mittimus nihil dico, nam Amplitudo veſtra omnia, non dubito, videbit. Tamen hoc addam, ſuam Majeſtatem & heri & hodie mihi ſcripſiſſe, ſummam ſe ſpem rerum bene dirigendarum in Amplitudine veſtra habere; quod ut perſcriberem, iteratò mandavit, & quanti ipſam faciat, ampliſſimis verbis oſtendit.

Mirificè nos omnes perculerunt nova Zelandica, nec minus Germanica; quæ utraque grave malum nobis minari videntur, niſi Deus provideat: quod ut ita fiat, ipſum etiam atque etiam rogamus. Et ſane Dominus Commendatarius valde apertè ſcribit de omnibus, & quæ animi ſui ſit ſententia, quam per omnia ſequimur. Utinam tempeſtivè!

Reſponſum Prælatorum & Nobilium Brabantiæ accepi, curoque in Gallicum transferendum, ut Rex intelligat; miſitque Dominus Commendatarius querelas eorum ad quas ſe referunt.

Quæ ſane permagni momenti mihi videntur. Ac quoniam quidem petiit copias ſupplicationum Statuum, quorum Deputati hic fuerunt, & reſponſum hic datum ſibi mitti; non potuimus per anguſtiam temporis, (nam nudiuſtertius primum veſtram accepimus), aliud quàm reſponſum nunc dare; reliqua cum duplicato, Deo volente, daturi: quod ipſi velim Amplitudinem veſtram ſignificare, ſi eſt opus.

De meis ſex millibus, & generi negocio, jam ſpero per Dei gratiam factum, prout per ſuperiorem curſorem fuit perſcriptum. Nam Amplitudinem veſtram non minus utrumque cordi habere ſcio, atque ego habeam; qua de re ſummas etiam atque etiam habeo gratias.

Quoniam Rex inter cætera de Cantoribus ſibi mittendis ſcribit, ſignificavit mihi Magiſter Capellæ, Baſſis (quos vocant), præcipuè ſe habere opus tribus; quod poſt ſua Majeſtas juſſit ut ad Amplitudinem veſtram perſcriberem, ut velit id dicere iis, ad quos ea res pertinebit.

De Friſiæ noſtræ inundatione vehementer doleo; ſcribuntque ad me plerique omnes rem eſſe quaſi deploratam. Petrum Buygerium noſtrum patrem factum, ſocerumque Vibrandum reſuſcitaſſe, plurimum gaudeo, ſperoque & Baukiam noſtram, quoniam ſemel peperit, minimè ſterilem futuram, maximè tali marito, qualis eſt Hector. Ad omnes amicos Friſiæ proximè, approbante Deo, ſcribam; nunc autem non poſſum.

Quemadmodum iſthic, ita & hic, ob graviſſimas Regiæ Majeſtatis occupationes, & abſentias prope continentes, ita accreverunt negotia, ut vix videam quomodo finis iis poſſit imponi.

Senatus noſtri Mechlinienſis, & Trajectenſium Lovanienſiumque negocia, in eum locum, (bonum ſane), redacta eſſe, quem Amplitudo veſtra videbit, plurimum lætor. Nec ſane quidquam ſtudii & officii omiſi, ut ita fieret; eſtque nominatim comprehenſus Secretarius noſter Vander Aa, cujus libellum ſupplicem, quoniam ad manum non erat, omiſi; ſed ipſe poterit ſupplere.

Uxor & liberi ſe Amplitudini veſtræ etiam atque etiam commendant, omniaque fælicia ac fauſta ei optant. Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, quam ut Deus quàm diutiſſimè incolumem nobis ſervare velit, omnibus votis oro. Madriti, 13. Martii 1574. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Doctor Mylius Memoriale hic junctum (*a*) hoc momento ad me misit, cupiens scire quid suis in rebus ab Duce Albano sit actum. Ego illi sæpe dixi, me certissimo animadvertisse, istos homines nunquam suis servitoribus nostratibus bene fecisse, nisi quoad victum & amictum, & non amplius; & ita res est.

EPISTOLA CLVII.

ARG. *Præsidis Viglii, & Card. Granvellani una sententia, serò paratam in Hispania malorum Belgicæ medicinam. Res in summum discrimen deducta. Dux Albanus, & Filius ejus Fredericus, malè à Rege accepti. Hic, ut & Jo. Vergas, ab aulâ abstinere jussus; atque adeo non imminuta tantùm, sed fracta omnino Albani autoritas. Cætera privata.*

S. P. Reverende Præsul. Nondum res ferunt, ut ad alias, quàm proximas Amplitudinis vestræ literas II. & XII. Martii datas possim respondere. Et quidem verissima sunt quæ de verorum remediorum tarditate in utrisque continentur; nec aliud scribit Dominus Cardinalis, prout Regi inter cætera ostendi. Quid rerum isthic agatur, & quæ consilia secundum ea quæ mali moliuntur, & nos ad vos subinde mittimus, capiatis, valde expectamus. Nam in summum discrimen prope res deducta videtur; quam ut in optimam partem dirigere velit, Deum omnibus votis oro.

Scribam fortasse post tres dies, Deo volente, amplius; nunc autem illud dicam, in summo discrimine res nobis positas videri venisseque huc Ducem Albanum abhinc triduum, sub horam noctis nonam. Ut intraverat Complutum, sexto hinc miliario, venit inexpectato ab Rege nuntius, ne Dominus Fredericus Filius in aulam intraret, sed ad suam Commendam rectâ iret, & ut Joannes Vergas quinque miliaribus ab aula abstineret. Ita jussum, ita factum est, nec facile mutabitur. Venit Dux Madritum tristis, tristior factus postquam Regem adiit. Sua Ma-

(*a*) Scriptum hoc, perbreve licet, & idiomate Hispanico exaratum, ideò hîc resecandum duximus, quòd nonnisi hominis privati reculas tractaret.

jeſtas heri hinc diſceſſit; Dux hodie Albam profectus eſt, per Sanctum Laurentium tamen tranſiturus. Conveni illum in ordinem redactum, nec plus poſthac quàm quiſquam noſtrum poterit, fortaſſe paulo minus. Hoc clarè dicam, Regiam Majeſtatem plenam puramque veritatem eorum, quæ iſthic facta ſunt, cupere cognoſcere, & quod juſtum eſt, facere, prout proximè ad Amplitudinem veſtram latiùs, Deo volente, ſum ſcripturus. Nam quædam ſunt in manibus, quæ ad hoc uſque tempus reſervantur.

Utriuſque nepotis diplomata mitto; in quibus ſi quid mutandum videbitur, mox fiet: quanquam de re exigua non putem multum laborandum, ne nodus in ſcirpo quæri videatur. Omnino tamen id fiet quod Amplitudini veſtræ videbitur.

Meum & generi mei, liberorumque negotia tantopere Amplitudini veſtræ curæ eſſe, plurimum lætor, maximaſque eo nomine habeo gratias, nec quidquam peto quam quod debitum, juſtum, & rationabile eſt: in quo, uti certo ſcio Amplitudinem veſtram omnia facere, (qua de re ſummas etiam atque etiam ago, ut dico, gratias) ita uti perurgeat, majorem in modum rogo; ne plus poſſit falſum quàm verum, & ut calumnia, quemadmodum decet, humilietur.

Quæſtoris Flandriæ Filium, pro merito promoveri valde velim; jamque accepi literas eorum qui in Præſidis defuncti locum vellent ſuccedere. Nec deſinam curam habere eorum, pro cujuſque merito. Qui ſecundum ea quæ A. V.... ad Hannoniæ gubernationem aſpirant, ut id fiat quod oportet. Videbitque Amplitudo veſtra quid circa Drenthiam & Lingium ſua Majeſtas decrevit.

Plura velim ſcribere, ſed tam ſum laſſus plurium hebdomadarum labore, ut nihil poſſim nunc amplius, ſcribens hæc mediâ nocte, nec foitaſſe ante mane ceſſaturus. Scribam tamen, Deo volente, per proximum, ut dixi latiùs.

Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, cui uxor & liberi ſe etiam atque etiam commendant. Omniaque optima à Deo optimo maximo optant. Madriti 3. Aprilis 1574. Reverendæ Amplitudinis veſtræ paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Viduæ Van Loo negotium quàm commendatiſſimum habeo, ut debeo. Perfectumque jam eſt, & valde bene, quod vidua Valteri petiit, nec non Naves, ut Amplitudo veſtra videbit. Eſtque & Vellemani poſtulatis ſatisfactum, & de Quaderebbio quæſitum, quidnam fieri rectè poterit.

Scharenbergio noſtro quæſo ut Amplitudo veſtra me excuſet; non enim poſſum nunc amplius. Ipſe autem optimè facit officium; & ut famulus ejus huc evocetur, plurimum laboro; nam abſque aliquo ejuſmodi ſuſtinere amplius res Germanicas non poſſumus.

EPISTOLA CLVIII.

ARG. *Victoriam Hiſpanicam Militaris tumultus ſubſecutus. Claſſis feſtinè adornatur, ſub Maji finem vela datura. Domeſtica aut minora.*

S. P. Reverende Præſul. Tametſi toti in hoc ſumus ut Baptiſtam de Taſſis hinc extrudamus, qui omnia, quæ nunc in manibus habemus non pauca, poſt triduum aut quatriduum hinc aſportabit: nolui tamen Aldanam hinc ad ſponſam proficiſcentem vacuum dimittere, ut quæ per Dei gratiam circa nos ſunt, vobis coram poſſit commemorare.

Victoriam tam luculentam tumultus militaris mox ſubſecutus, non parum obfuſcavit; compoſitum tamen eum eſſe, plurimum gaudemus. Nec parum ad res magis ac magis componendas ponderis habituram publicationem gratiæ generalis ſperamus; cum qua & hinc, ut ſpero, aliqua conjungentur, quæ minimè diſplicebunt. Claſſis noſtra cum ſumma diligentia paratur, ſic ut in fine hujus menſis vela datura ſperetur.

Generi & Filiæ curam Amplitudinem veſtram habere nihil dubito, mirorque Dominum Commendatorem nihil illi communicaſſe, niſi forte ſub gratia generali omnia complecti velit. Omninò autem Deum optimum maximum oro, ut quod tantopere me afflixit, negotium ad optatum finem perveniat; quod etiam atque etiam confido.

Filiolos quoque Amplitudini veſtræ per opportunitatem curæ eſſe, ſatis certo ſcio; deque re pecuniaria ad Fabrum ſcribo, quam & ipſam ſemel velim explicari.

Apud ſuam Majeſtatem planè conſtitutum eſt, veritatem eorum, quæ iſthic geſta ſunt, cognoſcere, & quod jure debitum eſt, facere; prout brevi latiùs, volente Deo, intelligetis.

Utrum omnia quæ ad Dominum Commendatorem tranſmiſſa fuerunt, vobis communicata fuerint, nondum ſatis quivimus in-

telligere; proximo autem curſu intellecturos ſperamus, per quem ſimul etiam fortaſſe cognoſcemus, quid à Statibus videatur expectandum.

Ut hunc Aldanam, novum maritum, Amplitudo veſtra commendatum habeat, noſque ſocrui & novæ nuptæ commendari faciat, vehementer rogo. Jamdiu eſt, quod neque à Domino Joanne ab Auſtria, neque à Domino Cardinali Granvellano quidquam novi habemus, brevi autem habituros ſperamus. Bene valeat Amplitudo veſtra, cui ego & uxor liberique nos totos commendantes, omnia optima maxima à Deo optamus. Raptim Madriti, 12. Maii 1574., Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

Literas Amplitudinis veſtræ XIX. Aprilis ſcriptas accepi, & anteriores omnes, ad quas proximè, volente Deo, reſpondebo.

EPISTOLA CLIX.

ARG. *Denneterii morbus omnem negotiorum Belgicorum molem in Hopperum rejicit, tanto oneri haud diu futurum parem. Litteræ ad Epiſcopos Belgii de gratiis Deo ob partam victoriam agendis. Belgæ & Hiſpani uno eodemque ſarcaſmo increpiti de neglectis ad Deum precibus. Sollicitudo de Hiſpano milite apud Antverpiam tumultuante, Rege & Requeſenio ægerrimè militarem hanc arrogantiam ferentibus. Jo. Auſtriacus, Mediolani. Claſſis Hiſpana jam jam ſolutura. Rex Philippus Albani cauſam inſtruit. De privatis rebus multa.*

S. P. Reverende Præſul. Tam ſum laſſus continenti labore, ut vix ſciam an vires ſufficerent ut quidquam ſcribam. Denneterii noſtri gravis & continens morbus omnia in me rejicit, nec video quis tandem erit finis; nam aliud illi ſemper ex alio malum tam animi quàm corporis, adeò ut dubitem nonnumquam anne de alio Secretario erit cogitandum; ſed de hoc alias.

Quæ autem nunc ad vos mittimus, primum ſunt literæ ad Epiſcopos, de gratiis pro victoria agendis, (quæ utinam tam luculenta ſit quàm primus rumor ſparſit), & precibus pro bono

rerum successu faciendis. De qua re cùm toties Rex pro summa sua pietate ad vos scripserit, tam sub hoc quàm superiore gubernamento, miramur vos nunquam respondisse; nisi fortasse usque adeo Hispanizatis, ut contra reputationem esse putetis, Deum orare.

Mittimus quoque diversas provisiones Bendarum, nec non procuratorium circa res Anglicas, quæ eodem semper revolvi mihi videntur. Nam ab Anglis nihil unquam boni sperandùm esse, & Amplitudo vestra, & omnes prudenter semper prædixerunt.

Quid de Tumultu militari apud Antverpiam agatur, valde anxiè expectamus; miramurque, quod ad me de re composita perscriptum erat, non confirmari. Certè Rex ægerrimè horum militum fert insolentiam, quod & Dominus Commendatarius in suis ad Regem literis, multis verbis ostendit; ita ut merito de illo non sit conquerendum. Quod tamen nonnullos facere, huc est perlatum.

De meis sex millibus, quid boni factum erit, proximo cursu, Deo volente, expectabo; nec non de publicatione gratiæ generalis, spero vos ita perscripturos ut aliqua tandem spes rerum componendarum affulgebit. Et quidem, si ea res differatur, velim quantùm ad particulare generi mei negotium attinet, Amplitudinem vestram cogitare, anne conveniret ut Cornelius aliquam super literis per Regem scriptis resolutionem sollicitaret; sed spero ut dico, per Dei gratiam, ob generale remedium, nihil hujusmodi fore opus.

Liberos meos tam Amplitudini vestræ curæ esse, maximas etiam atque etiam habeo gratias. Quod & ipsum de Marco de Hertoghe facio, quem & sua Majestas Domino Commendatori per literas commendat, quas ad sororem mitto, ut eas de Amplitudinis vestræ consilio exhibendas curet.

Scribit quoque sua Majestas, ne milite soror gravetur; de qua & ipsa re mitto illi literas, quas Amplitudini vestræ commendo.

Ut Domino Richebe satisfiat, per literas hic junctas mandatur. Et si qua alia in re ullam ei operam navare queam, perlibenter sum facturus.

Dominum Joannem ab Austria jam Mediolani esse suspicamur, secundùm ea quæ Dominus Cardinalis Granvellanus, & alii, proximis literis perscripserunt.

Claſſis noſtra perbellè inſtruitur ; eamque brevi ſoluturam, omninò ſperamus.

Ut rerum præteritarum veritas ſciatur, omnino Rex urget; qua de re brevi fortaſſe aliquid audietur, quod nondum licet proferre.

Dedit Rex Denneterio extra ordinem mille florenos iſthic ſolvendos, ut proximè ſcribemus, & ſexcentos hic.

Quoniam ſua Majeſtas ſcribit ad Dominum Commendatorem ſuper negotio fratris du Tartre : rogavit idem me, ut ſcriptum hic junctum ad Amplitudinem veſtram mitterem, unàque rogem, ut negotium commendatum habere velit.

Fuit hic nobilis quidam Artheſienſis, Nedoncel cognomine, cui Rex fraterna bona confiſcata dedit. Rogo Amplitudinem veſtram majorem in modum ut illum commendatum habeat; nam eſt perhoneſtus.

Idem rogo nomine Domini Decani Sancti Petri, qui eſt hic, cujus fratrem ad Præſidatum Cameræ Rationum Brabantiæ Rex iteratis literis de bona nota commendat.

Quoniam video Dominum de Grobbendoncq optare, ut ad Conſilium Status poſſit promoveri, libenter illi omnem, quam queam, operam navabo : ſperoque vos idem iſthic facturos, ut mutuâ ope & operâ eum, quoad ejus fieri queat, juvemus.

Scribit Rex inter cætera in favorem viduæ Cortevilii, liberorum Magiſtri Joannis de Langhe, viduæ Domini de Chaſſey, Provincialis & aliorum Ordinis Prædicatorum, Domini de la Thieuloye, Nicolai Baert Receptoris generalis, Franciſcanorum Antverpienſium, & Monialium de Sion ex Anglia : quæ omnia licet ad manus Amplitudinis veſtræ pervenient, ſi tamen ea in re aliqua eſſet mora, putavi non abs re fore ut quàm primum id ſciat.

Mitto porro literas Regias in favorem trium pauperum Monaſteriorum Lovanii ad ſororem ibi meam; quas, cùm perferentur, quæſo ut Amplitudo veſtra habeat commendatas.

Nihil ſcribo de rebus meis propriis, nec ad Friſiam noſtram pertinentibus, quoniam illis ſolis totum curſum proximum, per Dei gratiam, deſtinavi. Nunc publica pleraque omnia, & aliena, quæ in manibus ſunt, abſolvo.

Enecat me noſter Eleëmoſinarius, homo peramicus & picturæ amantiſſimus, ut perſpectivæ quàm optimæ duas tabulas habere poſſit, quas credo Cornelium meum apud Joannem Friſium Antverpiæ non difficile inventurum.

Proximè

Proximè mittemus vobis formam orandi impressam per totam Hispaniam, pro fælici rerum successu; quam manuscriptam nunc mitto jussu Regis ad Dominum Commendatorem majorem, ut dispiciatur an aliquid, quod isthic usui sit, decerpi possit.

Diu est quod non scripserim quas literas proximè ab Amplitudine vestra acceperim. Hæ autem sunt quæ VI. & XXV. Decembris, VII. & XVII. Januarii, XXI. & XXX. Martii, I. VII. XV. & XIX. Aprilis scriptæ sunt; ad quas plerasque omnes puto suis temporibus me respondisse.

Ac quod ad negotium Dominæ de Noircarmes attinet, quod toties & tam enixè Amplitudo vestra mihi commendat, certè non desino nec desinam omne quod potero facere officium; tum quidem ipsius defuncti, tum vero fratris ipsius Domini de Selles causâ, cui ob diutina optimaque servitia plurimum Rex debet, qui optimam sane suam voluntatem erga eos esse ostendit. De utroque scribit suâ propriâ manu ad Dominum Commendatorem; qui quoniam cum Amplitudine vestra omnia est communicaturus, non dubito quin quàm commendatissimam omnem rem habebit: ac nominatim quidem quod de gubernamento Sancti Odomari, sine detractione territorii Tornehemensis illi incorporati, nec non de commissione Flandrica Dominus de Selles petit: cujus, ut amicissimi hominis postulata, Amplitudini vestræ etiam atque etiam singulariter commendo.

Uxor & liberi se Amplitudini vestræ quàm enixissimè commendant, Deumque pro salute ipsius quotidie rogant.

Bene valeat Reverenda Amplitudo vestra, quam ut quàm diutissimè Deus nobis conservet, omnibus votis oro. Madriti 20. Maii 1574. Reverendæ Amplitudinis vestræ Paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CLX.

ARG. *De iis quæ in Belgio aguntur, per sesquimensem, non sine cura, nuntii exspectati. Regis animus ab Albano aversus, atque hinc spes hujus omnes subversæ, & non parva animi suborta ægritudo. Albani adversarius Episcopus Cordubensis.*

S. P. Reverende Præsul. Si vos vivitis, quod sane nescimus, nam hodie agitur dies XLVI. quod nihil à vobis accepimus, bene est: nos per Dei gratiam bene valemus, cum maxima expectatione boni aliquid isthinc speramus. Nos hic classem jam paravimus, quæ brevi est abitura. Sua Majestas pro summa sua bonitate, prudentia & vigilantia, tota in hoc est, ut omnia quàm optimè fiant, & veritas eorum quæ peracta sunt intelligatur. Et qui huc venerat vetus gubernator cum suis, putans regnum se obtenturum, in summa est confusione, videns Regis penitus aversum ab se animum, nec ab aliis in ullo precio se haberi, & quæ porro ad veritatis inquisitionem pertinent, cum summa diligentia præparari.

Venit hac nocte Episcopus Cordubensis, ejus adversarius, ab sua Majestate evocatus; reliqua brevi per Dei gratiam intelligetis. Ego cum Rege hoc semper do operam, ut in veritate, justitia & æquitate omnia tractentur.

Diuturnum vestrum silentium valde nobis est suspectum; ac quanquam quidem secreto quædam veniant, non tamen nobis per omnia satisfaciunt, & quod pejus est, majorem suspicionem injiciunt. Hæc scribo *stans pede in uno*, per Oratoris Gallici cursorem, qui non mihi dat unum amplius momentum.

Uxor & liberi se Amplitudini vestræ etiam atque etiam commendant, & quid nostri isthic valeant & agant, valde expectant. Bene valeat Reverenda Amplitudo vestra, quam Deum optimum maximum oro ut quàm diutissimè nobis conservet. Raptim Madriti 26. Junii 1574. Reverendæ Amplitudinis vestræ Paratissimus servitor JOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA CLXI. ET ULTIMA.

ARG. *Brevis hæc Epiſtola, quam in codice noſtro nulla alia Hopperianarum ſubſequitur, vel ideo hic deſcribitur quia poſtrema. Cæterum non niſi ſollicitam rerum gerendarum exſpectationem continet.*

S. P. Reverende Præſul. Tametſi brevi curſorem profecturum putamus, quia tamen, qui has perferet, proficiſcitur nepos Billii noſtri, optimus ſane juvenis, non potui omittere quin hæc tria verba per illum ſcriberem. Quo loco res noſtræ iſthic ſint, ac quem fructum publicatio gratiæ generalis fecerit, & quàm bene fuerit applicata, valde expectamus, inter ſpem & metum hærentes. Omnino autem in Deo confidimus, aliquid boni nos brevi audituros.

Ubi autem minutas commiſſionum Friſiæ & Groninghæ, pro quibus Rex ſcripſit, acceperimus, ut commiſſiones ipſæ ſtatim ad vos perferantur procurabimus, nec quidquam quod ad ſervitium ſupradicto Domino de Billy, & Patriæ Chariſſimæ faciendum pertinere poterit, omittemus. Bene valeat Reverenda Amplitudo veſtra, cui à Deo optimo maximo omnia bona etiam atque etiam opto. Raptim Madriti, 13. Julii 1574. Reverendæ Amplitudinis veſtræ Paratiſſimus ſervitor JOACHIMUS HOPPERUS.

FINIS.